

7a 2-3

115836289




BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA

A
28
317







R. P.

Comprado el 1 de Febrero
de Monseñor

MARTINI

BECAN IR-9999

SOCIETATIS IESV

Theologi

Aion

OPVS CVLORVM

Theologicorum,

TOMVS TERTIVS.



LVGDVNLI,

Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE,
sub signo SS. Trinitatis.

M. D C X X I.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

EL PIANA

وَلِكُلِّ مُؤْمِنٍ هُنَّ عَلَيْهِ بَصِيرَةٌ هُنَّ عَلَىٰ سَبِيلٍ



REVERENDISSIMO
ET ILLVSTRISS. PRINCIPI

AC DOMINO, D. THEODORO

Episcopo Paderbornensi S. R. Imperij

Principi, Domino suo

Clementissimo

MARTINVS BECANVS.



Ntiqua quæstio est, Reuerendissime & Illustrissime Princeps, an hostes Ecclesiæ plus obsint illi, quàm prosint? D. Augustinus eleganter de hac re disputat in libro de vera religione, vbi inter cætera sic habet; *Ecclesia Catholica per totum orbem validè latèque diffusa, omnibus errantibus utitur ad profectus suos. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ; hereticis ad probationem doctrinæ suæ; schismaticis ad documentum stabilitatis suæ; Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Quibus verbis significat, quatuor esse genera hostium Ecclesiæ, quos ipse errantes vocat; nempe Gentiles, Hereticos, Schismaticos, Iudæos: Et ex singulis redundare

* 2 aliquid

Dedicatio.

aliquid in Ecclesiam profectus ac emolumen-
ti. Et sane ita est. Nam Gentiles, ut ipse loqui-
tur, præbent illi *materiam operationis suæ*. Quā
multi in Ecclesia Catholica, doctrina ac san-
ctitate perspicui homines, mittuntur ad con-
uerzionem Gentilium in Indiam, Iaponiam,
Americam? quam copiosam materiam bene
operandi ibi inueniunt? quām multos in-
struunt in fide & religione Christiana? quot
millia virorum ac mulierum baptismo abluūt,
& Christo lucrifaciunt? Non parua hęc Eccle-
siæ vtilitas est. Imò gemina. Vna ex parte co-
rum, qui tam pio ac laudabili studio occu-
pantur. Altera, ex parte Gentilium qui in
Ecclesiæ gremium admittuntur. Hi numero;
illi merito, illustrant Ecclesiam.

Quid Hæretici? prosunt ad probationem do-
ctrinæ Catholice. Quo pacto? Hoc disertè ex-
plicat Augustinus loco citato, his verbis; Sed
quoniam verissimè dictum est, Oportet multas hæ-
reses esse, ut probati manifesti fiant inter vos,
vt amur etiam isto diuinæ prouidentiæ beneficio: Ex
his enim hominibus hæretici fiunt, qui, etiamsi es-
sent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem
foris sunt, plurimum prosunt, non verum dicendo,
quod nesciunt, sed ad verum querendum car-
nales, & ad verum aperiendum spiritales Catho-
licos excitando. Sunt enim innumerabiles in
Ecclesia

Dedicatio.

Ecclesia sancta Deo probati vissi, & manifesti non
sunt inter nos, quamdiu in veritate nostra tenebris
delectati, dormire malumus, quam lucem veritatis
intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant,
& gaudeant, per haeretico de somno excitantur.
Ut amur igitur, etiam haereticis, non ut eorum ap-
probemus errores, sed ut Catholicam disciplinam,
aduersus eorum insidias, asserentes, vigilantiores
& cautiores simus, etiam si eos ad salutem reuoca-
re non possumus. Verissima sententia. Multi
Catholici per Lutheranos & Caluinistas de
somno excitati sunt, & fidem ac religionem
Christianam, doctissimis libris ac commen-
tariis illustrarunt. Sacram scripturam inter-
pretati sunt Iansenius, Peterius, Salmeron,
Titelmānus, Genebrardus, Delrius, Toletus,
Maldonatus, Serarius, Maſius, Emanuel Sa,
Ribera, Vilalpandus, Pineda, Lorinus, Franci-
ſcus, Lucas, Baradius, Viegas, infiniti alij.
A quo excitati? A Lutheranis & Caluinistis.
Controuertias de fide ac religione scrip-
runt Eckius, Cochleus, Staphylus, Latomus,
Bellarminus, Valentia, Costerus, Gretserus,
Scribanus, Busæus, Possevinus, Campianus,
Turrianus, Molhusinus, Gibbonus, Duræus,
Pistorius, Andradius, Thyræus, Peltanus,
Stapletonus, Scioppius. A quo excitati? A
Lutheranis & Caluinistis. Et sanè, si hæc no-
stra tempora conferantur cum superioribus

Dedicatio.

proximis ætatis, quibus vel nulli, vel pauci
hæretici Ecclesiam turbarunt, facile constabit
tantum lucis ac splendoris ad Ecclesiæ Catho-
licæ doctrinam accessisse, quantum, si hæ-
retici nulli essent, accessisset nunquam.

Quid porrò Schismatici? Profunt, inquit Au-
gust. ad documentum stabilitatis nostræ. Quæ
est illa stabilitas? Nimirum, de qua Christus
in Euangelio; *Tu es Petrus, & super hanc petram*
ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præ-
ualebunt aduersus eam. Igitur Schismatici, qui
vel à Petro, vel à Pontifice Petri successore
deficiunt, quid aliud sua defectione docent,
quām nos stabiles ac firmos esse, qui Petro ac
successori eius arctissimè cohæremus? Quid
aliud inquā docent, quā portas inferi non præ-
ualituras aduersum nos quādiu super hanc pe-
trā immoti cōsistimus? Habēt quidē Schisma-
ticī veram fidem, ut alibi fatetur Augustinus,
sed, dirupta societate, cum capite ac cæteris
membris per charitatēm coniuncti non sunt.
Credunt nobiscū, Ecclesiam Catholicā super
Petrā à Christo fundatā esse; sed quia ab vniō-
ne corporis per schisma diuulsi sunt, fides eo-
rum non tam ipsis prodest, quam patrocinatur.

Quid demum Iudæi? Utitur illis Ecclesia, in-
quit Augustinus, ad comparisonem pulchritudi-
nis suæ. Nimirum, Iudæi ancillæ filij sunt; nos
liberæ;

Dedicatio.

liberæ : illi , seruituti Mosaicæ tabiecti sunt ;
nos libertate donati : illi umbram sectantur ;
nos in luce versamur : illi sub figuris & elemē-
tis quærtunt Christum ; nos palam & quasi
facie ad faciem ipsum contemplamur : illi in
opprobrio carnis occultant suam familiam ;
nos in aperta fronte genealogiam nostrā pro-
fitemur. Igitur, si inter illos & nos fiat compa-
ratio ; quanto nos fœliciores, pulchiores, nobi-
liores, quam illi ? Illorum Synagoga quid aliud
est, quam ancilla afflcta, deformata, repudia-
ta ? Nostra Ecclesia, quid aliud, quam Domi-
na florens, speciosa, decora, amabilis , in qua
macula non est ?

Sed quorsum hæc, ad te, Reuerendissime &
Illustrissime Princeps, tam fusè præfatus sum ?
Non frustra aut otiosè, opinor. Nam hinc fa-
cile erit æstimare, an etiam tibi aliquid profe-
ctus aut utilitatis ex Ecclesiæ hostibus, vel ob-
uenerit haec tenus, vel deinceps sperandum sit.
Ego quidem non ambigo. Nam si illi non es-
sent, multæ animi tui virtutes in obscuro la-
terent, quæ ex eorum occasione & importu-
nitate in apertam lucem productæ sunt : præ-
fertim constantia in fide & religione ; zelus
pro domo Dei ; fortitudo in aduersis ; magni-
ficentia & liberalitas in augendis Ecclesiæ re-
ditibus, in extruēdis collegiis, gymnasiiis, ora-
toriis ; diligentia in accersendis hominibus

Dedicatio.

doctrina ac pietate præstantibus, qui verbo,
calamo, priuatim, publicè, Ecclesiæ unitatem
tueantur, & contra hostes in acie persistant.
Hæ, inquam, virtutes obscuræ in te essent, si
nulli Ecclesiæ hostes essent. Porrò, triplex præ-
mium pro his constitutū tibi est. Vnum, mens
sibi conscientia recti. Alterum, beatitudo in cælis.
Tertium, fama apud posteros. Ad hanc con-
signandam, hunc tertium Opusculorū meo-
rum Tomum, tuo amplissimo nomini offero
consecrōque: Et ex animo precor, ut sicut
Constantinum, Carolum Magnum, Ludouic-
um, aliósque pios Reges ac Principes in vir-
tutibus ac præclarè factis imitatus es; sic ean-
dem cum illis nominis ac gloriæ immortalis-
tatem cōsequaris. Quod meum votum (nihil
dubito) in optimam partem interpretaberis:
Et sicut nuperrimè, cum exiguum sanè libel-
lum tuæ celsitudini inscrissem, clementissimè
cum excepisti, ita hunc, paulo maiorem,
eadem clementia excepturus es. Deus te, Re-
uerendissime & Illustrissime Princeps ad Ec-
clesiæ suæ prosperitatem, ad piorum consola-
tionem, ad familiæ Furstenbergicæ splen-
dorem & incrementum, diu seruet incolu-
mem. Moguntiæ ex Archiepiscopali Colle-
gio Societatis, mense Martio, anno 1612.



I N D E X

O P V S C V L O R V M ,
*qua& hoc Tomo conti-
nentur.*

- I. Examen Plagæ Regiæ. pag. 1.
- II. De fide Deo seruanda. 31.
- III. Priuilegia Caluinistarum. 56.
- IV. Quæstiones Batauicæ. 119.
- V. Dissidium Anglicanum. 216.
- VI. Duellum. 250.
- VII. De Pontifice veteris Testamenti.
369.



INDEX QVÆSTIONVM,
CAPITVM AC SVMMMA-
RIORVM QVÆ VNO QVOQVE
opusculo huius tertij volumi-
nis continetur.

OPVS CVLVM PRIMVM
INSCRIPTVM

Examen Plagæ Regiæ.

P

Roponitur quid sit tradandum in uniuersum. pag. 1.

Quis sit author Plaga Regiæ. cap. 1. pag. 2.
Cui patrono inscripta & dedicata sit Plaga
Regia. cap. 2. p. 5.

Quid sibi velit hoc nomen Plaga Regia. c. 3. p. 7.

Quid argumenti tractet author Plaga Regiæ. c. 4. p. 8. in
quo describitur visio Nicolai Eremite secundum Gra-
serum. p. 9. Interpretatio visionis secundum Gras-
erum. ibid. Vtilitas visionis. p. 10.

Quo spiritu à Grasero scripta sit Plaga Regia. c. 5. p. 11.
Argumentum primum quo probatur. Quod spiritus
Graseri non sit à Deo. p. 13. argumentum secundum
pag. 14. argum. 3. p. 16.

Quim certa sit doctrina Plaga Regiæ. c. 6. p. 18. argumen-
tum primum quo probatur incertitudo explicationis Gra-
seri. p. 19. argum. 2. p. 20. argum. 3. p. 22. argum. 4. p. 25.

Quo

Index Quæst. Cap. & summ.

- Quo loco habenda sit Plaga Regi. cap. 1. p. 27. in quo Paradigma coniectandi ex Graser. o. p. 28. Paradigma visiones interpretandi ex Graser. o. p. 29.*
Epilogus cum epigrammate in Graserum. p. 30.
-

OPVSCVLVM SECUNDVM.

- De fide Deo seruanda : Vel. An monachi seruent Deo fidem, qui profugiunt ad Lutheranos & Caluinistas, & ibi uxores accipiunt. p. 31.*
Prima propositio contra hereticos. p. 34.
Secunda propositio. p. 37.
Tertia propositio. p. 39.
Quarta propositio. p. 42.
Quinta propositio. p. 45.
Sexta propositio. p. 47.
Septima propositio. p. 48.
Prima excusatio Aduersariorum expenditur. p. 49.
Altera excusatio. p. 51.
Testimonia Patrum pro continentia seruanda. p. 53.
-

OPVSCVLVM TERTIVM.

- Priuilegia Caluinistarum, quæ recensentur. p. 56.*
Primum priuilegium. Omnes Caluinisti ex utero materno nascuntur sancti & heredes vita eternæ, ideoque nec Baptismo, nec aliis Sacramentis eagent. p. 57. Quod examinatur. p. 59.
Secundum priuilegium: Omnes Caluinisti sunt sacerdotes à Deo sanctificati, & quotidie offerunt Deo mundam, & acceptabilem hostiam in odorem suavitatis. p. 63. Quod examinatur. p. 64.
Tertium Priuilegium: Omnes Caluinisti certi sunt de sua iusti

Index Quæst. Cap.

iustitia, sanctitate, perseverantia, prædestinatione, & vita aeterna; ideoque certi ac securi, quicquid tandem eueniat, perire se non posse. p. 66. *Quod examinatur.*
p. 67.

Quartum priuilegium: Omnes Caluinista per internam Spiritus sancti testificacionem, norunt discernere inter Scripturas canonicas, & non canonicas: ideoque in hac re non egent Iudice controversiarum. p. 70. *Quod examinatur.* p. 71.

Quintum priuilegium. Tametsi omnes antiqui Patres errarint, Caluinista tamen non errant, quia non ab hominibus, sed a Deo docti sunt; qui errare non potest. p. 74. *Quod examinatur.* p. 76.

Sextum Priuilegium. Caluinista habent propriam doctrinam e cœlo sibi reuelatam, quam reliqui Christiani hoc tempore non habent. p. 77. *Quod examinatur.* p. 82.

Septimum priuilegium. Caluinista non ita adstricli sunt ad suam doctrinam, quin possint contrariam amplecti, cum lubet: & negare quod ante a affirmabant. p. 83. *Quod examinatur.* p. 87.

Octauum priuilegium. Caluinista, sicut habent propriam doctrinam, sic habent etiam proprium ac peculiare Purgatorium distinctum a Purgatorio Catholicorum. p. 87. *Examinatur.* p. 89.

Nonum Priuilegium. Tametsi Caluinista enormiter quotidie peccant, & flagitiosè viuant, tamen peccata ipsis non imputantur. p. 98. *examen.* p. 99.

Decimum priuilegium. Caluinista possunt impunè mentiri & calumniari, suumque Euangelium hoc modo propagare, & Catholicorum vitam & doctrinam traducere. p. 100. *examen.* p. 102.

Vndecimum priuilegium. Caluinista impunè possunt, non modo

& summariorum.

modò Catholicos, sed etiam se in iure conuictiis ac male-
dictis insectari, sine ullo salvo aut sanctitatis dispen-
dio. p. 103. examen. p. 105.

Duodecimum Priuilegium. Calvinistæ possunt suos Reges
& Principes sacerdotes deponi. e, expellere, & interfice-
re, quando ipsis visum est. p. 106. examen. 110.

Decimumtertium Priuilegium. Calvinistæ nulla lege, nec
divina, nec humana obligantur, sed ab omni iugo &
subiectione penitus sunt liberi & immunes. p. 116. exa-
men. p. 117.

OPUSCULVM QVARTVM.

Questiones Batauica in Batauum Calvinistam. pagin.
119.

Quæstio 1. An Calvinistæ sint Euangelici. p. 121. ubi de
moribus Calvinistarum p. 125. de priuilegiis eorum.
127.

Quæstio 2. An etiam Lutherani sint Euangelici. p. 128.
primum responsum Bataui examinatur. p. 129. Se-
cundum eiusdem responsum. p. 130. tertium eiusdem re-
sponsum. p. 132.

Quæstio 3. An Batauus noster sit Euangelicus. p. 133.

Quæstio 4. An Batauus sit Calvinista. p. 135.

Quæstio 5. Cur Batauus nomen suum non expresserit.
p. 137.

Quæstio 6. Cur Batauus tam iracundè agat. p. 138.

Quæstio 7. An Pontifex sit Antichristus. p. 139.

Quæstio 8. An Jesuitæ sint regicide. p. 142.

Quæstio 9. An Jesuitæ sint proditores. p. 144.

Quæstio 10. An Jesuitæ sint perduelles. p. 146.

Index Quæstionum, Cap.

- Quæstio 11. An Iesuitæ sint ingraui in Regem Gallie
Henricum IIII. p. 1. 8.
- Quæstio 12. Quid Rex Gallie sentiat de Iesuitis. p. 151.
- Quæstio 13. An Rex Gallie fuerit verè Catholicus &
Pontificius. p. 154.
- Quæstio 14. An Catholici in Concilio Tridentino do-
ceant, Hæreticis non esse seruandam fidem. p. 155. anno-
tatio circa hæc. p. 166.
- Quæstio 15. An Catholici in Constantiensi Concilio do-
ceant, Hæreticis non esse seruandam fidem. p. 169. ad
id annotatio. p. 178.
- Quæstio 16. An in Concilio Lateranensi definitum sit,
Hæreticis non esse seruandam fidem. p. 181. ad id anno-
tatio. p. 187.
- Quæstio 17. An Pontifices decernant, non esse fidem ha-
reticis seruandam. p. 189. quid Gregorius nonius. p. 191.
de Sixto V. & Gregorio XIV. p. 194. de Paulo V. 200.
ad id annotatio. 204.
- Quæstio 18. An Catholici scribant & sentiant; non esse
hæreticis seruandam fidem. p. 206. annotatio. p. 210.
- Quæstio 19. An Catholici re ipsa non seruent hæreticis
fidem. p. 210. annotatio. 215. Epilogus. p. 215.

OPVSCVLVM QVINTVM.

Dissidium Anglicanum de Primatu Regis, ad Catholicos
in Anglia prefatio. p. 216.

Dissidium Anglicanum de primatu Regio proponitur.
p. 217.

Quæstio 1. An Rex Angliæ habeat aliquem Primatem
in Ecclesia. p. 219.

Quæstio 2. An Primate ille quem Rex habet in Eccle-
sia, sit Ecclesiasticus & spiritualis. p. 220.

& summariorum.

- Quæstio 3. An Rex ab hoc Pri-
mas Ecclesiæ. p. 222.
- Quæstio 4. An Rex à suo priuatu possit vocari supre-
num caput Ecclesiæ. p. 223.
- Quæstio 5. An Primatus Regis consistat in aliqua pote-
state vel iurisdictione Ecclesiastica. p. 225.
- Quæstio 6. An Rex propria authoritate possit Synodos
inducere. p. 227.
- Quæstio 7. An Rex possit leges Ecclesiasticas condere. p.
229.
- Quæstio 8. An Rex propria authoritate possit conferre
beneficia Ecclesiastica. p. 231.
- Quæstio 9. An Rex possit Episcopos creare, & deponere.
p. 232.
- Quæstio 10. An Rex possit subditos contumaces excom-
municare. p. 233.
- Quæstio 11. An Rex sit Iudex omnium controveneriarum
in Ecclesia. p. 236.
- Quæstio 12. Vnde, & quo titulo Rex habeat Primatum
in Ecclesia. p. 238.
- Quæstio 13. An Rex possit cogere suos subditos ad iura-
mentum Primatus. p. 239. prius punctum. 240. alte-
rum punctum. p. 241.
- Epilogus. 245.

OPVSCVLVM SEXTVM.

Duellum Martini Becani cum Guilielmo Tookero de pri-
matu Regis Angliae. p. 250.

Libellus Martini Becani de Primatu Regis Anglia, ubi
8. proponuntur. p. 252.

Commentarius. p. 254.



Index Quest. Cap.

- Cap. 1. An Rexiturena urali habeat Primatum Ecclesie.*
p. 260
- Commentarius. p. 262.*
- Cap. 2. An Rex habeat Primatum Ecclesie iure diuino
veteris Testamenti. p. 267.*
- Prima obiectio ex facto Regis Iosaphat. p. 277.*
- Secunda, ex facto Davidis, & aliorum Regum. p. 278.*
- Tertia, ex facto eiusdem Davidis. p. 285.*
- Quarta desumpta ex facto Salomonis Regis. p. 287.*
- Quinta desumpta ex facto eiusdem Regis Salomonis. pag.
290.*
- Sexta, ex facto Iosiae Regis. p. 294.*
- Septima ex facto Ezechiele Regis. p. 295.*
- Octaua sumpta ex titulis Regum veteris Testamenti. pag.
296.*
- Conclusio totius capituli. p. 302.*
- Commentarius. p. 303.*
- Primum testimonium scripture contra allatum discutitur.
p. 303.*
- Secundum testimonium discutitur. p. 306.*
- Tertium testimonium discutitur. p. 310.*
- Quartum testimonium discutitur. p. 313.*
- Quintum testimonium discutitur. p. 315.*
- Alia testimonia. p. 319.*
- Cap. 3. An Rex iure diuino noui Testamenti habeat Pri-
matum Ecclesie. p. 320.*
- Obiectio Regis Anglie. p. 325.*
- Commentarius. Probatio ex verbis Christi. p. 330.*
- Ex testimoniosis Apostolorum. p. 331.*
- Ex praxi Ecclesie. p. 335.*
- Ex circumstantiis. p. 336.*
- Obiectio Tookeri. p. 339.*
- Cap. 4. An Rex iure civili, vel canonico habeat Prima-
tum*

& summariorum.

tum Ecclesiae. p. 340.

Commentarius p. 343.

Cap. 5. An Rex consensu dictorum hominum habeat
Primatum Ecclesiae. p. 347

Commentarius. p. 351.

Cap. 6. An Rex titulo Praescriptionis habeat Primatum
Ecclesiae. p. 352.

Commentarius. p. 355.

Cap. 7. An Rex ex propria doctrina possit Primatum
suum defendere. p. 358.

Commentarius. p. 361.

Cap. 8. Quod sit ergo officium Regis circa Ecclesiam. p.
363.

Commentarius. p. 366.

Epilogus. p. 369.

OPUSCULVM SEPTIMVM.

De Pontifice Veteris Testamenti Præfatio. p. 369.

Cap. 1. De Familia Pontificis. p. 371.

Cap. 2. De successione Pontificum. ibid.

Cap. 3. de consecratione Pontificis. p. 377.

Questio 1. Quandiu durauerit hæc tota actio consecratio-
nis Aarone. p. 382.

Questio 2. Quare tot ceremonia adhibite sunt in conse-
cratione Pontificis & Sacerdotum. p. 385.

Quest. 3. An omnes ceremonia semper abhibite sint. p.
387.

Cap. 4. De officio Pontificis. p. 388.

1. Pontificis officium. p. 389.

2. Eiusdem officium. p. 391.

3. Officium. p. 392.

4. Officium. p. 397.

Cap. 5. De vestibus & ornatu Pontificis. p. 399.

†

Quest.



Index Cap. Quæst. & summar.

- Quæst. 1. *Quid significentur in ornamenta Pontificis.* p. 402.
Quæst. 2. *An Pontifex ius usus fuerit Ephod seu superhumerali.* p. 403.
Quæst. 3. *In quem finem solitus sit Pontifex gestare Ephod.* p. 403.
Cap. 6. *De redditibus Pontificis.* p. 405.
1. *De urbibus illi concessis in redditus.* p. 406.
2. *De decimis.* p. 407.
3. *De primitiis & primogenitis.* 410.
4. *De oblatis.* p. 412.
Cap. 7. *De auctoritate Pontificis.* p. 413.
Cap. 8. *De comparatione Pontificis cum Rege.* p. 415.
Quæst. 1. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo originis & antiquitatis.* p. 416.
Quæst. 2. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo familie.* p. 417.
Quæst. 3. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo inaugurationis.* p. 419.
Quæst. 4. *An Pontifex præcelluerit Regi titulounctionis.* p. 420.
Quæst. 5. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo ornamenti torum.* p. 424.
Quæst. 6. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo officij.* p. 426.
Quæst. 7. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo exemptionis.* p. 431.
Quæst. 8. *An Pontifex præcelluerit Regi titulo authoritatis.* p. 440.
Conclusio huius capituli. p. 441.
Cap. 9. *Quæ utilitas percipi ex dictis possit.* p. 442.
1. *Utilitas ex parte Catholicorum.* ibid.
2. *Utilitas ex parte aduersariorum.* p. 444.
3. *Utilitas ex parte Regum.* p. 447.



ARGUMENTVM cuiusque Opusculi.

PRIMUM Opusculum inscribitur, *Exam
en Plagæ Regiæ*. In quo breuiter refel
litur Conradus Graferus Caluinista,
qui scripsit Commentarium in Apocalypsin,
sub hoc titulo, *Plaga Regia*; & in eo conatus
est probare, Pontificem Romanum esse Anti
christum, & omnes plagas, quibus afficiuntur
Reges & principes sacerdotes, à Pontifice Ro
mano prouenire.

Secundum Opusculum inscribitur, *De fide
Deo seruanda*. In quo proponitur quæstio, An
Monachi seruent Deo fidem, & sint liberi
in conscientia, qui profugiunt ad Lutheranos
& Caluinistas, & ibi uxores accipiunt, nulla
habita ratione voti continentias, quo se ante
obstrinxerunt? Et resoluitur in negantem
partem.

Tertium Opusculum inscribitur, *Priuilegia
Caluinistarum*. In quo recensentur tredecim
Priuilegia, collecta ex libris & doctrina Cal
uinistarum: & breuiter examinantur. Sunt au

Argumentum.

tem hæc. 1. Omnes Caluinistæ sunt sancti ab utero materno. 2. sunt Sacerdotes Dei. 3. sunt certi de sua salute & vita æterna. 4. norunt discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas. 5. nunquam errant. 6. habent peculiarem doctrinam è cœlo delapsam. 7. ad eam tamen non astringuntur. 8. habent etiam peculiare purgatorium. 9. impunè peccant. 10. impunè mentiuntur & calumniantur. 11. impunè maledicta & conuitia in alios iaciunt. 12. possunt suos Reges & Principes interficer. 13. liberi sunt ab omni lege.

Quartum Opusculum inscribitur, *Quæstiones Batauicæ.* In quo, contra quendam Batavum Caluinistam, disputantur hæ quæstiones. 1. an Caluinistæ sint Euangelici. 2. an etiam Lutherani sint Euangelici. 3. an & Batauus fit Euangelicus. 4. an sit Caluinista. 5. cur nomen suum non expresserit. 6. cur tam iracundè agat. 7. an Pontifex sit Antichristus. 8. an Iesuitæ sint Regicidæ. 9. an sint proditores. 10. an perduelles. 11. an ingrati in Regem Galliæ. 12. quid Rex Galliæ sentiat de Iesuitis. 13. an Rex Galliæ fuerit verè Catholicus. 14. an Catholici in Concilio Tridentino decernant, hæreticis non esse seruādam fidem. 15. an hoc ipsum decernant in Concilio Constantiensi. 16. an etiam in Lateranensi. 17. an decreta Pontifici

Argumentum.

tificum hoc statuant. 18. a. Catnolici passim ita scribant & sentiant. 19. an Catholici re ipsa non seruent hæreticis fidem.


Quintum Opusculum inscribitur, *Disſidium Anglicanum de Primatu Regis*. In quo ostenditur, Theologos Angliæ, qui defendunt Primatum sui Regis, dissidere inter se in his punctis. 1. an Rex Angliæ habeat aliquem Primate in Ecclesia. 2. an Primatus ille sit Ecclesiasticus & spiritualis. 3. an Rex ab eo Primate possit vocari Primas Ecclesiæ. 4. an ab eodem vocari possit supremum Caput Ecclesiæ. 5. an Primatus ille consistat in aliqua potestate vel iurisdictione Ecclesiastica. 6. an Rex ratione sui Primatus possit indicere Concilia & in iis præsidere. 7. an possit leges Ecclesiasticas condere. 8. an beneficia Ecclesiastica conferre. 9. an Episcopos creare & depone-re. 10. an contumaces excommunicare. 11. an Iudicem controuersiarum agere. 12. vnde Rex habeat suum Primum. 13. an subditos possit cogere ad iuramentum Primatus.


Sextum Opusculum inscribitur, *Duellum Martini Becani Societatis Iesu Theologi, cum Guilielmo Tooker, Anglicanæ Theologiae Professore, & Decano Ecclesiæ Lichefeldensis, De Primatu Regis Anglie*. In quo discutiuntur hæc cap. 1. an Rex iure naturali habeat Primum Ecclesiæ. 2. an

Argumentum.

iure diuino veteri Testamenti. 3. an iure diuino noui Testamenti. 4. an iure ciuili vel canonico. 5. an consensu doctorum hominum. 6. an titulo præscriptionis. 7. an secundum principia suæ doctrinæ. 8. si Rex non habet Primum Ecclesiæ, quodnam illius officium circa Ecclesiam sit. Et, an omnem Ecclesiæ & religionis curam abiicere debeat.

Septimum Opusculum inscribitur, *De Pontifice veteris Testamenti, & de comparatione illius cum Rege.* In quo agitur de his punctis. 1. De familia Pontificis. 2. de successione. 3. de consecratione. 4. de officio & potestate. 5. de vestibus & ornatu Pontificali. 6. de redditibus annuis. 7. de authoritate. 8. de comparatione illius cum Rege, in variis capitibus. 9. quæ utilitas hinc percipi possit.







R. PATRIS

MARTINI BECANI,
SOCIETATIS IESV
THEOLOGI, OPUSCULVM
primum.

EXAMEN PLAGÆ REGIAE.

PRODIIT nuper ex Heluetia ingens
Tractatus cum hac inscriptione: Pla-
ga Regia, hoc est, Commentarius
brevis, & perspicuus in Apocalyp-
sin sancti Ioannis, quatenus hæc reconditissi-
ma Prophetia hucusque per decurrentia Ec-
clesiæ Catholicæ fata, impleta est, & hodie po-
tissimum impletur. Eius exemplar, diebus superio-
ribus, ad me misit Illustris Vir, Marcus Velserus,
Duumuir Augustanus. Percurri obiter, & notavi,
quæ festinanti occurrebant. Quid de eo sentiam, pa-
tebit ex hoc breui Examine, quod subiicio; cuius hæc
sunt capita:

- I. Quis sit author Plagæ Regiæ?
- II. Quis Patronus, cui inscripta & dedicata est?
- III. Quæ ratio nominis? seu, cur vocetur Plaga
Regia?

Examen

IV. Quid argumenti tractet?

V. Quo spiritu ab authore conscripta sit?

VI. Quam certa it eius doctrina? Ex quibus omnibus constabit.

VII. Quo loco habenda sit Plaga Regia?

Ex his paucis capitibus & meam sententiam de Plaga Regia, & illius pretium ac dignitatem facile intelliges prudens Lector. Quamvis enim, ut dixi, ingens Tractatus sit, qui vel sola mole ac quantitate posset hominem alias occupatum, à lectione deterre; nihil tamen ingenti refutatione opus esse censeo. Aliud est, multa scribere; aliud benè, doctè, & nerosè scribere. Multa congesit Author Plagæ Regiæ; sed parum solidè probauit. Quid ergo multis refutare necesse est? Nisi quis otio abundet: quod sanè in me locum non habet. Itaque paucis & strictim cum homine agendum censui.

C A P V T I.

Quis sit author Plagæ Regiæ.

1. **A**uthor illius est Conradus Graserus, qui quidem & sacram Scripturam diligenter legisse, & multos annos in hoc Opere conscribendo laborasse, videri potest. At triplici nomine suspectum meritò se facit. 1. quia Calvinista est. 2. quia ubique seipsum laudat. 3. quia alios fastuosè præse contemnit, mendaciss obruit, conuictiis infectatur, & scurriliter illudit. Hæc tria paucis explicabo.

2. Primò igitur Calvinista est. Quis autem nesciat, quam

quām atrox, blasphema, & pestilens Caluinistarum doctrina sit: Hactenus palam docuerūt hos Aphorismos:

1. Deum esse authorem peccati.
2. Deum prædestinare homines ad æterna supplicia, sine vlla ipsorum culpa.
3. Deum non sincerè, sed simulatè agere cum hominibus.
4. Christum non esse mortuum pro omnibus.
5. Imaginem Christi crucifixi nullo modo in templis tolerandam esse.
6. Sanctos, qui dicuntur cum Christo regnare, esse larvas, bestias, carnifices.
7. Peccatum originale non tolli per baptismum.
8. Nec reliqua tolli in Iustificatione, sed tantum tegi, seu occultari.
9. Omnia iustorum opera nihil aliud esse quām fôrdes, iniquamenta, & peccata mortalia.
10. Gratiam Dei non sufficere ad benè agendum.
11. Omnes filios fidelium esse sanctos ab utero materno, ac proinde non egere Baptismo. At nunc ulterius progressi, non sunt contenti illis Aphorismis, sed hos insuper Atheismos adficiunt.

1. Deum non esse infinitum.

2. Deum non esse ubique præsentem.

3. Incertum esse, an Deus secundum substantiam sit alibi præsens, quām in cœlo. Et quod inde sequitur, incertum esse, an Christus, cum in terris versatus est, fuerit verus Deus.

4. In Deo esse vera accidentia, realiter distincta à substantia Dei.

5. Decreta Dei (cuiusmodi est decretum prædestinationis, aut reprobationis, aut creationis mundi) non esse ab æterno.

6. Æternitatem Dei non esse indivisiibilem, & totam simul, sed successuam. Ita Conradus Vorstius Caluinista in Tractatu de Attributis diuinis, quem nuper edit. Quid nunc sperare possis à Grasero, qui eodem spiritu Caluinistico imbutus est? qui in eodem stadio currit, vt palmam Atheismi consequatur?

3. Et tamen ubique se laudat hic Author. Sed astutè. Nam in toto suo volumine, quod sanè ingens est, instituit perpetuum colloquium inter Danielem &

Eusebium Daniel Graseri personam sustinet. Eusebius laudatoris officio fungitur. Et quidquid alter dicit, hic approbat. Quis non videt ex composito rem geri? Non audebat Graserus in propria persona seipsum commendare. Hoc enim qui nis aduertisset. Igitur collucutorem adhibuit, qui applausu & præconio exciperet omnia, quæ ab ipso dicerentur. Et hoc strenue fecit Eusebius. Sic enim passim loquitur: *Cogitationes tuæ mihi hic longius progrederi videntur, quam cuisquam alterius.* Item: *Tu mihi caliginem, quæ habebus in Vaticinij huius lectione oculos meos obfuscavit, paulatim abstergis.* Item: *Arguta fuit hac conjectura.* Item: *Iucunda sane hac, & notatu digna sunt.* Item: *In hoc ibi nemo contradicet.* Item: *Pulchra sunt ha cogitationes.* Item: *Hac profecto per se pia sunt, & pio animo iucundissima.* Item: *Egregium profecto hoc, & notatu dignum est.* His & similibus loquendi formulis ubique se laudat Graserus sub larua Eusebij collucutoris.

4 Sed qui seipsum tanti facit, quo loco habet alios mortaliū? Nullo, vel certe exiguo. Ne longus sim, ex uno hoc disco. Afferit in sua *Plaga Regia*, Prophetiam Apocalypsis aliis omnibus obscuram esse; sibi non item. Distinguit autem tria genera aliorum hominum. In primo ponit fanaticos. In altero, probos authores. In tertio, præceptores suos. Primos ait, latibula quarere: alteros, nemini satisfacere. Tertios, duri nimis iudicij esse. Addit, sibi præ cæteris obortam esse aliquam lucem, & per eam ingenti desiderio profundissima quæque scrutatum esse; nec suo conatui Dei benedictionem defuisse. In qua re planè similis est Pharisæo Euangelico. Nam perinde est, ac si dicat: Domine, gratias tibi ago; quia non sum sicut cæteri Apocalypsis interpres, fanatici, nemini satisfacientes; velut etiam præceptores mei, duri iudicij homines. Mihi vni lux obla

oblata est: Ego profunda mysteriorum penetraui: meo
conatui benedictio tua non deest.

5. Nec abstinet à conuictis Pontificem vocat *Draco-*
nem tricipitem: Pontificios, q̄ iſquilias Mundi. Et ut mul-
ta similia omittam, quibus omnia plena sunt, disertè
affirmat, *Spiritum sanctum quædam oscitanter in Apo-*
calypsi descripsisse: quædam ad naufragium lectoris inculcaſ-
ſe. Mendacia passim occurunt. Ait, Catholicos palam
docere, *Papam ne quidem à Deo posse iudicari.* Imò, Pa-
pam habere potestatem dispensandi contra quatuor Eu-
angelia, & contra Pauli Epistolas. Omitto alia. Illud scur-
rile est, quod addit, Catholicos accuratè solitos esse
disputare, *an mortaliter peccet, qui in Ecclesia pedit?* *An*
passeres, & alia bruta Ecclesiam defædantia, liceat excom-
municare? *An* mater Mariae, in filiæ conceptione, carnis de-
lectionem senserit? & quæ eiusdem farinæ sunt. Ergo
ob has causas merito suspectus est Graserus cum sua
Plaga Regia.

C A P V T II.

Cui Patrono inscripta & dedicata sit Plaga Regia?

1. **S**erenissimo Britanniæ Regi Iacobo inscripta &
dedicata est, cum hoc titulo: *Fidei verè Catholicæ*
propagatori, ac defensori. Non satis video, quò spectet
hic titulus: aut qua conscientia, homo Caluinista, Re-
gem illum appellat Catholicæ fidei defensorem ac
propagatorem. Certè Rex Britanniæ Caluinista non
est. Imò Caluinistas seu Puritanos (quod idem est) in
sua monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges, &
Principes, miris modis execratur. Hæc enim de illis
scribit: Primò, esse homines furiosos & incendiarios.

Secundo, plus te fidei reperisse in efferis latronibus, quam in Caluinistis. Tertio, se non solum à nativitate continuò vexatum fuisse à Caluinistis, sed etiam in vetero materno propemodum extinctum, antequā nasceretur. Quartò, se in suo l.oro ad filium, multo acrius ac vehementius in Caluinistis, quàm in Pontificios inuectum esse. Denique, se eidem libro prolixam in odium Caluinistarum, præfationem apologeticam præfixisse. Hæc & similia habet Rex. Quid ergo homini Caluinistæ in mentem venit, vt hunc ipsum Regem, qui tantus Caluinistarum hostis & persecutor est, tam insigni ac specioso titulo exornare ausus sit?

2. Ut res sit clarior, addam duo dilemmata. Vnum, vel Rex Britannæ verè Catholicus est, vel non est. Si Catholicus est, certè Caluinistæ Catholici non sunt, quos Rex Catholicus persequitur. Si Catholicus non est, cur Caluinista Catholicæ fidei defensorem appellat? Hic sanè alterutrum fateri necesse est, aut Caluinistam mendacem esse, si Rex Catholicus non est: aut hereticum esse, si Rex Catholicus est. Nec video, quomodo elabi possit.

3. Alterum; Author Plagæ Regiæ, vel habet veram doctrinam, vel falsam. Si falsam, cur eam Regi Catholicæ obtrudit? an Regem Catholicum falsitatis Patronum fore existimat? Si veram, quomodo Regem Catholicum à falsitate vindicabit? Nam Rex in multis contrarium sentit, vt cap. 6. demonstrandum est.

4. Sed video me frustra hic hæcere. Aliud mysteriū latet in hac inscriptione. Aliud, quàm fidem Catholicam spectauit Graserus, quando Regi Britannæ, tanquam Catholicæ fidei propagatori, Plagam Regiam dedicauit. Quid illud? Facile coniiciam, quod res est. Sperauit fore, vt vel thesaurum à Rege potentissimo per huiusmodi blandimenta extorqueret; vel certè in Angliam

Angliam ad lautiorem mensam euocaretur. Hiç enim est scopus, in quem collimant eiusmodi Nouatores. Veteor tamen, ne Rex fucum aduertat, præsertim si Sacellanus ei ad manum fit.

C A P . V T I I I .

Quid sibi velit hoc nomen Plaga Regia?

1. **G**eraserus inscripsit librum suum, *Plagam Regiam*. Hoc dupliciter potest intelligi. Primò actiuè, quasi Reges plagam aliis immittant. Secundò passiuè, quasi plagam ab aliis patientur. Igitur Grasenus in Præfatione ait, se posteriori modo intelligere. Vult enim hac libri inscriptione significare, Reges & Principes insignem plagam accipere, propter quorundam hominū improbitatem. Et ita est. Insignem plagam accipiunt ab ipso Grasero, qui toto suo volume id potissimum contendit, Pontificem Romanum esse Antichristum; & omnes Pontifici Romano adhærentes, esse Antchristianos. Nunc autem constat, plerosque Reges & Principes adhærere Pontifici in causa religionis ac fidei; vt Imperatorem, Reges Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Archiduces Austriæ, Duces Bauariæ, Lotharingiæ, Burgundiæ, Brabantia, Franconiæ, Hetruriæ, Principes Electores, Moguntinum, Treuirensim, Colonensem, & alios complures. Igitur hi omnes à Grasero pro Antchristianis habentur. An non insignis hæc plaga est?

2. Velim tamen à Grasero disertè intelligere, quinam illi Reges sint, in quorum gratiam Plagam Regiam conscripsit? An illi, qui iam nominati sunt? an potius Rex Britanniæ, cui Plaga Regia dedicata est?

Vtrique sanè, & actiūè & passiūè se habent in hoc negotio. Priores quidem actiūè, quia iustè persequuntur Caluinistas: passiūè, quia à Grasero Caluinista habentur pro Antichristianis, ut dictum est. Id multo clarius est in Rege Britanniæ. Is enim insignem plagam immisit Caluinistis, quando eos in sua monitoria præfatione, appellauit hæreticos, furiosos, incendiarios, & efferis latronibus deteriores. Et iam ante, luculentam plagam à Caluinistis acceperat, quando in utero materno, vitæ ipsius insidiati sunt, antequam in lucem ederetur.

C A P V T I V .

*Quid argumenti tractet author
Plagæ Regiæ?*

1. **E**xpli cat ferè totam Apocalypsin B. Ioannis. Et potissimum persequitur septem Epistolas, quæ scriptæ sunt ad totidem Ecclesias Asiaticas; septem Sigilla, quæ à nemine, nisi ab Agno, aperi poterant; septem Tubas, quæ à totidem Angelis inflatae sunt, & septem Phialas, quæ à septem Angelis effusæ. His omnibus contineri ait varia Plagatum genera, quæ Ecclesia nunc patitur ab Antichristo, & iam ante ab illius præcursoribus passa est. Et in hunc scopum omnia dirigit, ut ostendat, Papam esse Antichristum: & omnes Plagas à Papa in Ecclesiam & Christianos Reges ac Principes deriuari.

2. Atque hæc est summa totius operis, quod speciatim diuiditur in tres tractatus. Primus inscribitur, *Hypothesis Plagæ Regiæ*. Secundus, *Historia Plagæ Regiæ*. Tertius, *Illustratio Plagæ Regiæ*. In Hypothesi explicat Graserus,

Graſeruſ ſeptem Epiftolas, ſeptē ſigilla, ſeptem tubas, &c. inque priores phialas: in Historia, ſextam & ſeptimam phialam, & multa ali: de Dracone, bestia, & pfeudopropheta. Hæc antem explicatio, ut ſupra inſinuaui, in eum finem ab eo iuſcepta eſt, ut populo ſcilicet perſuadeat, Pontificem Romanum eſſe verum Antichriſtum. Et hoc iplum conſirmat in tertio Tra-
tatu, id eſt, in illustratione Plagæ Regiæ. At quomo-
do conſirmat? Non aliter, quam nocturna quadam
viſione, quam dicit F. Nicolao, Heluetio Eremitæ di-
uinitus obtigiffe. Ea ſecundum Graſerum ſic habet.

Viſio Nicolai Eremitæ ſecundum Graſerum.

3. Apparuit F. Nicolao ſplendens ac perlucidus cir-
culus, ſeu rotundus campus, in quo inleſum erat ca-
put Papale, redimitum trifido diademate; & in eius fa-
ſtigio, orbiculus cum cruce. Facies illius capitis erat
rubicunda, vultus atrox & valde minax, frons corrugata,
truces & micantes oculi, barba hirsuta, cana, &
in tres cirros diſcreta, ſuperius labrum myſtice pro-
minente ferocienſ. Ex circumferentia circuli tres gla-
dij tendentes in faciem Papæ; quorum primus ex
imo circuli, per barbam Papæ, in oſ eius ingredieba-
tur: reliqui duo ab vtroque latere oculos fodicabant.
Contra hos tres gladios, alij totidem ex ipſo capite
Papali exibant; quorū duo ex naribus, verſus vtrum-
que circuli latus tendebant; tertius ex fronte ſurſum
portigebatur.

Interpretatio viſionis ſecundum Graſerum.

4. Hanc viſionem interpretatur Graſeruſ hoc mo-
do. 1. Splendens & pellucidus campus eſt Ecclesia Pa-

pistica , seu totus ille terrarum campus, in quo Papa dominatur . 2. Triplex diadema impositum capit Papali, significat triplicem potestatem , seu tyrannicem Papæ . 3. Facies rubicunda, vultus atrox & minax, frons corrugata, truces & micantes oculi , significant illius sauitiam & crudelitatem, quam exercet in pios Caluinistas . 4. Barba hirsuta, designat syluam traditionum, quæstionum, & legum Pontificalium , ac supellec̄tilis templariæ . 5. Tres cirri barbæ, sunt Scholastici, Canoniſtæ, Monachi. Neque huc propriè spectant Iesuitæ, qui potius sunt quinta Essentia ex illis omnibus distillata . 6. Tres gladij ex circulo in caput Papale tendentes, sunt reformati seu Euangelici , qui Papatum oppugnant . 7. Tres alij, ex capite Papali versus circulum egredientes, sunt Catholici, qui Papatum defendunt. Et quidem duo illi, qui ex naribus procedunt, representant duplēm Papæ iurisdictionem ordinariam, nempe spiritalem & temporalem; eoque spectant omnes Pontificij , qui haec tenus ordinariè pro Papa pugnarunt. At tertius, qui ex fronte sursum ascendit, designat Iesuitas, qui subtilitate & acumine plus aliis valent ; & sunt quasi extraordinarij & priuilegiati Papæ defensores. Porrò , quod utrinque sint tres gladij, nec plures pro Papa, quam contra Papam ; manifestum signum est, Pontificios & reformatos pari conatu inter se contendere ; & æquali ferè numero, hos Papam oppugnare, illos defendere.

Vilitas visionis.

5. Ex hac sua interpretatione concludit Graserus, quod vult, nempe Papam esse Antichristum ; & omnes plagas, quibus Ecclesia diuinitus punitur & affligitur, à Papa, tanquam vero Antichristo , prouenire.

Si

Si totam rem in syllogismum coniicias, emerget hoc arguentum: Quidquid nocturna visio F. Nicolai Hesceij, iuxta Graseri interpretationē significat, hoc sine dubio credendum est, & à serenissimo Britanniae Rege, tanquam fidei verè Catholicæ propagatore ac defensore, pro articulo reformatæ religionis acceptandum. At illa visio, iuxta Graseri interpretationem, (tantoperè ab Eusebio commendatam) significat, Papam esse Antichristum: Ergo sine dubio hoc credendum est, & à serenissimo Britanniae Rege, tanquam fidei verè Catholicæ propagatore & defensore, pro articulo reformatæ religionis acceptadum. Atque hæc est medulla & succus Plagiæ Regiæ.

C A P V T V.

Quo spiritu à Grasero scripta sit Plaga Regia?

1. R ECTÈ nos monet Apostolus 1.Ioan.4.1. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Causam addit: *quia multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Multi iactant, se habere Spiritum Dei, qui tamen agitantur spiritu vertiginis & mendacij. Igitur opus est discretione spirituum, quam non omnes habent. Habuerunt illam Apostoli & Prophetæ, qui sciebant, se scribere dictante Spiritu sancto, quæ scribebant. Habuit Lutherus, qui sciebat, à diabolo suggeri sibi argumenta contra sacrificium Missæ. At non habuit Zwinglius, qui dubitabat, atque an albus esset spiritus, qui illa verba, *Hoc est corpus meum*, metaphoricè intelligenda esse, inspirauit.

2. Quid dicemus de Grasero? quo ille spiritu dictante, scriptit Plagam Regiam? Scio Caluinistas, inter quos Graserus est, solitos esse gloriari de quodam priuato spiritu,

spiritu, cuius interna testificatione hæc duo beneficia
 consequuntur se aiunt. 1. quod certi sint de sua prædictatione & vita æternâ. 2. quod infallibiliter norint & scer-
 nere inter Scripturas diuinâs & non diuinâs. Ab hoc
 spiritu vocant se *Theos doctos*, id est, à Deo doctos, quia
 scilicet per hunc priuatum spiritum docentur imme-
 diatè à Deo, quod sint filii Dei, & quod hæ scripturæ
 pro canoniciis admittendæ sint, illæ respuendæ. De hoc
 spiritu multa dixi in Libello de Circulo Caluinistico,
 contra Davidem Pareum Caluinistam Heidelbergensem.
 Neque hoc loco de eo agimus; duplii de causa.
 Primò, quia constat, esse spiritum mendacij & erroris,
 iuxta illud 1. Ioan. 2. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & man-
 data eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.*
 At Caluinistæ, quando loquuntur ex instinctu priuati
 spiritus, dicunt, se nosse Deum, & esse filios Dei; & ta-
 men mandata eius non custodiunt, quia dicunt ea esse
 impossibilia: Ergo Caluinistæ, quando loquuntur ex
 instinctu priuati spiritus, mendaces sunt, & veritas in
 eis non est. Secundò quia priuatus hic spiritus, præter-
 quam quod mendax sit, non pertinet ad nostrum in-
 stitutum. Non enim disputamus, an Graserus in Plaga
 Regia interpretatus sit Apocalypsin ex instinctu priua-
 ti spiritus, necne? Constat non ita esse. Alioqui, cum
 hic spiritus communis sit omnibus Caluinistis, omnes
 potuissent Apocalypsin interpretari, non minus fæli-
 citer quam Graserus; cum tamen, ipso testante, se cu-
 res habeat. Vult enim, neminem hactenus penetrasse
 mysteria, quæ in Apocalypsi reuelata sunt: Et sibi soli
 hanc laudem reseruatam esse, non obscurè significat.
 3. Debet igitur hic esse status quæstionis, an præter il-
 lum priuatum spiritum, qui omnibus Caluinistis com-
 munis est, detur aliquis alius, qui speciatim & quasi ex-
 traordinariè concessus sit Grasero in explicanda pro-
 phetia

phetia Apocalypsis? Vel, quod eodem recidit, An Græsus, tanquam nouus Eliæus habeat duplicitum spiritum; vnum communem cum aliis Calvinistis, cuius instinctu certus sit, se esse filium Dei: alterum sibi proprium ac peculiarem, qui veram interpretandi rationem illi inspirarit? Difficilis quæstio: de qua ita sentio. Nouum & extraordinarium spiritum Græsero datum esse, non à Deo, sed aliunde. Nouus sanè est, quia antiqui interpres illum non habuerunt. Nemo unquam eo sensu interpretatus est Apocalypsin, quo Græserus. Extraordinarius est, quia præter communem ordinem vni Græsero communicatur. A Deo tamen non est; quod histribus argumentis ostendo.

I. ARGUMENTVM.

Quod spiritus Græseri non sit à Deo.

4. Spiritus Dei non solet dictare mendacia, conuictia, scurrilitates. At Græserus in Plaga Regia scribit multa mendaçia, conuictia, scurrilitates, ut supra ostensum est: Non ergo ex Spiritu Dei id facit, sed diaboli. Nam Spiritus Dei in eo distinguitur à spiritu diaboli, quod hic mendacij, ille veritatis sit author & inspirator. De altero intelligitur illud 4. Reg. 22. 22. *Ego spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Et Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis, qui in veritate non stetit.* Cum loquiur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. De altero vero illud, Ioan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & dabit vobis Spiritum veritatis.* Et cap. 15. 26. *Mittam vobis à Patre spiritum veritatis.* Igitur Græserus inter illos computandus est, de quibus prædixit Apostolus 1. Timoth. 4. 1. *Spiritus manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.* Et quem fructum sperare inde potest? Audi Prophétiam Psal. 5. 7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

eiūm. Idem est fructus conuitiorum & scurrilitatis,
Matth.5.23. Ephes.4.

II. ARGUMENTVM.

5. Quod à Deo inspiratur, non debet haberi pro probabili tantum coniectura, sed pro certa & infallibili veritate: At omnia ferè, quæ Graserus adfert in Plaga Regia (exceptis mendaciis, conuitiis, & scurrilitatibus) sunt probabiles tantum coniecturæ: Ergo non sunt inspirata à Deo. Maior clara est. Minorem concedit Graserus cum Eusebio. Nam alter fatetur, se meras coniecturas adferre; alter eas approbat & collaudat. Verba Graseri sunt hæc: *Ex Prophetæ contextu non desunt indicia, ex quibus probabiles coniectura peti possunt.* Item: *Hac meam de temporis momento coniecturam satis, ut spero, probant.* Item: *Coniecturam meam probat materia huius gran-dinis, à Spiritu sancto non frustra descripta.* Item: *Ex capite primo non obscuræ coniectura petuntur.* Hæc & similia habet Graserus ad nauseam. Cui identidem Eusebius: *Arguta hæc est coniectura.* Item: *Ne hæc quidem coniectura absurdā est.* Item: *Probabiliter conicīs.* Item: *Et mihi coniectura hæc omnium probatissima videtur.* Item: *Coniectura hæc non adeò absurdā sed tamen nihil amplius, quam coniectura est.* Item: *Dicerem, ne hanc quidem coniecturam valde absurdā esse, si paulo certiori fundamento niteretur.* Item: *Vnde tu vero hoc conicīs?* Item: *Coniectura hæc mihi satis adhuc infirma, & insuper obscura videtur.* Item: *Hac tamen, non nisi nudæ coniecturae sunt.* Vno verbo, omnia coniecturis aguntur. Et ausim asserere, toties repeti nomen *Coniectura*, ut ex eo solo repetito, libellus confici possit.

6 Dices; Coniecturæ sèpè sunt à Spiritu sancto, ut patet in coniecturis Iosephi & Danielis: Ergo saltem non omnes respuendæ sunt. Respondeo: Neque nos omnes

omnes respuimus. Sed neque omnes admittimus. Igitur iudicio opus est. Ut hoc clarius intelligatur, notandum est, varias esse coniecturas, quæ tamen ad quinque capita reuocari possunt. 1. quædam immediatè suggeruntur à Deo. 2. aliæ à diabolo. 3. nonnullæ sumuntur ex signis naturalibus. 4. multæ ex signis moralibus. 5. nec paucæ ex apprehensione seu phantasia alicuius priuati hominis. Itaque aliæ sunt diuinæ, cuiusmodi fuerunt Iosephi & Danielis, Gen. 40. & Dan. 2. Aliæ diabolicæ, cuiusmodi fuerunt Ariolorum, magorum & maleficorum apud Chaldæos, Dan. 2. Aliæ naturales, cuiusmodi sunt Mathematicorum, qui ex signis & dispositionibus naturalibus coniiciunt de futura pluvia vel serenitate, Matth. 16. 3. Facto vespere dicitis: Serenum erit: rubicundum est enim cœlum. Et manè: Hodie tempestas; rutilat enim triste cœlum. Eodem spectant coniecturæ Medicorum, qui ex varia corporum & humorum dispositione coniectant de statu valetudinis. Aliæ morales, cuiusmodi sunt virorum prudentium, qui ex moribus & vita aliorum sæpè coniiciunt, qualis quisque euasurus sit. Aliæ denique phantasticæ, cuiusmodi sunt eorum hominum, qui aut fantasiam habent læsam, aut opiniones præconceptas, aut iudicium perturbatum, aut pertinax propositum persistendi in sententia. Sub quo genere continentur Lunatici, febricitantes, hæretici, & similis farinæ homines.

7. Iam, ut ad propositum redeamus, Graferi coniecturæ diuinæ non sunt. Hoc patet ex citatis illius & Eusebij verbis. Aiunt enim esse coniecturas *nudas*, *probabiles*, *infirmas*, *obscuras*. Et nihil aliud, quam coniecturas; neque certo niti fundamento: quod de diuinis dici non potest. Accedit, quod sæpe sint ineptissimæ, quas ne Eusebius quidem probare ausit. Cuiusmodi est illa, qua conatur efficere, per xxiv. seniores (quorum

rum fit mentio Apocal. 4. & sēpē alibi) intelligi oportere Canonem librorum veteris Testamenti, vē certè Scriptores illorum. Est autem hēc coniecturā. Ioannes cap. 10. v. 7. citat aliquid ex veteri Testamento, cūm ait: *In diebus vocis septimi Angeli, cūm cōperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei*, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas. Ergo coniici potest, per 24. seniores intelligi canonem veteris Testamenti. Quis non rideat hanc coniecturam? Et tamen argutam esse vult Eusebius. Sed patum argutē. Nisi & hanc argutam esse velit. Ioannes cap. 10. v. 7. citat aliquid ex veteri Testamento: Ergo coniici potest per quatuor animalia (quorum etiam fit mentio cap. 4.) intelligi Canonem veteris Testamenti. Et similiter hanc: Christus in Euangēlio citat multa ex veteri Testamento: Ergo coniici potest per duodecim Apostolos, de quibus in eodem Euangēlio agitur, intelligi Canonem veteris Testamenti. Apage cum istis coniecturis. Et quis credat diuinās esse?

8. Sed neque naturales aut morales sunt. Non enim ex signis & dispositionibus naturalibus, nec item ex vita & moribus præsentibus coniecat Græterus, per 24. seniores intelligi Canonem veteris Testamenti, & per quatuor animalia, canonem noui Testamenti; & per mare vitreum, Scripturam sine Traditionibus, & per duos testes, Ioannem Hussium & Hieronymum Pragensem; & quæ similia sunt. Vnde ergo? Multa conciicit ex Scripturis perperam intellectis; multa ex præconceptis opinionibus; multa ex odio in Catholicos seu Pontificios; multa ex propria phantasia & imaginatione. Vnde necesse est, si non diabolicas, saltem phantasticas esse ipsius coniecturas.

H I. A R G V M E N T V M.

2. Qui in docendo & interpretando sibi ipsi contrarius

rius est , non docet & interpretature ex instinctu Spiritus sancti : Graferus in docendo & interpretando sibi ipsi contrarius est : Ergo non docet & interpretatur ex instinctu Spiritus sancti. Maior patet ex illo 1. Corinth. 14. 33. *Non est dissensionis Deus , sed pacis.* Minorem probo triplici exemplo , multis aliis prætermissis. Primum est , quia Graferus docet , plagas Apocalypticas ita sibi inuicem succedere , ut priores non cessent , superuenientibus posterioribus , sed potius intendantur & augeantur. At postea contrarium docet. Nam in explicatione phialarum dicit , per quintam phialam intelligi tenebrosam ignorantiam , quæ fuit in Papatu tempore Concilij Constantiensis. Mox adit , sub phiala sexta venisse Iesuitas , qui studio & doctrina plus omnibus profecerint , & Papatum illustratint. Si ita est , ergo tenebrosa ignorantia Papatus , quæ erat plaga quintæ phialæ , non est intensa & aucta , superueniente plaga sextæ phialæ , sed vel omnino sublata , vel certè valde immunita. Ergo falsum est , quod antè dixit , priores plagas intèdi & augeri per accessum posteriorum.

10. Alterum est , quia ponit hoc discrimen inter plagas sigillorum & plagas tubarum , quod hæ sint spirituales , & Ecclesiæ vitalia , id est , fidem & doctrinam corruptant : illæ externæ & corporales (ut pestis , famæ , persecutio , terræ motus) quæ potius purgant & vegetiorem faciunt Ecclesiam. At paulò post dicit , plagas priorum tubarum esse externas , & non corruptere fidem , sed tantum externa fidei instrumenta : plagas vero posteriorum tubarum esse internas , & corruptere ipsam fidem. Hinc colligo has duas contradictorias propositiones. Prior est , omnes plagæ tubarum sunt spirituales , & corruptunt vitalia Ecclesiæ. Posterior ; aliquæ plagæ tubarum non sunt spirituales ; nec corruptunt vitalia Ecclesiæ.

11. Tertium est, quia dicit, ad clangorem quintæ tubæ proſiliſſe locutas ad vexandam Christi Eccleſiam. Et per locutas intelligi quatuor hominum genera. 1. Clerum inferioris ordinis. 2. Doctores Scholasticos & Canonistas. 3. Religiosos Monachos. 4. Iesuitas, quos ait præ omnibus eminere. At paulò post dicit, Iesuitas ortos esse sub sexta phiala. Quomodo ergo verum est, proſiliſſe ad clangorem quintæ tubæ? Nam inter quintam tubam & sextam phialam, iuxta Graseri computatum, multi anni intercesserunt. Vel ergo necesse est Iesuitas proſiliſſe in Eccleſiam, multis annis, antequam nati eſſent, quod eſt inſigne paradoxum; vel Graserum aperte ſibi contradicere, quod veriſſimum eſt. Omitto ſimiles contradictiones, quæ plurimæ ſunt. Nam ex his paucis facile intelligis, doctrinam Graseri à Deo non eſſe.

C A P V T . V I .

Quām certa sit doctrina Plagæ Regiæ?

1. **D**octrina Plagæ Regiæ, ut ſupra dixi, continent interpretationem Apocalypſis. Igitur quæſtio eſt, quām certa ſit hæc interpretatione. Ne ipſe quidem Graserus, aut Eusebius auſit affirmare, omnino certam eſſe. Ego verò planè incertam, fallacem, & quod amplius eſt, falſam eſſe contendō. Quod quidem ex dictis facile probari potest his tribus argumentis. 1. quia continent multa mendacia & conuitia. 2. quia nititur meris coniecturis. 3. quia ſibi ipſi contraria eſt. Addo hæc noua arguments. 1. quia repugnat communi consensui aliorum Interpretum. 2. quia fundatur in falſo principio. 3. quia non aliter probatur & illuſtratur à Grasero, quām nocturna viſione Nicolai Heluetij. 4. quia contradic-

tradicit Regi Britanniae, quem tamen agnoscit defensorum Catholicæ fidei. De his singulis dicam breuiter.

I. ARGUMENTVM.

2. Qui discedit à communi sententia omnium aliorum Interpretum, tam antiquorum, quām recentium, fateri debet, vel se errare, vel omnes alios : Graserus in explicanda Apocalypsi discedit à communi sententia omnium aliorum Interpretum, tam antiquorum, quām recentium. Ergo fateri debet, vel se errare, vel omnes alios. Non posterius : Ergo prius. Maior per se nota est. Minorem concedit Graserus. Nam in Præfatione Plagæ Regiæ sic ait: *In horum mysteriorum explicatione ita versatus sum, ut antiquos, sicut & recens positos Interpretum limites aliquoties transgressus sim. Non aliquoties tantum, sed ubique ferè. Nam post pauca ita pergit: In istarum rerum applicatione, meo quodam iudicio, ut paulo ante indicatum est, usus sum, ut nullius hominis authoritatem mihi passus sim prescribere.* Ne quidem sanctorum Patrum ? Non, inquit: Nam præstantissimos etiam Patres impegiisse constat.

3. Igitur Graserus in explicanda & applicanda Prophetia Apocalypsis, usus est suo solius iudicio, & aliorum omnium, tam antiquorum, quām recentium Interpretum limites transgressus est. Quid ergo de ipso statuendum? Alterutrum sanè è duobus: aut insigniter superbū ac arrogantē esse, qui omnibus fastuosè contemptis, solus sapere videri vult; aut speciatim à Deo illuminatum, qui ea mysteria penetrarit, quæ ab omnibus aliis sunt hæc tenus ignorata. Certè ab arrogantiā hominem excusare non possum. Sic enim inter cætera scribit. *Video plerosque fanaticos cum suis opinionibus, se sub istarum visionum obscuritate tanquam denso ve-*

14

preto occultare, & latibula querere. E contrario, ex probatis Authoribus vix quisquam mihi satisfacit. Nostrorum vero olim Praeceptorum, de hac ipsa prophetia, valde dura & nihil amplius dicam, iudicia sunt. Perinde est, ac si dicat; Alij omnes, aut fanatici sunt; aut mihi non satisfaciunt; aut nimis dura iudicia habent. Ego, nec fanaticus sum, & omnibus abundè satisfacio; & moderatum iudicium habeo. Nisi fortè sic verius: Alij fanatici sunt; ego lunaticus: alijs mihi non satisfaciunt, ego nemini: alijs habet dura iudicia, ego stulta & temeraria. Et sic res habet.

I I . A R G U M E N T V M .

4. Illa doctrina & Interpretatio non potest esse vera, quæ fundatur in falso principio: Tota Graseri doctrina & interpretatio Apocalypticæ fundatur in falso principio: Ergo non potest esse vera. Maior per se patet. Minorem probo, quia tota interpretatio fundatur in hac basi, quod putet, plagas Apocalypticas, quæ in septem Epistolis, sigillis, tubis & phialis continentur, eo ordine sibi inuicem succedere, quo à Ioanne recententur; ita ut primo loco eueniant plagæ Epistolarum, deinde sigillorum, mox tubarum, denique Phialarum. Hæc, inquam, est basis totius substructionis Graserianæ. Sic enim loquitur: *Notari velim, res Apocalypticas statim ab illarum reuelatione in mundo operari coepisse: ea videlicet ratione, ut ab eo tempore cursum suum ad nos usque, motu successivo peregerint.* Et iterum: *Omnino puto, Ioannem continuata temporis serio, integrum historiam scribere.* Et paulo post: *Sigilla Tubas, tubæ phialis ex se pariunt, ita ut precedentes plague vliuum instrumentum, sequenti aditum parefaciat.* Et rursus: *Hæ plagæ, ratione ortus & immisionis, una post alteram sibi inuicem succedunt.*

5. At hæc basis infirma est. Nam Ioannes in prædicendis futuris euentibus, non seruat ordinem temporis & successionis, sicut historici faciunt; sed iustarum aliorum Prophetarum, saepe ea prius recenset, quæ posterius euentura sunt; & vicissim ea posterius recenset, quæ prius euentura sunt. Hoc manifestè patet ex cap. 11. v. 15. vbi in plaga Tubæ septimæ refert ea, quæ post mortem Antichristi, circa diem iudicij euentura sunt. Sic enim habet: *Septimus Angelus tuba cecinit, & factæ sunt voces magna in cælo, dicentes: Factum est regnum huius mundi, Domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum, Amen.* Et 24. seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: *Gratias tibi agimus Domine Deus omnipotēs, qui es, & qui eras, & qui venturus es; quia accepisti virtutem tuā magnam, & regnasti.* Et irata sunt Gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum pusillis & magnis.

6. Hæc omnia pertinēt ad diem iudicij. Tunc enim perfectè regnabit Christus in hoc mundo, (1. Corinth. 15. 24. & Hebræor. 2. 8.) tunc iudicabuntur mortui, & quisque pro suo merito accipiet retributionē. Et hoc est, quod idem Ioannes prædixit cap. 10. v. 7. *In diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consumbitur mysterium Dei.* Quid clarius? Et tamen post vocem septimi Angeli sequuntur septem phialæ, in quibus multa prædicuntur, quæ secundūm Graserum, iam re ipsa transierunt. Falsum ergo est, quod fundamenti loco ponit Graserus, Ioannem in plagiis recensendis seruare ordinem temporis & successionis. Et communis Prophetarum mori contrarium est. Solent enim in futurorum prædictionibus ea saepe coniungere, quæ ratione temporis maximè inter se distant: & ab eo, quod in manu habent, repente ad ali-

quid remotissimum , quasi impetu quodam abrepti , transuolare ; ut passim videre est in Isaia, Ezechiele, & aliis. Quod etiam fecit Christus, Matth. 24. ubi a sompto Prophetæ officio, immediatè coniunxit extremum diem iudicij cum excidio urbis Hierosolymitanæ, que tamen temporibus disfunctissima sunt. Simile quid Ioannem fecisse, certum est.

III. ARGUMENTVM.

7. Qui suam doctrinam, interpretationem & conjecturas non aliter probat & illustrat , quām incerta visione vnius hominis , quem habet pro idololatra & Antichristiano ; illius doctrina , interpretatio & conjecturæ non possunt esse certæ , sed potius suspectæ: Graserus suam doctrinam, interpretationem & conjecturas non aliter probat & illustrat , quām incerta visione Nicolai Heluetij, quem habet pro idololatra & Antichristiano: Ergo doctrina, interpretatio & conjecturæ Grafferi non possunt esse certæ , sed potius suspectæ. Maior est perspicua. Minor habet duas partes. Prior est, quod visio Nicolai, qua Graserus probat & illustrat suam interpretationem & conjecturas, sit incerta. Posterior , quod Graserus eundem Nicolaum habeat pro idololatra & Antichristiano.

8. Priorem sic probo : Graserus circa illam visionem tria supponit , in quibus fundatur tota ipsius probatio seu illustratio. Primo, quod facta sit eo modo, quo ab ipso recenseretur. Secundo , quod à Deo facta sit. Tertio, quod ipse veram eius interpretationem sit assertus. At hæc omnia dubia & incerta sunt. Ergo tota probatio dubia & incerta est. Singula ostendo. Primo, incertum est , an visio eo modo contigerit, quo à Grasero describitur. Hoc ipsummet fateur in persona Eusebij

sebij his verbis: Pontificij eam aliter, aliter alijs exprimunt & depingunt. Et paulò post in propria persona: Ego non nisi unam apparitionis istius picturam, & descriptionem viae, quam ex Carolo Bouillo Lutherus, & post hunc alijs producunt, quorum vestigiis me insistere fateor. Igitur cum visio illa seu apparitio, quæ Nicolao Heluitio facta esse dicitur, variis modis describatur & pingatur: Graserus eam descriptionem & picturam eligit, quam Lutheru placuisse videt. At, vnde constat, hanc veram esse præ cæteris? Quid si cæteræ verae sint, hæc falsa? Secundò incertum est, vel saltem Graserus certò sibi persuadere non potest, visionem illam, quounque modo factam, à Deo oblatam esse. Nam ipse, sicut & cæteri Caluinistæ, solet ridere visiones Monachorum in Papatu; nec eas aliter, quam somnia & illusiones appellat. At Nicolaus, de cuius visione agitur, fuit eremita in Papatu, ut paulò post ostendam: Ergo Graserus visionem illi factam, non aliter quam somnium & illusionem appellare potest. Hinc vterius sequitur, incertam esse Graseri interpretationem, dupli de causa. Primò, quia incertum est, an illa sit vera forma visionis, quam Graserus interpretatur: Ergo interpretatio non potest esse certa. Secundò, incertum est, an visio à Deo oblata sit. Ergo non potest constare, interpretationem à Deo esse. Et si à Deo non est, ab alio spiritu esse, necesse est. De quo viderit Graserus coniector.

9. Posteriorem partem sic probo. Graserus habet omnes Pontificios pro idololatriis & Antichristianis, ut patet ex tota Plaga Regia; sed Nicolaus Eremita, de quo agimus, fuit Pontificius: Ergo Graserus habet illum pro idololatra & Antichristiano. Quomodo ergo ex eius visione probare vult suam doctrinam & interpretationem? Minor patet ex Ioanne Trithemio, qui vixit eodem tempore cum Nicolao Eremita; & de eo

sic scribit, homil. 15. de abstinentia & iejunio Monachorum: *Est apud Heluetios homo Nicolaus nomine, cuius abstinentia totius Germaniae homines convertit in admirationem;* & hodie in ore omnium cum sanctitatis titulo nominatur. Is quondam ruricola in quodam Heluetiorum vico existens, more paganorum inter quatuordecim ius dicere consuevit, altercantibus villanis. Contigit eum quodam tempore sententiam sociorum non posse renocare, quam putabat ini quam metuensque salutis anima sua periculum, relictis domo, uxore, filiis, & cunctis mundi negotiis ac rebus, solus in vicinum nemus secessit pro Dei amore, in quo vita solitarius agit. Et ecce, annus hodie vicesimus est, ex quo solitudinem ingressus, cibū non sumpsit humanū. Omnibus notissima loquor, nec hominē in Germania viuere puto, qui famā huius miraculi non audierit. Et ne quis forsitan in posterum simulatione deceptus non credat, Heluetios una cum Presule Constantiensis Ecclesia in testimoniu citamus, qui mores & vitam eius curiosissime obseruat. Acutissimus ingenio vir est, qui cum sit literarum penitus ignarus, tamen quasi alter Eremita quondam Antonius, sensum optimè callet Scripturarum. Vidi mus, quæ disertissime cum quodam disputauit Magistro de Sacramēto Altaris. Hucusque Trithemius.

10. Ex quo testimonio tria colligo. Primo, Nicolaum fuisse Pontificium; quia Ioannes Trithemius, qui sine dubio erat Pontificius, laudat illum à sanctitate, quod alias nō erat facturus. Nec in Helvetia, sub Episcopo Constantensi, tunc vlli erant, nisi Pontificij. Secundo, eundem Nicolaum non sine grandi miraculo per viginti annos ab omni cibo abstinuisse. Tertio, fuisse hominem acutissimum, & de Sacramento Altaris optimè disseruisse. Nunc quero, an credit Graserus hæc vera esse? Si credit, cur insectatur Pontificios, quorum sanctitatem, abstinentiam, & sanam doctrinam de Eucharistia negare non potest? Si non credit, quæ causa

causa est, cur credat, eidem Nicolao visionem diuinitatem oblatam esse? Nisi dicat, se priora non credere, quod à Trithemio, qui Pontificius fuit, narrata sint. Bene habet. Sed quis primum narrauit visionem, quæ Nicolao facta est? Non Caluinista aliquis. Nulli tunc erant Caluinistæ. Si ergo Catholicus, cui credit Catholicus de visione narranti, & non credit Catholicus, sanctitatem, abstinentiam, & sanam doctrinam commendanti?

I V. A R G U M E N T V M.

II. Qui in rebus ad fidem Catholicam pertinentibus contradicit defensori & propagatori fidei Catholicæ, is non rectè ac legitimè facit. Graserus in rebus ad fidem Catholicā pertinentibus contradicit Regi Angliæ, quem fidei Catholicæ defensorem & propagatorem agnoscit: Ergo Graserus non rectè ac legitimè facit. Minor probari potest variis exemplis. Ego hoc unico, quod omnium instar est, contentus ero. Rex Angliæ dicit, se esse caput & primatè Ecclesiæ Christi in Anglia: ac proinde propria autoritate posse synodū convocare, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, controversias dirimere, beneficia conferre, Episcopos creare & deponere; uno verbo, omnia moderari, quæ ad diuinum cultum & religionem pertinent. Et hoc probat exemplo Regum veteris Testamenti, de quibus in Apologia pro iuramento fidelitatis ita loquitur: *Sub veteri Testamento Reges haud dubio gubernatores erant Ecclesiæ intra fines suos: corruptelas purgauere, abusus sustulere: arcam ad constitutum quietis locum perduxere: arcæ deportandæ ipsi præsultauere: Tempulum adificauere, & sua presentia opus consecrationis colonestarunt: Librum legis è tenebris erutum populo recitari fecerunt:*

fecerunt : fædus inter Deum populūmque redintegrarunt: confregere serpentem æneum, quāvis & diserto Dei mādato erectum, & Christum Dominum suo modo figurātem: idola omnia, Deosq; falsos exterminauere: reformationes publicas instituere, conuocatis eo fine, & cōgregatis promiscuè Sacerdotibus & laicis: exauctiorauerūt summū Pontificem, aliūmque in eius locum subrogauerūt. In summa, cuncta moderati sunt, quæ ad Ecclesiasticū regimen quoquo modo pertinuerūt.

12. Atque hoc est vnum ex præcipuis punctis fidei ac religionis in Anglia. In quo necessariò supponit Rex, Ecclesiam Christi terris conspicuam ac visibilem esse. Nam si caput est visibile, etiam reliqua membra visibilia: si Pastor visibilis, etiam oves visibles. Alioqui monstrosa foret Ecclesia, si caput quidem esset visibile, sed membra inuisibilia: si Pastor visibilis, sed oves inuisibiles. Et quos, obsecro, ad synodum conuocaret Rex, si Ecclesia esset occulta & inuisibilis? fideles, an infideles? Non vtique fideles, quia occulti essent, & inuisibiles. Nec infideles, quia non est caput infidelium.

13. In hoc pūcto Graserus opponit se Regi Angliæ. Vult Ecclesiam Christi occultam & inuisibilem esse: Eosque, qui visibilem esse contendunt, miris modis exagitat. Ait inexcusabiles esse, & pertinaces; lucis cōspectum fugere, & à Deo excœcari. Quid hinc sequitur? Nihil aliud, quā Regem Angliæ ex sententia Graseri inexcusabilem esse & pertinacem; lucis conspectum fugere, & à Deo excœcari. Quomodo ergo, secundum Graserum, Catholicae fidei defensor & propagator esse potest? Aut sanè, si illius defensor & propagator est, quomodo Graserus audet illi tam apertè in te seria contradicere, & tam grauem sententiam in eum pronunciare?

14. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, ita cōcludo: Qui in docendo & interpretando nihil aliud adfert, nisi menda

mendacia, conuitia, scurrilitates, inanes coniecturas, incertas visiones; & præterea contradicit defensori ac propagatori fidei Catholicæ; eius doctrina & interpretatio nullo modo probanda est. Graserus in docendo & interpretando nil adfert nisi mendacia, conuitia, scurrilitates, inanes cœiecturas, incertas visiones; & præterea contradicit Regi Angliæ, quem agnoscit defensorem & propagatorem fidei Catholicæ: Ergo Graseri doctrina & interpretatio nullo modo probanda est.

C A P V T V I I .

Quo loco habenda sit Plaga Regia?

1. **E**x triplici capite æstimari solet, quo loco liber seu Tractatus aliquis habendus sit. 1. Ex Authore. 2. Ex materia, quam tractat. 3. Ex modo tractandi materiam. Primò enim quæritur, quis & qualis sit Author? doctus, an indoctus? probus, an improbus? veri, an falsi amans? Deinde, in qua materia tractanda versetur? sacra, an prophana? seria, an ludicra? sublimi, an humili? rara, an vulgari? Denique, quomodo deducat & illustret materiam, quam tractat? solidis, an infirmis argumentis vtatur. Et sic deinceps.

2. Nunc singula applicemus. Primò, Author Plagæ Regiæ est Conradus Graserus, homo Caluinianus, mendax, conuictior, scurrilis, qui omnes alios contemnit, & de se solo magnificè loquitur ac sentit. Secundò, versatur in meris coniecturis tractandis. Tertiò, non aliter eas probat & illustrat, quam incerta visione Nicolai Heluitij. Hinc collige, quo loco habenda sit Plaga Regia, quæ à Grasero scripta est.

3. An ergo, inquies, ad nihil vtilis est Plaga Regia? Omnipotens est. Tametsi enim multi hactenus reperti sunt,

sint, qui facilem & expeditum mentiendi ac conui-tandi modum tradiderunt (apud Calvinistas) nemo tamen coniectandi, & visiones interpretandi, facilior-rem rationem ac methodum inuenit, quam Graferus in Plaga Regia. Et ne dubites, ex ipso formam seu pa-radigma hic apponam.

Paradigma coniectandi ex Grafero.

4. Quid intelligit Ioannes in Apocalypsi per 24. se-niores? Canones librorum veteris Testamenti. Vnde hoc coniicis? Quia citat aliquid ex libris veteris Testa-menti. Quid per mare vitreum, simile crystallo? Verbum Dei purum, non permixtum traditionibus. Vnde coniicis? Quia per maris puritatem vivunt animalia, per impurita-tem moriuntur. Quid per Iridem, similem Smaragdo? Iudiciorum Dei constantem veritatem, & immutabilem iu-stitiam. Vnde coniicis? Ex contrario, quia colores Iridis mutabiles & inconstates sunt. Quid per duodecim tribus filiorum Israël? Ecclesiam gentilium, que à duodecim Apo-stolis collecta est. Vnde coniicis? Quia illi soli sunt pecu-lium Christi. Quid per duas tribus omissas, Dan & Ephraim? Brachium Papæ spirituale & sæculare. Vnde coniicis? Quia Michas fuit ex tribu Dan. & Ierooboam ex tribu Ephraim. Et Michas est typus Papæ in spiri-tualibus; Ierooboam in sæcularibus. Quid per duos te-stes, amictos sacco? Ioannem Husium & Hieronymum Pragensem. Vnde coniicis? Quia Papæ restiterunt. Quid per Locustas? Clerum inferioris ordinis, Doctores Schola-sticos, Canonistas, & diuersos Religiosos, inter quos Iesuitæ eminent. Vnde coniicis? Ex cantu. Quid per stellam de cœlo cadentem? Papam. Vnde coniicis? Quia defecit ab Ecclesia. Argutæ sanè coniecturæ.

Paradigma visiones interpretandi, ex Grasero.

5. Campus rotundus, significat Ecclesiam Romanam. Caput inclusum, Papam. Barba hirsuta, syluam Traditionum. Tres cirri, Scholasticos, Canonistas, Monachos. Facies rubicunda, vultus minax, frons corrugata, truces oculi, sauitiam Papæ & crudelitatem in Reformatos. Tres gladij egredientes ex capite, defensores Papæ. Tres alij egredientes ex circulo, Hostes Papæ. Duo gladij ex naribus, duplicem Papæ iurisdictionem, spiritualem & sæcularem. Tertius gladius ex fronte, acumen Iesuitarum.

6. Ad huius prædigmatis imitationem, quilibet rusticus interpretabitur hoc modo: Campus rotundus significat Ecclesiam Catholicam. Caput inclusum, Romanum Pontificem. Barba cana & hirsuta, venerandam Sedis Apostolicæ antiquitatem. Facies rubicunda, florentem & vegetam in Papatu doctrinam. Vultus minax & truces oculi, iustum in Hæreticos iram. Frons corrugata, seriam ac paternam curam animatum. Duo gladij ex naribus egredientes, duplicem Pontificis potestatem. Tertius ex fronte sursum ascendens, orationes & suspiria ad Deum. Tres gladij ex circulo inuadentes caput Pontificis, conuicia, mendacia, & persecutiones Caluinistarum.

7. Vel certè hoc modo: Campus rotundus repræsentat Ecclesiam reformatam. Caput inclusum, Antichristum. Barba hirsuta, syluam mendaciorum. Tres cirri, Caluinistas, Lutheranos, Anabaptistas. Facies rubicunda, luxuriam Anabaptistarum. Vultus minax & truces oculi, crudelitatem Caluinistarum. Frons corrugata, senium & defectionem Lutheranorum. Duo gladij egredientes ex naribus, mucosa & olida argumenta Lutheranorum & Anabaptistarum. Tertiis

tius egrediens ex fronte sursum , impudentem & superbam Cæluinistarum arrogantiam . Tres alij gladij ex circulo tendentes in caput Antichristi , Doctores Scholasticos , Canonistas & Religiosos .

E P I L O G V S .

HAbes , Beneuole Lector , quid sentiam de Gra-
seri Plaga Regia . Non defuturi sunt alij , qui pro-
lixè eam refutabunt . Mihi satis est , compendio refu-
tasse . Nec plus operæ meretur Author .

I N G R A S E R V M .

*Nulli tu veterum credis , nullique tuorum ?
Et tibi vis omnes credere ? Nemo facit .*

O P V S C V



O P V S C V L V M I I.

DE FIDE DEO SERVANDA.

Vel:

*An Monachi seruent Deo fidem , qui profugiunt
ad Lutheranos & Caluinistas, & ibi
uxores accipiunt.*

1. **M**ALDE vſitatum est hoc tēpore , vt Monachi , quando pertæſi ſunt vitam religiosam , nec tamen audent apud Catholicos extra ſua monaſteria viuere pro ſuo arbitratu ; profugiant ad Lutheranos aut Caluinistas , & ibi quafi priuilegium ac diſpenſationem naſti , excuſſo habitu , & ruptis votorum vinculis , quibus adſtriicti erant , laxiori vitæ operam dent , ac cum primis fæminas ſibi copulent , & mox Euangelij prædicandi officium vſurpent . Sic fecerunt Bucerus , Zwinglius , Pettus Martyr , Pellicanus , Ochinus , Oecolampadius , & innumerabiles alij , qui exemplo Lutheri , deſerto continentia ac religioſa vitæ ſtatū , cui ſponte ſe deuouerant , ad carnales nuptias transferunt ; & ex Monachis mariti ac Prædicantes facti ſunt . Eos alij quotidie imitantur .

2. Eſt ergo quæſtio , an huiusmodi fugitiui Monachi poſſint bona conſciētia , uxores accipere , non obſtan-

te voto continentiae, quo se olim obstrinxerunt. Vel, quod idem est, an censeantur Deo seruare fidem, quam per votum continentiae illi promiserunt? Inuenio tres sententias. Prima est ipsorum fugitiuorum, de quibus questio est. A iunt illi, se recte facere: Et sibi a Deo dictum esse interpretantur illud: *Crescite & multiplicamini.* Imò præcipuam felicitatem ponunt in uxoribus, ut testatur Erasmus in epist. ad Stibarum, ubi refert quendam ex illo hominum genere, Basileæ in publica professione dixisse, *Testamentum Christi est, Crescite & multiplicamini.* Et in epist. ad fratres inferioris Germaniae, ita de illis scribit: *Vbi contigit uxor, occinitur, valete & plaudite.* Et in epist. ad Wilibald. *Duo tantum querunt noui Ecclesiastæ censem & uxorē: cetera prostat illis Euangelium, hoc est, potestatem viuendi, ut volunt.* Huic fugitiuorum sententiae adhaerent omnes Lutherani & Calvinistæ. Omnes eandem cantilenam canunt.

3. Altera sententia est Erasmi, qui ait, se valde mirari, quod Lutherani & Calvinistæ cum suis Monachis fugitiuis, ex una parte iacent, se agi Spiritu Christi; & ex alia tam proclives sint ad carnis voluptates, quasi Spiritus Christi non aliud sit, quam spiritus carnis. Nam in epistola ad fratres inferioris Germanie de iis sic habet: *Quis non iure admiretur, hos nouos Evangelistas non posse viuere sine uxoribus?* Et infra: *Quæ, malum, est ista tanta salacitas? Unde tanta carnis rebellio in iis, qui se iacent agi Spiritu Christi?* Iucundissime vero iocatur in nuptiis Lutheri Monachi cum moniali, in epistol. ad Danielem Mauchium Ulmarum, ubi inter alia sic scribit: *Montini lepidissimis literis nescio an vacet nunc respondere. Nunciabis illi rem latam.* Lutherus, quod faelix faustumque sit, deposito Philosophipallio, duxit uxorē, ex clara familia Borna, puellam eleganti forma, natā annos XXVI. sed indotatam, & qua pridem desierat esse vestalis.

Atque

Atque ut scias, a spicata fuisse nuptias, pauculis diebus post decatum hymenæum, noui nupta peperit. Huic affine est, quod scribit Iustus Baronius in suo opere de præscriptionibus: Lutherus, inquit, heri Monachus, hodie sponsus, eras maritus, perendie pater.

4. Tertia sententia est antiquorum Patrum, & omnium Catholicorum, qui vñanimi consensu docent, huiusmodi homines, qui post votum continentiae ducunt vxores, non modo lasciuos ac salaces esse; vt recte dixit Erasmus, sed etiā perfidos & adulteros, imò adulteris deteriores. Quæ sententia sine dubio verissima est, & his paucis propositionibus explicari potest.

1. *Homo Christianus, antequā sponte delegerit sibi certum vitæ genus, nō tenetur vlla lege naturali aut diuina, vel præcisè contrahere matrimonii, vel seruare perpetuam continentiam; sed, re adhuc integra, potest alterutru eligere, quod vult.*

2. *Si sponte eligit matrimonium, non peccat: si sponte eligit continentiam, etiam non peccat. Vtrumque enim per se licitū & honestum est. Continentia tamen est excellentior matrimonio: Et potest aliquis ad eam seruandam voto se obstringere.*

3. *Postquam aliquis elegit matrimonium, & iam de facto promisit alteri societatem coniugalem, tenetur illi seruare fidem: Nec potest pro suo arbitrio, propter alias difficultates occurrentes, à contractu resilire.*

4. *Similiter postquam aliquis elegit continentiam, & iam de facto promisit Deo vitam cœlibem, tenetur etiam seruare fidem: Nec potest pro suo arbitrio, propter alias difficultates, à voto resilire.*

5. *Qui resilit à matrimonio legitimè contracto, obstringit se peccato perfidiæ, iniustitiæ, adulterij, sacrilegij. Iisdem peccatis, sed multo grauius, se obstringit, qui resilit à voto continentiae semel emiso.*

6. *Qui recipiunt, defendunt, & consentiunt alicui resilienti à voto continentiae, & nō seruanti fidem Deo promissam; non*

solum incurruunt peccata iam enumerata, nempe perfidie, iniustitiae, adulterij, sacrilegij; sed etiam peccatum heresies.

7. Hoc faciunt Lutherani & Caluinistæ. Recipiunt enim Monachos fugitiuos, & eorum factio non modo consentiunt, sed etiam bene fieri interpretantur. Videant igitur Lutherani & Caluinistæ, quales ipsi sint.

5. Ex his propositionibus quædam conceduntur à Lutheranis & Caluinistis, aliæ non item. Piores non egent longa probatione. Postiores tametsi probare possem ex vnanimi consensu antiquorum Patrum & totius Ecclesiæ, ne tamen longior sim, quam par est, duobus tantum modis confirmabo. 1. ex S. Scriptura.

2. ex D. Augustino. Hos duos Iudices Aduersarij subterfugere non possunt. De Scriptura clarum est. De Augustino sic scribit Lutherus: *Augustinus non solum Christianus, verum etiam Doctor supra Doctores omnes Christianitatis effectus est: ita ut Ecclesia Christiana post Apostolos nullum illi æqualem habeat.* Igitur, si ex Scriptura, quam Aduersarij meritò venerantur, itemque ex Augustino, cui post Apostolos nemo æqualis est, demonstrauero verum esse, quod Catholici docent, non video, quid ultra requiri à me possit. Hoc igitur aggredior.

PRIMA PROPOSITIO.

1. **H**omo Christianus, antequam sua sponte delegerit sibi certū vitæ genus, non tenetur ullæ legenaturali aut diuina, vel præcisè contrahere matrimonium, vel perpetuam seruare cōtinentiam; sed re adhuc integra, potest alterutrum eligere, quod vult.

2. Hæc

2. Hæc propositio continet duas partes. *Vna est, hominem Christianum non teneri vlla lege naturali aut diuina ad contrahendum matrimonium. Altera, non teneri vlla lege naturali aut diuina ad perpetuam continentiam.* Priorem probo. 1. quia si esset aliqua lex naturalis aut diuina, quæ singulos obligaret ad statum matrimonij, iam omnes peccarent, qui non contrahe-rent matrimonium. Peccasset igitur Christus, Ioannes Baptista, Apostolus Paulus, & multi alij sanctissimi viri in primitua Ecclesia, qui nunquam matrimonium amplexi sunt. Peccasset Elisabetha Regina Angliæ, quod tamen minimè volunt Lutherani & Caluinistæ. Peccarent nunc, quotquot inter Christianos vitam cœlibem ducunt. *Quis hoc credat?* 2. Christus & Apostolus Paulus hortantur nos ad continentiam & castitatem. Hoc non facerent, si matrimonium esset in præcepto.

3. *Dices : Deus præcepit matrimonium, cùm dixit Gen. 1. 28. Crescite, & multiplicamini. Resp. Deus illa verba semel dixit primis parentibus in Paradiso ; & semel Noë & filiis eius post diluvium, cùm ex arca egressi essent. Vtrisque dixit post matrimonium iam contractum. Igitur per illa verba non præcepit illis, ut matrimonium contraherent, quod iam contractum erat ; sed impertivit illis benedictionem, ut copiosam sobolem procrearent ad multiplicandum genus hu-manum, quod tunc valde exiguum erat. Hoc constat ex ipso textu. Nam primo, certum est, Noë & filios eius, antequam arcam ingredierentur, habuisse suas vxores. Gen. 7. 7. Ingressus est Noë & filij eius, uxor eius & uxores filiorum eius, cum eo in arcam propter aquas diluvij. Secundo, certum est eundem Noë & filios eius cum suis vxoribus, peracto diluvio, egressos esse ex arca, Gen. 8. 18. Egressus est ergo Noë & filij eius, uxor illius & uxores filiorum eius cum eo. Tertio, certum est, post-*

quam cum suis vxoribus egressi sunt ex arca , tunc illis dictum esse à Deo , *Crescite & multiplicamini.* Hoc enim diserte habet historia. Vnde euidenter sequitur, his verbis non contineri præceptum de matrimonio incundo , quia matrimonium iam initum erat, sed benedictionem in propaganda posteritate. Et hoc significat textus , cum ait : *Benedixit Deus Noë & filiis eius,* & dixit ad eos , *Crescite & multiplicamini , & replete terram.*

4. Idem dico de primis parentibus. Nam matrimonium inter illos statim contractum est , quando Deus ex costa Adæ dormientis formauit Euam. Tunc enim euigilans ex sopore dixit Adam : *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhæredit uxori sue.* Quibus verbis tria indicat. 1. Euam esse vxorem suam. 2. maius esse vinculum inter virum & vxorem , quam inter parentes & filios. 3. hanc coniunctionem coniugalem , quæ tunc inter ipsum & Euam facta est , fuisse figuram coniunctionis Christi in Ecclesia. Sic enim verba Adami interpretatur Apostolus ad Ephes.5.32. cùm ait. *Sacramentum hoc magnum est.* *Ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Igitur, quod postea dictum est primis parentibus ; *Crescite, & multiplicamini:* non continet præceptum de matrimonio contrahendo , sed solennem benedictionem in propagando humano genere.

5. Posterior pars propositionis est , hominem Christianum non teneri vlla lege naturali aut diuina ad perpetuam continentiam. Hanc facile concedunt Lutherani & Caluinistæ. Et ratio est euidentis , quia alioqui usus matrimonij , qui cum continentia stare non potest , esset lege naturali & diuina prohibitus, & sic nemini liceret ex legitimo matrimonio procreare sobolem,

lem, quod est falsum. Et qui olim hoc senserunt, tanquam haeretici ab Ecclesia damnati sunt.

SECUNDA PROPOSITIO.

1. **Q**ui sponte eligit matrimonium, non peccat: & qui sponte eligit continentiam, non peccat. Vtrumque enim per se licitum & honestum est. Continentia tamen est excellentior matrimonio: Et potest aliquis ad eam seruandam voto se obstringere.

2. Hæc propositio habet quatuor partes. Prima est, matrimonium esse licitum, & posse contrahi sine peccato. Altera, continentiam esse licitam, & seruari posse sine peccato. Tertia, continentiam esse excellentiorem matrimonio. Quarta, posse aliquem voto se obstringere ad seruandam continentiam.

3. Primam partem docet Apostolus 1. Corinth. 7. 28. Si acceperis uxorem, non peccasti: Et si nupserit virgo, non peccauit. Alteram docet ibidem v. 8. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego, id est, si seruent continentiam. Tertiam docet v. 38. Igitur, & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit. Et ratio est, quia quando inter duos status fit comparatio, ille sine dubio est excellentior, qui ad seruendum Deo est utilior, sed continentia est utilior, quam matrimonium, ut fatetur Apostolus loco citato. v. 32. cum ait: Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Ergo continentia est excellentior, quam matrimonium.

4. *Quarta pars, quod aliquis possit se voto obstringere ad perpetuam continentiam, sine temeritate negari non potest.* Nam ita sentiunt omnes antiqui Patres cum Augustino. Et probant triplici exemplo Scripturæ. 1. exemplo beatæ Virginis. 2. exemplo Eunuchorum, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. 3. exemplo quarundam fœminarum, quæ propter voti continentiae transgressionem, ab Apostolo reprehensæ sunt.

5. De beata Virgine sic legimus, Lucæ 1. 34. *Dixit Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi dicat, quomodo fieri potest, ut ego concipiam & pariam filium, cum propter votum continentiae, non liceat mihi virum cognoscere? Sic explicat Augustinus in libro de sancta Virg. cap. 4. ubi ita scribit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Similiter alij Patres.

6. De Eunuchis sic legimus, Matth. 19. 12. *Sunt enim Eunuchi, qui de matre utero sic nati sunt: Et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: Et sunt Eunuchi, qui seipsostrauerunt propter regnum cœlorum.* Qui potest capere, capiat. *Quid est, seipsum castrare propter regnum cœlorum?* Nihil aliud, quam ex desiderio obtinendi regnum cœlorum, obstringere se voto continentiae, & amputare libertatem contrahendi matrimonium. D. Augustinus in lib. de sancta virginitat. c. 23. *Quid, inquit, veracius, quid lucidius dici potuit?* Christus dicit, Veritas dicit, eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare seipsostrauerunt propter regnum cœlorum. Et contra, humana vanitas impia temeritate contendit (notent hoc Lutherani & Caluinistæ) eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deuitare: in regno cœlorum amplius quicquam ceteris non habere.

7. De fœminis sic legimus 1.Timoth.5.11. Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriata fuerint in Christo,nubere volunt, habentes damnationem,quia primam fidem irritam fecerunt. Vbi, per primam fidem intelligitur votum continentiae,vt omnes antiqui Pates interpretantur. D.Augustinus in lib.de sancta Virginitate (quem aduersarij non libenter legunt) cap. 33. *Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, in eo, quod primo voverunt, non steterunt.* Et lib. 1.de adulterinis coniugiis, cap. 24. *Vnde Apostolus de quibusdam, que continentiam vovent, & postea nubere volunt. Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* Et in Psal.75. *Quid autem ait de quibusdam, que voverunt, & non reddiderunt?* *Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: Voverunt, & non reddiderunt.*

8. Igitur ex sacra Scriptura & D. Augustino satis probatum est, votum continentiae visitatum fuisse in primitiva Ecclesia: Et quidem laudari eos à Christo, qui huiusmodi voto se sponte obstrinxerunt; vel ut ipse loquitur, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Damnari autem ab Apostolo, qui voverunt quidem, sed in voto non persistiterunt.

TERTIA PROPOSITIO.

1. **Q**ui semel elegit statum matrimonij, & iam de facto promisit alteri societatem coniugallem, tenetur illi seruare fidem: Nec potest pro suo arbitrio, propter aliquas difficultates occurrentes, à contractu resilire.

2. Hæc propositio habet duas partes. Una est, eum, qui cum altera contraxit matrimonium, obligari ad

seruandam fidem. Altera , hanc obligationem non cessare propter aliquas molestias seu difficultates, quæ in statu matrimonij frequenter occurunt. Priorem partem docet Apostolus Rom.7.2. *Quia si b[ea]t[u]m viro est mulier, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri.* Et i. Corinth.7.29. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit.* Et hinc probatur posterior pars, quia obligatio legis matrimonij nō soluitur, nisi per mortem alterius coniugis, ut disertè ait Apostolus : Ergo non cessat propter aliquas molestias , quæ occurunt viuente utroque coniuge. Hinc rectè docent Theologi, vinculum matrimonij esse indissolubile; & in eo distingui à vinculo, seu obligatione aliorum contractuum , qui in certis casibus legitimè rescindi possunt.

3. *Queres, An ergo in nullo casu dissolui possit matrimonium , quod semel legitimè contractum est?* Hanc quæstionem Pharisei proposuerunt Christo in Euangeliō, Matth. 19.3. *Accesserunt ad eum Pharisei tentantes, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suā quacunque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio , masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori sue, & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.* Dicunt illi : *Quid ergo Moses mandauit dare libellum repudij, & dimittere?* Ait illis: *Quoniam Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio, autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.*

4. Ex hac Christi responsione colligimus primò, matrimonium ex primæua sui institutione, quæ in paradiſo facta est, fuisse indissolubile. *Quod Deus coniunxit, homo*

homo non separet. Secundo, Iudæis quidem concessum fuisse, ut repudiarent suas uxores: Hanc tamen concessionem non fuisse conformem institutioni matrimonij (ab initio, inquit, non fuit sic) sed extortam à duritia & improbitate Iudæorum. Tertio, eandem concessionem in Euangelio reuocatam esse, ac proinde matrimonii apud Christianos manere penitus indissolubile, sicut fuit in prima sui institutione. Quarto, licere quidem in uno casu, nempe fornicationis, dimittere uxorem, quoad torum seu cohabitationem, in nullo tamen casu, nisi mortis, licere aliam ducere. Huc spectat illud Marci 10. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virū suum, & alteri nupserit, mœchatur.* Et Luc. 16. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur; & qui dimissam à viro dicit, mœchatur.* Hic nulla fit exceptio. Vnde etiam Apostolus loquitur sine exceptione, Roman. 7. 2. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro (etiam fornicario) alligata est legi. Si autē mortuus fuerit vir eius (non dicit, si fornicatus fuerit vir eius) soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri.* Et 1. Cor. 7. 10. *Iis autē, qui matrimonio iuncti sunt, principio non ego, sed Dominus, uxorem à viro nō discedere: quod si discesserit (ob fornicationem aut aliam causam) manere innuptā, aut viro suo reconciliari.*

5. Dices: Si in nullo casu licet viro aliam uxorem ducere, aut uxori aliū virum accipere, quamdiu vterque superstes est; certè misera est vtriusque conditio. Nam sæpè contingit, uxorem esse fornicatam, bibulam, garrulam, contentiosam, prodigam, beneficam, stultam, ægrotam, sterilem, deformem, fœtidam. Si ne tunc quidem potest vir aliā accipere, quid ager cum isto monstru? Respondeo: Hoc argumentum proposuerunt Apo-

stoli Christo, Matth. 19.10. his verbis: *Si ita est causa hominis cum uxore. non expedit nubere: id est, si tam arctum est vinculum matrimonij, ut vir in nullo casu possit suam vxorem dimittere, & aliam accipere; tunc certe præstat nullam accipere.* Respondit Christus: *Non omnes capiunt verbum istud: quasi dicat, Qui prudenter æstimat obligationem & difficultatem matrimonij, si ne dubio, malit liber e se, quām se alligare: sed plerique cœco quodam impetu rapiuntur ad matrimonium, neque considerant onera & molestias, quæ inde possunt prouenire; sed solam voluptatem, aut aliiquid simile propositum sibi habent.*

QVARTA PROPOSITIO.

1. **Q**ui semel elegit continentiam, & iam de facto eam Deo per votum consecravit, tenetur seruare fidem: nec potest pro suo arbitratu, propter aliquas molestias aut difficultates occurrentes, à voto resilire.
 2. Hæc propositio habet etiam duas partes. *Vna est, eum, qui semel vouit Deo continentiam, obligari ad seruandam fidem. Altera, hanc obligationem non cessare, etiamsi interdum occurrant aliquæ difficultates.* Prior generatim colligitur ex illo Psal. 75.12. *Vouete & reddite. Et Deuter. 23.21. Cum votū voveris Domino Deo tuo, nō tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatū.* Speciatim vero ex illo 1. Tim. 5.11. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Loquitur de iunioribus viduis, quæ, ut supra dixi, post mortem maritorum, vount Deo continentiam, & postea volunt inire matrimonium. De his ait Apostolus, quod habeant
- damna

damnationem. Quare: quia votum suum irritum fecerunt. Vnde sequitur, qui semel vovit continentiam, non posse sine damnatione inire matrimonium. Hinc Augustinus in Psal. 75. explanans illum versiculum, *Vouete & reddite: ita scribit; Quisque quod vovere voluerit, voveat: illud attendat, ut quid rouserit, reddat. Si respicit retrorsum, malum est. Nescio qua castimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod & virgo quilibet. Quid voluit? quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali plane. Quare? Quia iam voverat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus Apostolus Paulus, quæ voverunt & non rediderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

3. Posterior pars ex triplici capite probari potest. 1. ex parte promissionis. 2. ex parte occurrentium molestiarum. 3. ex parte remediorum contra occurrentes molestias. Hinc formo tria argumenta. Primum est; Maior est obligatio promissionis, quæ Deo fit, quam quæ vxori fit: sed nemo propter occurrentes molestias liberatur ab obligatione promissionis uxori factæ, ut supra probatum est. Ergo multò minus ab obligatione promissionis Deo factæ.

4. Alterum; Plures & maiores molestiæ solent occurrere in statu matrimonij, quam in statu continentiae; sed propter molestias occurrentes in statu matrimonij, non licet resilire à matrimonio semel contracto: Ergo multo minus propter molestias occurrentes in statu continentiae, licet resilire à voto continentiae. Maior propositio sic debet intelligi, non quod coniuges semper habeant plures molestias & difficultates, quam cœlibes (hoc enim non semper verum est) sed quod plures molestiæ ac difficultates oriātur ex statu matrimonij, quam ex statu continentiae. Nam ex statu continentiae, non nisi vna oriri potest, nempe tentatio carnis,

carnis. Reliquæ enim, si quæ sunt, ex aliis causis oriuntur. At ex statu matrimonij oriūtur infinitæ. Prima est, tentatio carnis, iuxta illud 1. Cor. 7. 28. Si acceperis vxorem, nō peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebūt huiusmodi, quasi dicat, Licet viri non peccent, accipiendo vxores; & virgines non peccent, accipiendo maritos; utrique tamen, cùm ad statū matrimonij peruenierint, habebunt tribulationē carnis. Quare? Quia quo plus indulgetur carni, eo fit petulantior: Et qui semel experti sunt copulam coniugalem, impensius tentantur, quām qui nunquam experti sunt.

5. Hanc molestiam partim augent, partim comitantur aliae. 1. turpitudo alterius coniugis. 2. longa absentia. 3. diuturnus aut perpetuus morbus. 4. sterilitas. 5. nimia appetentia copulæ. 6. fœtor corporis. 7. anhelitus oris. 8. nimia lævitia aut crudelitas. 9. prodigalitas. 10. rebellio. 11. odium, rixæ, iræ, dissensiones. Hinc ita concludo: Si hæ tantæ, ac tam multæ molestiæ non obstant, quo minus seruanda sit fides matrimonij, certè vnica molestia, & non admodum magna, quæ in statu continentiæ potest occurrere, non obstat, quominus seruanda sit fides continentiæ.

6. *Tertium argumentum;* Maiora & faciliora sunt remedia in statu continentiæ ad superandas molestias illius status, quām in statu matrimonij: Ergo, si coniuges tenētur suas molestias superare per minora præsidia & remedia, quæ habent; quantò magis tenentur cœlibes id præstare per maiora & faciliora, quæ ipsi habent? Vna, vt dixi, molestia est in statu continentiæ, nempe tentatio carnis. At multa & obuia sunt remedia. 1. oratio. 2. assistentia diuinæ gratiæ. 3. castigatio corporis. Hæc omnia fuerunt in Paulo Apostolo. Habuit temptationem carnis, vt fatetur de se 2. Corinth.

rinth. 12.7. cùm ait, *Datus est mihi stimulus carnis. Adhibuit supradicta remedia. Primum, Propter quod ter Dominum rogaui. Secundum, Omnia possum in eo, qui me confortat. Tertium, Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Hæc remedia non sunt tam obvia in statu matrimonij. Non primum, quia coniuges non possunt tam commodè vacare orationi, quam cælibes, ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. 32. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt; qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi.* Nec secundum, quia assistentia Spiritus sancti magis est in iis, qui de Deo, quam qui de mundo solliciti sunt. Nec tertium, quia castigatio corporis non facilè consistit cum quotidiano vsu matrimonij: optimè autem consistit cum statu continentiae.

Q V I N T A P R O P O S I T I O.

1. **Q**ui resilit à matrimonio legitimè contracto, obstringit se peccato perfidiae, iniustitiae, adulterij, sacrilegij. *Iisdem peccatis, sed multò gravius, se obstringit, qui resilit à voto continentiae.*

2. Hæc propositio habet tres partes. *Prima est, coniugem resilientem à contractu matrimonij, incurrere quadruplex peccatum, perfidiae, iniustitiae, adulterij & sacrilegij. Altera, cælibem resilientem à voto continentiae, incurrere eadem peccata. Tertia, hunc grauius peccare, quam illum.*

3. *Primam sic ostendo: Vir dimittens uxorem, quam legitimè duxit, & aliam accipiens, peccat primò contra fidem illi dataam, quia non præstat, quod promisit, nempe*

nempe illud 1. Corinth. 7. 3. *Vxori vir debitum reddat.*
Secundo contra iustitiam, quia potestatem sui corporis,
quam vxori dedit, per iniuriam illi aufert. Nam, ut ait
Apostolus 1. Corinth. 7. 4. Vir sui corporis potestatem non
habet sed mulier. Tertio committit adulterium, iuxta il-
lud Christi, Marc. 10. 11. Quicunque dimiserit uxorem, &
aliam duxerit, adulterium committit super eam. Quarto,
fit sacrilegus, quia violat Sacramentum matrimonij.
Hoc quidem negabunt Caluinistæ & Lutherani, quia
putant, matrimonium non esse Sacramentum, sed ta-
mén nobiscum sentiunt Augustinus & alij Patres.

4. *Alteram partem ostendo simili modo. Nam qui*
post votum continentiae dicit uxorem, primò perfidus
est, quia non præstat, quod Deo promisit. Secundo, in-
iustus est, quia corpus suum, quod semel Deo obtulit
& consecravit per votum continentiae, per summam
iniuriam illi aufert, & alteri donat. Tertio, adulter est,
quia relictæ sponsa spirituali, contrahit cum alia carna-
li. Vnde rectè Augustinus in Psal. 83. Sanctimontialis, si
nupserit, Christi adultera reputabitur. Quarto, sacrilegus
est, quia rem Deo consecratam violat per adulterinam
coniunctionem.

5. *Tertia pars sequitur ex dictis. Nam eo grauius*
censetur aliquis peccare, cæteris paribus, quod peccat
contra maiorem obligationem: sed cœlibes magis obli-
gantur Deo per votum continentiae, quam coniux
coniugi per contractum matrimonij: Ergo ibi maius
peccatum est, quam hic. Vnde Augustinus in lib. de
bono viduitatis, cap. 11. docet, eos, qui post votum con-
tinentiae ducunt uxores, adulteris peiores esse. Planè,
inquit, non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate
sanciore, quæ vountur Deo, adulteris esse peiores. Et hoc
sic probat: Si enim ad offensionem Christi pertinet, cum
membrum eius fidem non seruat marito; quanto grauius
offen-

offenditur, cum illi ipsi non seruatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? q. d. Si fœmina Christiana offendit Christū, quando non seruat fidem marito, cui matrimonii promisit, quanto magis offendit, quando non seruat fidem ipsi Christo, cui continentiam promisit? Et hoc alibi confirmat exemplo Romanorum, qui grauius puniebant vestales virginēs in stupro deprehensas, quam alias mulieres adulteras. Sic enim scribit lib. 3. de Cipi. Dei. cap. 5. Nam & ipsi Romani antiqui, in stupro detectas vestales Sacerdotes, vias etiam defodiebant: adulteras autem fœminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: usque adeò grauius, quæ putabant adyta diuina, quam humana cubilia vindicabant.

SEXTA PROPOSITIO.

1. **Q**ui recipiunt, defendunt, & consentiunt alicui resilienti à voto continentiae, & non seruanti fidem Deo promissam, non solum incurront peccata iam enumerata, sed etiam hæresim.

2. Hæc propositio habet duas partes. Una est, quod recipientes, defendantes, & consentientes alicui resilienti à voto continentiae, incurvant eadem peccata, quæ ille, id est, sint participes perfidiae, iniustitiae, adulterij & sacrilegij. Altera, quod etiam sint hæretici. Priorem partem docet Apostolus Rom. 1. 32. cùm ait: *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Nihil certius. Vnde Christus in Euangeliō, Lucæ 11. 47. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quod consentitis operibus*

operibus Patrum vestrorum. Et de Paulo ante conuersio-
nem legimus, Actor. 7. 59. Saulus autem erat consentiens
nec eius. Vult significare Saulum fuisse participem ho-
micij, quia tametsi ipse non lapidasset Stephanum,
consentiebat tamen lapidantibus.

3. *Posteriorem partem sc probo: Quicunque docet*
hæresim, hæreticus est. At quicunque docent, licitum
esse Monacho, post votum continentiae, transire ad ma-
trimonium, docent hæresim, quia docent, Deo non es-
se seruandam fidem; quæ non modò hæresis, sed etiam
impiaæ est. Ergo hæretici sunt. Hoc autem faciunt,
qui recipiunt, defendunt, & consentiunt Monachis,
post votum continentiae transeuntibus ad matrimo-
nium. Hæretici ergo sunt

SEPTIMA PROPOSITIO.

1. *L*utherani & Caluinistæ recipiunt Monachos
hos fugitiuos, & eorum facta non solum con-
sentunt, sed etiam benè fieri interpretantur. Vi-
deant ergo, quales ipsi sint.

2. *Hæc propositio non indiget noua probatione aut*
explicatione. Nam clarè & euidenter sequitur ex di-
cis. Solùm repetam compendio, quæ dicta sunt; &
concludam duplii hoc syllogismo. Prior est, Quicun-
que post votum continentiae transeunt ad matrimo-
nium, sunt perfidi, iniusti, sacrilegi, & adulteris deterio-
res, secundum Augustinum, vel, ut loquitur Aposto-
lus, habentes damnationem. Atqui Lutherus, Bucerus,
Zwinglius, Petrus Martyr, Pellicanus, Ochinus, Oe-
colampadius, & similes Prædicantes, post votum con-
tentiae, transierunt ad matrimonium. Ergo sunt per-
fidi,

fidi, iniusti, sacrilegi, & adulteris deteriores, secundum Augustinum, vel, ut loquitur Apostolus, habentes damnationem. Res plana est.

3. *Posterior.* Quicunque recipiunt, defendunt & consentiunt huiusmodi Apostatis, non solum participes sunt eorum scelerum, quia iam enumeravi, sed etiam incurrint peculiarem heresim, *de fide Deo violanda*, ut ostensum est. Atqui Lutherani & Caluinistæ recipiunt, defendunt & consentiunt huiusmodi Apostatis: Ergo præter scelera superius enumerata, incurrint peculiarem heresim, *de fide Deo violanda*. Attendant igitur ad illud Apostoli: *Non solum, qui ea faciunt, (ut Apostatae) digni sunt morte, sed etiam, qui consentiunt facientibus.*

Prima excusatio Aduersariorum.

1. **A**Duersarij, ut aliquo modo tegant suam turpitudinem, duobus potissimum modis conantur se excusare. Primo dicunt, vota pertinere ad Iudeos, non ad Christianos, & in veteri Testamento fuisse usitata ac licita, sed in novo abrogata, idemque minimè seruanda. Ita Petrus Martyr in libro de votis & celibatu. Et probat quatuor argumentis. 1. quia in veteri Testamento fit mentio votorum, non in novo, saltem quoad Christianos. 2. quia Christiani sunt toti ac penitus obstricti Christo per fidem: Ergo superuacaneum est, quod se obstringat per votum. 3. quia libertas Evangelica minuitur per votum: Nam qui voto astringit se ad continentiam, amittit libertatem ducendi uxorem. 4. quia qui vovet continentiam, iniuriam facit Deo. Quod enim Deus reliquit illi liberum, hoc ipse vult esse necessarium.

2. *Respondeo:* Petrus Martyr, & sibi ipsi, & aliis repudiavit. Opusc. Tom. III. D. gnat.

gnat. Sibi quidem dupliciter. *Primo*, quia ex vna parte dicit, eos, qui aliquid Deo vouent, facere iniuriam Deo: Ex altera, Iudæis licita & vſitata fuisse vota. Hæc autem pugnant; nisi dicas, Iudæis licitum & vſitatum fuisse, facere Deo iniuriam; quod absit. *Secundo*, ex vna parte dicit, superuacaneū esse, per votum obstringere te Deo, cui iam totus per fidem obstrictus sis; ex altera, votum obſtare libertat. Christianæ. Hæc etiam pugnant. Nam si per fidem æquè obſtrīgimur Deo, ac per votum; quomodo libertas potest consistere cum fide, & non cum voto?

3. Quod etiam aliis repugnet, certo certius est. Omnes enim antiqui Patres non modo admittunt, sed etiam confirmant vota in nouo Testamento. Et sanè meritò. Nam & Christus in Euangelio dixit: *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Et Apostolus damnat iuniores viduas, quæ votum continentiae fecerunt irritum.

4. Nec obſtant argumenta Martyris. *Primo*, quia licet in nouo Testamento non fiat mentio votorum inter Christianos quoad nomen; fit tamen quoad tem significatā. Quid enim aliud est, ſeipſum caſtrare, quam vouere continentiam? Et quid aliud, primam fidem irriteram facere, quam voti transgressorē esse? *Secundo*, quia Christiani per fidem non ita sunt obſtricti Christo, ut teneantur feruare continentiam. Igitur ad eam feruandam poſſunt ſe obſtrīgare per votum. *Tertio*, quia libertas Euangelica non conſiſtit in eo, ut quisque faciat, quod velit, ſed in eo, quod per Christū liberati ſumus à feruitute peccati, Roman. 6.17. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiae.* *Quarto*, quia ſi Iudæi non fecerunt Deo iniuriam per vota, quomodo Christiani faciunt? Nec Christus, quando hortatur nos ad continentiam, hortatur ad iniuriam Deo faciendam, ſed ad ſtatū perfectionis.

Altera excusatio.

1. Secundò dicunt Aduersarij, quosdam habere donum continentiae à Deo; alios non habere. Priores teneri ad continentiam, posteriores ad matrimonium. Hoc probant ex illo Matthæi 19. 11. *Non omnes capiunt verbum istud sed quibus datum est.* Et 1. Cor. 7. 7. *Volo omnes esse sicut meipsum sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic.* Hinc inferunt, si aliqui voulissent continentiam, & postea aduerteret, se non habere donum continentiae; optimè facturos, si violato voto ad matrimonium se reciperent. *Melius est enim nubere, quam viri.* Hoc fecisse Lutherum, Bucerum, & similes Apostatas. Rectè igitur fecisse.

2. Respondeo: Si hæc vera sunt, sequitur primò, nemini liberam esse electionem. Vel enim habes donum continentiae; & sic obligaris ad continentiam; vel non habes; & sic obligaris ad matrimonium. Secundo sequitur, cum omnes Lutherani & Caluiniani Prædicantes ineat matrimonium, nullum ex iis habere donum continentiae: nemini à Deo datum esse, ut capiat verbum Christi: nemini, ut sit sicut Paulus Apostolus. *Quod sanè mirum est in tam electis Dei famulis.* Tertio, donum continentiae nusquam in Germania, nisi apud Catholicos reperiri. Nam cæteri omnes, aut Lutherani, aut Caluinistæ, aut Anabaptistæ, aut Iudæi sunt. His omnibus solenne est, habere vxores, & cantare canticum, *Crescite & multiplicamini.* Quarto, falsum esse, quod docuit Lutherus, non minus matrimonium, quam cibum & potum, omnibus necessarium esse. Nam iis, qui donum continentiae habent, ne licitum quidem est, multo minus necessarium.

3. Sed, ut multa alia præteream, quæro ex hoc hominum genere, an omnes, qui habent donum conti-

nentiæ, sciant se habere, necne? Hic planè dissentunt. Qui audaciōres sunt, affirmant, alij negant. Vtrosque refutabo. Et priores quidem sic se explicant. Sicut quisque, qui fidem & iustitiam habet, certò scit se habere: ita quisque, qui donum continentiæ habet, certò scit se habere. At vnde? Ex interno Spiritus sancti instinctu, iuxta illud: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Sed si ita est, omnino sequitur, Lutherum, Bucerum, & similes apostatas excusari non posse, quod sic ostendo: Vel enim habebant donum continentiæ, cùm vouerent continentiam, vel non habebant. Si habebant, cur matrimonium inierunt? Si non habebant, cur se voto obstrinxerunt? Nec potest prætendi ignorantia. Iam enim concessum est, quotquot habent donum continentiæ, scire se habere: Vnde necesse est, quotquot non habent, scire se non habere. Si ergo Lutherus habuit, sciuit se habere. Cur ergo contempsit: cur ad nuptias adspirauit? Si non habuit, sciuit se non habere: Cur ergo voto se obstrinxit?

4. Alij, vt euadant hanc difficultatem, ingenuè fatentur, non semper constare vnicuique, an habeat donum continentiæ, necne: Aut, si habeat, non scire, an semper habiturus sit. Vnde inferunt, temerè & inconsideratè eos facere, qui voto adstringunt se ad perpetuam continentiam, cùm nesciant, an habeant donum continentiæ: vel, si habent, an perpetuò habituri sint. Id enim exeuentu pendere. Si ita est, sequitur *primo*, Lutherum temerè & inconsideratè fecisse, quando continentiam Deo promisit. *Secundo*, eos quoque temerè & inconsideratè facere, qui matrimonium contrahunt, antequam sciant, an habeant donum continentiæ, necne. *Tertio*, Lutherum multis annis, quibus in Monasterio vixit, habuisse donum continentiæ: & postea, cùm egressus est, amisisse.

Sed

Sed quando amisit? An ante nuptias? Quid ergo factum est? Nimirum stimulo carnis sensit se agitari. Etiam Paulus Apostolus id sensit. Nam de seipso scribit, *Datus est mihi stimulus carnis.* Et tamen non ideo amisit donum castitatis. At praeter stimulum accessit etiam consensus & executio operis in Lutherio. Nam, ut scribit Erasmus, *statim post hymenaeum cantatum, perperit noua nuptia.* Itane vero? Cur non fecit Lutherus, quod Apostolus? Ter, inquit, *Dominum rogaui.* Si id fecisset, sine dubio, quod dictum est Apostolo, fuisset quoque Lutherio dictum, *Sufficit tibi gratia mea.*

4. Sed, ut clarius appareat, quam vanæ ac frigidæ sint excusationes aduersariorum, attexam breuiter testimonia antiquorum Patrum, qui de hac re scripserunt. Sic ergo habent.

Testimonia Patrum.

1. **E**piphanius in Panario, hær. 61. Tradiderunt sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem, ad nuptias reuerti. Et infra: Si quæ vidua fuit, ac Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quod primam fidem reiecit, quanto magis quæ Deo dicata virgo fuit, & nupsit, contra Christum lasciuuit, & maiorem fidem reiecit, iudicium habebit?

2. Ambros. ad virg. deuotam: Deuouisti animam tuam ad destruenda omnia, quæ sunt huins seculi, quid queris seculum, cui renunciasti? Reuerti vis ad vomitum tuum, sicut canis, aut velut sus lota, iterum in volutationem. Et alibi ad virg. lapsam: Virgo, quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Etiam si voluerit nubere, communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.

3. Basilius in constitut. Monast. Quemadmodum membra corporis, naturæ vinculo coningata, a corpore anelli non

possunt, aut si auellatur, que auiissa sunt, ea emortua sint necesse est: ita quoq; Monachus, quotiescumque reliquorū fratrū corpori coniunctus est, & firmiore, quam sit vinculū naturæ, compage vincitus tenetur, nempe ex pacto, quod is cum Spiritu S. contraxit, nullo modo putandus est, ab iis posse se diuellere, quibuscum copulatus sit: alioqui si hoc facit, & anima vitam amittit, & una cum ea gratiam Spiritus sancti, utpote qui initum, ipso auctore fædus violauerit.

4. Idem Basilius ibidem: Si enim mulier ad viri societatem lege matrimonij prouecta, & una cum eo copula carnali coniuncta, morte multatur, si ei insidias fecisse deprehensa sit: quanto is magis subiacebit pœne grauiori, si se abiunxerit, qui spirituali communione copulatus sit, teste atque sequestre ipso Spiritu sancto?

5. Cypr. in epist. ad Pompon. Si superueniens maritus, sponsam suam iacentē cum altero videat, non indignatur & fremit: & per zeli dolorem fortassis & gladium in manū sumit? Quid? Christus Dominus & Iudex noster, cum virginē suam sibi dicatam, & sanctitati sue destinatam, iacere cū altero cernit, quam indignatur & irascitur, & quas pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur? Et infra: Quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.

6. D. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Et si nupserit virgo, inquit Apostolus, non peccauit. Non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit. Harū enim si qua nupserit, habebit damnationē, quia primā fidem irrita fecit. Si autē hoc de viduis dilectū obiecerit, quanto magis de virginibus præualebit, cū etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ post consecrationē nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ,

7. Gelasius epist. 1. c. 22. Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognouimus, & post dicatum Deo propositum, incesta fædera sacrilegaq; miscere, quos protinus aequum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamq; pœnitentiam omnino non recipi.

8. Concilium Turonense 2. cap. 16. ante mille annos celebratum; Si qui in monasterio conuersi sunt, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec, quod absit, ullus eorum coniugem ducere: & si uxorem duxerit, excommunicetur, & de uxoris male sociatae consortio, etiam iudicis auxilio, separetur. Quod si iudex ad hoc solatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix monachus tali coniunctione fædatus, si per cuiuscunque patrocinium se conatus fuerit defensare, & is, qui in hac pertinacitate perdurat, & illi, qui illum exceperint defensandum, ab Ecclesia segregentur.

9. Chrysostomus ad Theodorum Monachum: Te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum, Angelorum enim societati semel iunctum, illam relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrire est. Et quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamē illud, & adulterio tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus. Et quid mirum, si nuptiales; quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? Mains longè audies, &c.

10. August. epist. 137. ad Cler. & pop. Hippomens. Simpliciter fateor charitati vestre, coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in monasteriis ceciderunt (ut Lutherus & similes) ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum. Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc.

11. S. Gregor. epist. ad Venantium: Ananias Deo pecunias voverat, quas postea victimus persuasione diaboli subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat nummos, Deo abstulit, considera, quanto periculo in iudicio diuino dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti?

Vouete & reddite.



OPVSCVLVM III.

PRIVILEGI A CAL- VINISTARVM.

Es tr hominum genit, qui in Germania Caluinista; in Bohemia Picardite; in Belgio Gensis; in Anglia Puritani; in Gallia Hugonotæ, appellantur. Hi ergo, tametsi non ita pridem ebullierint (ut loquitur Augustinus de Pelagianis) multis tamen priuilegiis aucti ac donati sunt. Ex iis aliqua recensebo, & quid de singulis sentiam, breuiter explicabo. Sunt autem ferè haec:

1. Omnes Caluinista ex utero materno nascuntur sancti & heredes vita æternae: ideoque nec Baptismo, nec aliis Sacramenis indigent.
2. Omnes sunt sacerdotes, & quotidie offerunt Deo mundam & acceptabilem hostiam, in odorem suavitatis.
3. Omnes certi ac securi sunt de sua iustitia, sanctitate, perseverantia, prædestinatione, & vita æterna; ideoque certi ac securi, quicquid tandem eueniat, perire se non posse.
4. Omnes per internam Spiritus sancti suggestionem norunt discernere inter Scripturas Canonicas, & non Canonicas.
5. Tametsi omnes antiqui Patres errarint, ipsi tamen non errant; quia non ab hominibus, sed à Deo docti sunt, qui errare non potest.
6. Habent propriam ac peculiarem doctrinam è calomissam,

missam, quam reliqui Christiani hoc tempore non habent.

7. In ea defendenda possunt contrarias ac pugnantes sententias sequi, cum lubet; & eadem nunc affirmare, mox negare.

8. Habent etiam proprium ac peculiare Purgatorium post hanc vitam.

9. Etiam si quotidie enormiter peccant, & flagitiosè vinant, tamen peccata ipsis non imputantur.

10. Possunt igitur impunè mentiri & caluminari, sicutque Euangeliū hoc modo propagare, & Catholicorum vitam ac doctrinam traducere.

11. Possunt etiam non modo aduersarios, sed se mutuo quoque conitiis & maledictis insectari, sine ullo saintis aut sanctitatis dispendio.

12. Possunt denique suos Reges ac Principes seculares deponere, expellere, occidere, cum ipsis visum est.

13. Et quod omnium maximum est, nulla lege, nec divina, nec humana obligati sunt, sed ab omni iugo & subiecione immunes ac liberi.

Hoc est quasi Compendium Privilegiorum, quibus hoc tempore gaudent Calvinistæ præ cæteris in Europa Christianis. Nunc singula seorsim discutienda sunt, eo potissimum fine, ut quæ legitima ac genuina sunt, retineantur: quæ spuria vel subreptitia, rescindantur.

I. PRIVILEGIVM.

Omnis Calvinistæ ex utero materno nascuntur sancti, & heredes vite æternæ, ideoque nec Baptismo, nec aliis Sacramentis egent.

1. Ita Calvinus in Antidoto Concilij Tridentini confess. 6. cap. 5. cum ait: Verum infantes à regno Dei arcere libuit, qui ante erepti sunt ex hac vita, quam offerri

ad Baptismū potuerint: *Quasi* verò de nihilo dictū sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. Imò quo iure ad Baptismū eos admittimus, nisi quod promissionis sunt heredes? Nisi enim ante ad eos pertineret vita promissio, Baptismū profanaret, quisquis illis daret. *Quod si Deus in regnū suū eos adoptauit, quanta iniuria fit promissioni, quasi per se, sine Baptismo, ad eorum salutem non sufficeret?* Et ibidē paulò post: *Inclusa est infantū salus in promissione, qua Deus fidelibus testatur, se fore illis & semini eorum in Deū.* Hac ratione se nasci pronunciabant, qui ex Abrahā ducebant originem. Huius promissionis beneficio recipiuntur ad Baptismū, quia cēsentur Ecclesie membra: Non à Baptismo igitur initū habet eorum salus, sed que iam in Verbo fundata erat, Baptismo obsignatur. Et lib. 4. Insti. cap. 6. §. 24. *Infans à matris vtero, in fædere, id est, promissione vita æternæ, continetur.* Et ibid. *Filiorū, haud dubiè, loco habet eorum filios, quorum semini in Patrem se fore pollicitus est.*

2. Ex his & aliis Caluini verbis, quæ ibidem habentur, colligi possunt hæc puncta. Primò; Illam promissionem, quæ Abrahæ facta est, Genes. 17. 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te,* pertinere ad omnes parentes fideles, & eorum filios. 2. Itaque omnes filios fidelium, vi illius promissionis esse sanctos, filios Dei, & hæredes vita æternæ, nec posse unquam perire. 3. Quamuis ergo moriantur sine Baptismo, nihilominus saluari, vi promissionis. 4. Non enim Baptismū institutum esse, vt infantes per illum efficiantur sancti, sed vt eorum sanctitas obsignetur; cum Baptismus nihil aliud sit, quam publicum sigillum, quo Ecclesia testatur, filios fidelium sanctos esse, & in fædere promissionis contineri. 5. Vnde sicut olim filij Abrahæ obsignabantur sigillo circumcisionis, ita nunc filios fidelium sigillo Baptismi obsignari. 6. Et sicut olim non circumcidabantur filij infidelium, eo quod in fædere promissionis

nis non continerentur; ita nunc filios infidelium non debere admitti ad Baptismum , quia à promissionis fœdere exclusi sunt. 7. Denique sicut sigillum Regis censetur profanari, quando falsæ scripturæ, vel epistolæ appenditur, ita meritò profanari Baptismū, quando confertur iis, qui promissionem Dei non habent, cuiusmodi sunt omnes infideles.

3. Ex dictis sic *concludo*: Omnes filij fidelium ab utero materno nascuntur sancti, filij Dei, membra Ecclesiæ, hæredes vitæ æternæ, & sine baptismo saluari possunt. At omnes filij Caluinistarum sunt filij fidelium. Ergo omnes filij Caluinistarum ab utero materno nascuntur sancti, filij Dei, membra Ecclesiæ, hæredes vitæ æternæ, & sine baptismo saluari possunt. Maior est Caluini, quæ negari non debet. Minorem concedunt Caluinistæ. Sequitur ergo priuilegiata conclusio.

E X A M E N.

4. Hoc priuilegium planè fictitium est, nec ullum in Scripturis fundamētum habet. Imò ex Scripturis manifestè refelli potest. Hoc probo ex tribus principiis. *Primum* est, quod omnes infantes, tam fidelium, quam infidelium, nascantur in peccato originali. *Alterum*, quod ratione peccati originalis sint filij mortis, iræ, & damnationis. *Tertium*, quod non possint effici filij Dei, nisi renascantur in Deo per Baptismum. Singula explicanda sunt.

5. *Primum* ergo est, omnes infantes, tam fidelium, quam infidelium, nasci in peccato originali. Hoc olim in Ecclesia definitum est contra Pelagianos. Et apertè conuincitur ex Scripturis. Psalm. 50. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum*

mundum intravit, & per peccatum mors. Ephes. 2. 3. Erasmus & nos natura filij iræ, sicut & ceteri. Neque Caluinus id negat, loquitur lib. 2. Institut. cap. 1. §. 6. Audimus ita in filios transmitti parentum immundiciem, ut omnes citravul lam exceptionem sua origine sint inquinati.

6. Alterum est, omnes infantes ratione peccati originalis, in quo concipiuntur & nascuntur, esse filios mortis, iræ & damnationis. Hoc tradit Apostolus Roman. 5. 12. Eph. 2. 3. Et fatetur Caluinus lib. 2. Institut. cap. 1. §. 6. his verbis: *Adam uniuersum semen suum ea, in quam lapsus erat, vitiositate infecit. Nec vero aliter staret illud Pauli, natura omnes esse iræ filios, nisi iam in ipso utero maledicti essent.* Et §. 8. Peccatum originale facit reos iræ Dei. Et infra: *Atque adeò infantes quoque ipsi suam secum damnationem à matris utero adferunt.*

7. Tertium est, eos, qui nati sunt in peccato originali, non posse saluari aut effici filios Dei, nisi renascantur in Deo per baptismum. Hoc tradit Christus Ioan. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Et infra: *Oportet vos nasci denuò. Quare denuò? Causam addit; quia quod natum est ex carne, caro est.* q. d. Qui nascuntur ex paréibus per carnalem generationem, nascuntur filij iræ & corruptionis, nec possunt saluari, nisi renascantur ex Deo per baptismum. Hinc D. Augustinus lib. 3. de anima & eius origine. c. 9. *Noli, inquit, credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire posse ad originaliū indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et epist. 28. ad Hieronymum: *Quisquis dixerit, quod in Christo iuificabitur etiam parvuli qui sine Sacramenti eius participatione de vita exēnt: hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, alias in Christo iuificari non posse.* Consentit Caluinus lib.

lib. 2. Instit. cap. 1. §. 6. in fine, cum ait: *Satis praeclarè pronuntiat Christus, omnes prauos & vitiosos nasci, ubi docet, quidquid genitum est ex carne, carnem esse: ideoque omnibus clausam esse vitæ ianuam, donec regeniti fuerint.*

8. Ex his principiis sic concludo: *Quicunque nascuntur in peccato originali, nascuntur filii mortis, iræ & damnationis; nec possunt saluari, aut in Christo viuificari sine Baptismo; & qui aliter sentit, venit contra Apostolicam prædicationem, & condemnat totam Ecclesiam.* (*Hæc omnia concedit Caluinus.*) At omnes Caluinistæ nascuntur in peccato originali (*quod etiam concedit Caluinus.*) Ergo omnes Caluinistæ nascuntur filii mortis, iræ, & damnationis, nec possunt saluari, aut in Christo viuificari sine Baptismo; & qui aliter sentit, venit contra Apostolicam prædicationem, & condemnat totam Ecclesiam. Hinc vterius infero: Ergo Priuilegium Caluinistarum, quo aiunt, se ex vtero materno nasci filios Dei, & hæredes vitæ æternæ, ac sine Baptismo saluari posse, non modo subreptitum, sed etiam scripturæ Apostolicæ prædicationi, toti Ecclesiæ, atque adeò ipsi Caluino contrarium est.

9. Nec obstat promissio Abrahæ facta. Imo ex illa ipsa promissione sumo tria argumenta contra Caluinistas. *Primum* est tale: Promissio, quæ Abrahæ à Deo facta est, dupliciter potest explicari. 1. in sensu literali. 2. in sensu mystico. Si explicetur in literali, nihil ad rem Caluini facit. Non enim Deus secundum literam promisit Abrahæ & semini eius vitam æternam, sed possessionem terræ Chanaan. Verba promissionis sunt hæc; *Dabo tibi & semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Si autem explicetur in sensu mystico, tunc quidem potest intelligi de vita æterna: non tamen descendit ad filios per carnalem generationem ex parentibus fidelibus, vt falsò

falso interpretatur Caluinus, sed per fidem in Christum. Hoc docet Apostolus ad Rom. 4. & 9. & ad Gal. 3. & 4. vbi disertè explicat, eos esse filios Abrahæ, secundum promissionem vitæ æternæ, non qui sunt filii carnis, sed qui sunt filij fidei, id est, qui imitantur fidem Abrahæ. Sic enim loquitur ad Gal. 3. 7. *Cognoscite, quia qui ex fide sunt, iij sunt filij Abrahæ.* Et ibid. v. 9. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fidelis Abraham.* Tunc ergo, secundum Apostolum, incipimus esse filij Abrahæ, vi promissionis, cum incipimus esse fideles. At infantes non incipiunt esse fideles ab utero materno, sed in Baptismo: *Illis enim baptizari est credere, ut loquitur Aug. l. i. de peccat. meritis & remiss. c. 27.* Ergo infantes non nascuntur sancti ab utero materno, sed efficiuntur sancti, quando per baptismum regenerantur, ut supra ex Euangelio dictum est.

10. *Alterum argumentum:* Post promissionem Abrahæ factam, Iacob & Esau ex parentibus fidelibus nati sunt; & tamen Esau ab utero materno non fuit sanctus & haeres vitæ æternæ. Ergo non omnes filij fidelium, vi illius promissionis, ab utero materno nascuntur sancti & haeredes vitæ æternæ. Minor patet ex illo Rom. 9. 13. *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Et Heb. 12. 16. *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau: qui propter unam escam vendidit primituam sua: scitote enim, quoniam & postea cumpiens haereditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quāquam cum lacrymis inquisisset eam.* Vide Caluinū lib. 3. Inst. c. 3. §. 25. vbi idem fatetur.

11. *Tertium argumentum:* Si propter promissionem Abrahæ factam, omnes filij fidelium nascuntur sancti & haeredes vitæ æternæ, planè sequitur, omnes Iudæos nasci sanctos & haeredes vitæ æternæ: Hoc falsum: Ergo & illud. Maioris sequelæ probatur; quia omnes Iudæi nascuntur ex 12. Patriarchis, filiis Iacob. At 12. Patriar-

chæ fuerunt fideles. Ergo proximi illorum filij fuerunt sancti ab utero materno : Ergo & horum filij ; & sic deinceps. Quomodo ergo reprobati sunt ? quomodo exclusi ab Euangeliō ? quomodo excisi à radice ? quomodo gentiles in eorum locum sufficiēti?

12. *Concludo*, Caluinistas fingere sibi priuilegium, quod nusquā est, & in ea re similes esse Iudæis in Euangelio. Cum enim Christus, Ioan. 8. identidem illis obieccaret hæc verba: *Moriemini in peccatis vestris, si non credideritis, quia ego sum: responderunt: Nos semen Abraham sumus: Pater noster Abraham est.* Quasi dicerent: Omnes filij Abrahæ ab utero materno sancti sunt: Nos sumus filij Abrahæ: Ergo ab utero materno sancti sumus: Quomodo ergo tu dicis, in peccatis nos morituro? Planè sic agunt Caluinistæ. Sed quid Christus : *Vos ex patre diabolo estis*, inquit. Non enim, ut supra dixi ex Apostolo, *Qui filii carnis, hi sunt filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, estimantur in semine*, Rom. 9. 8.

II. PRIVILEGIUM.

Omnis Calvinista sunt Sacerdotes à Deo sanctificati, & quotidie offerunt Deo mundam & acceptabilem hostiam in odorem suavitatis.

1. **H**oc probat Calvinus ex illo 1. Pet. 2. 5. *Et ipsi tanquam lapides viui superaedificamini, dominus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias.* Et infra v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Sic enim scribit in commentario illius loci: *Heo singularis est dignatio, quod Deus non modo nos sibi in templum consecrat, in quo habitet ac collatur: sed vult simile esse sacerdotes.* Et infra: *Vnde melius appareret,*

ret, quām incomparabilis sit erga nos Dei bonitas, qui nos sanctificat, & sacerdotij honorem confert. Igitur hoc Priuilegium, secundum Caluinum, consistit in eo, quod Deus singulari quadam dignatione, & ex incomparabili erga Caluinistas bonitate, voluerit eos præ aliis sanctificare, & honorem sacerdotij conferre. *Non fecit taliter omni nationi.*

2. Sed quæ est illa munda & acceptabilis hostia, quam Deo offerunt h̄i sancti Sacerdotes? Aiunt esse illam, de qua prædictit Malachias c. 1. 11. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ autem hæc est? Caluinus lib. 4. Inst. c. 18. §. 4. & 16. dicit, esse preces, laudes, gratiarum actiones, & generatim omnia bona opera, quæ ad Dei cultum exercentur. Idem scribunt David Paræus in Comment. capit. 13. Epistolæ ad Hebr. Philippus Plesseus lib. 3. de Eucharistia. c. 1. & alij eiusdem farinæ sacerdotes.

E X A M E N.

3. Circa hoc Priuilegium oritur mihi duplex quæstio. *Vna* est, quomodo Caluinistæ possint vocari sacerdotes sancti? Ratio dubitandi sumitur ex Caluino, qui de se & sui similibus ita loquitur lib. 2. Inst. c. 1. §. 8. *Omnibus naturæ nostræ partibus vitiatæ ac peruersi sumus.* Et infra: *Ob talem duntaxat corruptionem damnati meritò, conuictique coram Deo tenemur.* Et §. 9. *Quamobrem dixi, cunctas animæ partes à peccato esse possessas.* Et ibidem: *Nihil in nobis à mortifera tabe purum est, aut sincerum.* Hæc si vera sunt, non video, quomodo Caluinistæ possint esse sacerdotes sancti: *Nisi quis dicat, simul esse sanctos & vitiatos: simul sanctos, & peruersos: simul sanctos, & à peccato possessos.* Sed quis cipit hoc mysterium?

4. Altera questio est, quomodo opera Caluinistarum possint esse vel appellari hostia munda, & Deo acceptabilis? Hic scrupulus oritur etiam ex Caluino, qui de operibus Caluinistarum sic loquitur, in Antid. Concilij Trident. sess. 6. cap. 16. *Vniuersitas, que in nobis inheret, deformat coram Deo, quicquid in nobis operum prodit.* Et lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. *Omnia nostra opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes: & que iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Et cap. 15. §. 3. *Nihil ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum.* Si ergo opera Caluinistarum sunt inquinamenta, sordes, & mera iniquitas coram Deo, quis credat esse oblationem mundam, & acceptabilem Deo? *Dominus ad angelos nobis fidem.* Sed ut video, Privilegiū hoc est.

5. *Vnum miror, Caluinistas partim tam impudentes, partim in Catholicos tam iniquos esse, ut illud vaticinium Malachiae, In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, affirment intelligi oportere de ipsis operibus, quae iudicio Caluini sunt merae sordes & inquinamenta; negent, intelligi posse de mundissimo sacrificio corporis & sanguinis Christi, quod quotidie in Ecclesia Deo offertur; de quo tamen intellexerunt antiquissimi Patres. Sic enim scribit Irenaeus lib. 4. c. 22. Panem accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter suum sanguinem confessus est: & noui Testamenti nouam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, offert Deo in uniuerso mundo: de qua & in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit, In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, &c. Similia habent Tertullianus, Eusebius, Cæsariensis, Chrysostomus, Augustinus, & alij.*

III. PRIVILEGIUM.

Omnis Caluinista certi sunt de sua iustitia, sanctitate, perseverantia, prædestinatione, & vita æterna: ideoq; certi ac secu. i, quicquid tandem eueniat, perire se non posse.

1. Ita Caluinus in Antidoto Concilij Trident. sess. 6. c. 10. Certo statuimus nobis remissa esse peccata, in eaq; certitudine acquiescimus. Et ibidem: *Non mirum est si hac, quam Spiritus Dei piorum (Caluinistarum) cordibus obsignat, certitudo Sophistis ignota est.* Per Sophistas intelligit Patres Concilij Tridentini, in quos paulò post inuehitur his verbis: *Et cuius obsecro, improbitatis est, id afferere, Nemo scire fidei certitudine potest, se gratiam Dei esse consequutum?* Et c. 13. *Quicunq; sunt filii Dei inter media pericula tutos se esse non dubitent: immo, periculis infinitis obsessi, suā salutem extra periculum esse confidant.* Et c. 15. *Sua electionis certos esse conuenit uniuersos fideles.* Et lib. 3. Inst. c. 2. §. 16. *Vere fidelis non est, nisi qui confidenter se regni coelestis haredē gloriatur.* Et Dauid Parætus in Prolegomenis ad Oœam Prophetam: *Spiritus sanctus intus contestatur spiritui nostra, de nostra ipsorum conuersione, iustificatione, electione.*

2. Hoc Priuilegium non intelligitur de certitudine morali, quam etiam nos possumus in hac vita habere de nostra iustitia & sanctitate; sed de certitudine fidei, quam Caluinistæ præ nobis gloriantur se habere, ut ex verbis Caluini perspicuum est. Habet autem tres partes. *Prima* est, quod Caluinistæ habent certitudinem fidei de sua iustitia, sanctitate, & remissione peccatorum. *Alteria*, quod habeant certitudinem fidei de sua perseverantia. *Tertia*, quod eandem habeant de sua prædestinatione, & vita æterna.

3. Nititur autem quatuor fundamētis. *Primum* est, fidem non dari, nisi solis prædestinatis, ex Caluino lib. 3. Inst. c. 22. §. 10. *Alterum*, fidem semel habitam, nunquam amitti, ex Caluino lib. 3. c. 2. §. 12, & c. 21. §. 6. *Tertium*, sola fide hominem iustificari, ex Caluino lib. 3. c. 11. §. 19. *Quarum*, qui fidem habet, certum esse de sua fide, ex Apostolo 2. Corinth. 13. 5. *Vosmetipſos tentate, si estis in fide.* Hinc sequitur, si is, qui fidem habet, certus est de sua fide, certum quoque esse de sua iustitia, quia sola fides iustificat: certum de sua persecuerantia, quia fides non amittitur: certum de sua prædestinatione, quia fides non datur, nisi prædestinatis.

Examen.

4. Hoc Priuilegium, nec in veteri, nec in nouo Testamento, nec in Augustino potui invenire. Tametsi enim ex iis facilè intelligam, nos habere posse certitudinem quandam moralem de nostra iustitia & prædestinatione; non tamen quicquam reperio de certitudine fidei, cui nullus error aut falsitas subesse potest. Nam in veteri Testamento sic legimus, Eccl. 9. 1. *Nescit homo, utrum odio, an amore dignus sit; sed omnia in futurum seruantur incerta.* Et Ecclesiast. 5. 5. *De propitiatio peccato noli esse sine metu.* Et Psal. 2. 11. *Seruite Domino in timore.* Causam addidit: *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* In Nouo sic Rom. 11. 20. *Tu autem fidehas, noli altum sapere, sed time.* Et ad Philip. 2. 12. *Cum metu & tremore salvatorem vestram operamini.* Et Apocal. 3. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

5. His consentit Augustinus in lib. de correptione & gratia, cap. 13, cùm ait, *Omnis, etiam qui bene currunt, timent, dum occultum est, quo perueniant.* Et ibidem: *Quis enim ex multitudine fidelium, quādiu in hac mortalitate*

vinitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Et
Hom. 35. Quamdiu viuimus hic, de nobis ipsis nos ipsi iudi-
care non possumus: non dico, quid cras erimus, sed quid hodie
simus. Et ser. 16. de verbis Apostoli: Et erit quisquam no-
stru, qui audeat dicere, iustus sum? Notet hoc Caluinistæ.

6. Et ratio est efficax. Nam inter certitudinem fidei
& moralem hoc interest, quod moralis nitatur quibus-
dam signis, aut argumentis, quæ quidem efficiant ho-
minem ita certum, ut moraliter putet, se non errare, ta-
metsi re ipsa aliquando erret. Potest enim huic certi-
tudini aliquando subesse falsum, ut fatetur Caluinus
lib. 3. Instit. c. 2. §. 10. Tot, inquit, vanitatis recessus habet,
tot mendacij latebris scaret cor humanum, tam fraudulentia
hypocrisi tectum est, ut seipsum sepe fallat. Et §. 11. Experiē-
tia ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu, atque electos,
affici, ut ne suo quidem iudicio quicquam ab electis differant.
At certitudo fidei omnino est infallibilis, quia nititur
divina veritate, cui falsum subesse non potest. Tunc
ergo dicitur aliquis habere certitudinem fidei de aliqua
re, quando rem illam immediate cognoscit per reuelationem
Dei; quo pacto cognoscimus omnia, quæ in
Scripturis à Deo reuelata sunt. At non singuli fideles
habent reuelationem Dei de sua iustitia, perseverantia,
& vita æterna: non enim singulis dicitur, quod dictum
est Magdalena, Lucæ 7. 48. Remittuntur tibi peccata tua:
aut quod latroni, Luc. 23. 43. Hodie tecum eris in Para-
diso. Non ergo singuli habent certitudinem fidei, quam
Magdalena & latro habuerunt.

7. Porro fundamenta, quibus nititur Caluinistarum
Priuilegium, fictitia sunt. Primum est, fidem non dari,
nisi prædestinatis. Falsum est. Iudas proditor, Simon
Magus, & Nicolaus Antiochenus, non fuerunt præde-
stinati, sed reprobi; & tamen fidem habuerunt. De Iu-
da testatur D. Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos, &
probat

probat ex illis Christi verbis Ioan. 17.12. Pater, quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex eis periret, nisi filius perditio-
nis. Nam si pater dedit illum filio, certè bonus tunc
erat: Et si postea periret ex grege, certè ante quam peri-
ret, in Christi grege numerabatur. De Simone Mago
testatur S. Lucas, Acto. 8.2. Cum verò credidissent Phi-
lippo euangelizanti, tunc Simon & ipse credidit; & cum
baptizatus esset, adhærebat Philippo. De Nicolao Antio-
cheno scribit idem Lucas, Acto. 6.3. Considerate ergo
fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu
sancto & sapientia. Ex iis autem septem, unus erat Nico-
laus Antiochenus.

8. Alterum est, fidem nunquam amitti. Et hoc falsum.
Nam Apostolus diserte ait 1.Tim. 1.19. Quidam circa
fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenaeus & Alexan-
der. Et c.4.1. In nouissimis temporibus discedent quidam à
fide. Et sanè si fides amitti non potest, unde tot sunt in
mundo hæretici? Cur dixit Paulus, Röm. 11.10. Tu au-
tem fide stas: noli altum sapere, sed time?

9. Tertium est, sola fide hominem iustificari. Non ita
est. Scriptura non minus requirit timorem, spem, chari-
tatem & pœnitentiam ab eo, qui vult iustificari, quam
fidem, Ecclesiast. 1.28. Qui sine timore est, non poterit iu-
stificari. Et Prou. 28.25. Qui sperat in Domino, sanabitur.
Et 1.Ioan. 3.14. Qui non diligit, manet in morte. Et Luc. 7.

47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mul-
tum. Et Act. 3.9. Pœnitemini & conuertimini, ut deleantur
peccata vestra. Vnde Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 18.
Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas. Sine charitate
quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse. Et hoc pro-
bat ex illo Apostoli ad Galat. 5.6. In Christo Iesu neque
circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides, que per
charitatem operatur. Nō dixit, sola fides, sed fides cum ope-
ribus ex charitate factis. Vnde idem Augustinus in En-

chiridio, cap.8. *Sine amore fides nihil prodest.*

10. *Quartum est qui fidem habet, certum esse de sua fide. Hoc, siue verum, siue falsum sit, nihil patrocina- tur Caluinistis. Nam, et si is, qui fidem habet, certus es- set de sua fide, non ideo quoque certus esset de sua iustitia, si sola fides non iustificat: nec certus de perse- uerantia, si fides amitti potest: nec certus de prædesti- natione, si fides communis est prædestinatis & repro- bis. At iam ostendi, solam fidem non iustificare, fidem amitti posse, nec solis prædestinatis, sed etiam reprobis conuenire. Addo, falsum esse, vnumquemque fidelem habere certitudinem fidei de sua fide. Non enim di- citur vnicuique à Deo, quod dictū est mulieri in Euā- gelio: O mulier, magna est fides tua: Et iterum: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace. Negandum tamen non est, posse nos habere certitudinem quandam moralem de nostra fide, fundatam in experientia vitali. Sicut enim is, qui gaudet vel tristatur, experitur se gaudere: sic is, qui credit, experitur se credere. Hoc sensu dixit Aug. lib.13. de Trinit. cap.1. Fidem porrò ipsam, quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus. Et D.Thom. 1.p.q.87.artic.2.ad 1. Fides percipitur ab eo, in quo est per interiorem actum cordis. Nullus enim fidem se habere scit, nisi per hoc, quod se cre- dere percipit.*

IV. PRIVILE G I V M.

Omnes Caluinistæ per internam spiritus sancti te- stificationem, norunt discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas: ideoque in hac re non egent iudice controversiarum.

1. **I**ta Dauid Paræus in disputatione de authoritate Scripturarum, vbi proponit & discutit hanc que- stionem:

stionem: *Vnde constat doctrinam Prophetarum, & Apostolorum esse diuinam & canonicam?* Et reiectis aliorum opinionibus, dicit id constare ex interna testificatione Spiritus sancti. Sic enim habet: *Spiritus sanctus testificatur in cordibus electorum de huius doctrine veritate & certitudine.* Filii siquidem Dei, legentes vel audientes libros Prophetarum vel Apostolorum, audiunt & agnoscunt loquela Patris sui, & discernunt eam ab aliis.

2. Hoc priuilegium sic debet explicari. Primo, omnes Caluinistæ sunt filii Dei. Hoc patet ex priuilegiis præcedentibus. Omnes enim ab utero materno nascentur sancti, & haeredes vitæ æternæ. Omnes certi sunt de sua iustitia, perseverantia & prædestinatione. Omnes igitur sunt filii Dei. Secundo, filii Dei audiunt & agnoscunt loquela Patris sui, & eam discernunt ab aliorum loquela; sicut oves agnoscunt vocem pastoris sui, & eam discernunt à voce aliorum, iuxta illud Ioan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Tertio, in Scripturis canonicas auditur vox, & loquela Dei Patris; in aliis non item. Igitur filii Dei, qui agnoscunt loquela Patris, eamque ab aliorum loquela non runt discernere, non runt etiam discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas. At Caluinistæ sunt filii Dei, de quo nemo dubitat. Igitur discernunt inter Scripturas canonicas & non canonicas. Non ergo necesse est, ut in hac re habeant iudicem controuersiarum; quia ipsis per se omnes controuersias sospire possunt.

EXAMEN.

3. Valde mihi suspectum hoc priuilegium est. Primo, quia, ut dixi, fundatur in præcedentibus priuilegiis, quæ planè subrepticia sunt, ut ostensum est. Non enim certi sunt Caluinistæ, se esse filios Dei, & oves veri

Pastoris, Imò figmentum est, quod iactant, se sanctos nasci ab utero materno. Secundo, quia male interpretantur illud Christi; *Oves meæ vocem meam audiunt.* Non enim est hic sensus, quem illi communiscunt, *Oves meæ vocem meam audiunt*, id est, discernunt inter Scripturas canonicas & non canonicas (nam Pharisei, qui non erant oves Christi, optimè discernebant inter Scripturas canonicas veteris Testamenti, & non canonicas: Et multi alij, qui erant oves, non discernebant) sed hic potius est sensus: *Oves meæ vocem meam audiunt*: id est, auditis meis cōcionibus, & visis tot miraculis à me patratis, credunt me esse filium Dei, quod Pharisei credere non volunt. Tertio, quia Caluinistæ negant, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, & Machabæos, pertinere ad Scripturas canonicas; quod tamen affirman^t Isidor. lib. 6. Etymol. cap. 1. Augustin. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8. Gelasius I. in decreto de libris sacris, quod extat in 2. tomo Conciliorum, Innocentius I. in epist. 3. ad Exuperium cap. vlt. & Patres Concilij Carthaginensis tertij. can. 47. Ergo necesse est, vel hos, vel Caluinistas errare in discernendis Scripturis canoniciis à non canoniciis. Si ergo filii Dei in eo puncto non errant; iterum necesse est, vel hos Patres, vel certè Caluinistas non esse filios Dei. Quis autem neget, Augustinum, Isidorum & similes viros sanctissimos, fuisse filios Dei? Si ergo hoc negari non potest, alterutrum è duobus dicendum est, vel Caluinistas non esse filios Dei; vel falsum esse, quod omnes filii Dei notint discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas.

4. *Idem* argumentum fieri potest de ipsis Caluinistis inter se collatis. Nam Beza, qui est unus ex Patriarchis Caluinistarum, putat caput octauum Ioannis, in quo agitur de adultera, non esse Scripturam canonicanam.

nonicam. *Alij Caluinistæ contra sentiunt: Si ergo omnes filij Dei norunt discernere inter canonicas & non canonicas Scripturas; planè sequitur, vel Bezam non esse filium Dei, vel certè alios Caluinistas non esse.* Hanc litem inter se componat. Et quid quæso dicent de Lutheranis, quos appellant suos fratres? Norunt illi discernere, nécne? Si norunt, cur reiiciunt Epistolam Iacobi, ut stramineam, quam admittunt Caluinistæ, ut canonicam? Si non norunt, iam non sunt oves, sed hirci. An ergo Caluinistæ agnoscunt hircos pro suis fratribus?

§. *Accedit postremò, quod non possint tueri suum priuilegium sine circulo. Hoc alibi prolixè ostendi contra Dauidem Paræum. Nunc breuiter sic repeto: Vnde constat tibi, Paræ, Scripturam Euangelij esse diuinam, & loquelas Dei Parris? Ex interna testificatione Spiritus sancti. Sed vnde constat, illam testificationem esse à Spiritu sancto? Ex scriptura Euangelij, Oves meæ vocem meam audient. At vnde scis, hanc esse scripturam diuinam? Ex interna testificatione Spiritus sancti. Et vnde scis hanc testificationem esse à Spiritu sancto? Ex Scriptura diuina, Oves meæ vocem meam audiunt. Et quis dixit tibi, hanc Scripturam esse diuinam? Interna testificatio Spiritus sancti. Et quis dicit hanc significationem esse à Spiritu sancto? Scriptura diuina, iam sæpe citata. Et putas hanc Scripturam diuinam esse? Omnidò. Sed vnde scis? Iam sæpè dixi: quid mihi molestus es? Dixisti quidem, sed in circulo. Nec inde exibis, nisi restituas priuilegium.*

V. PRIVILEGIVM.

Tametsi omnes antiqui Patres errarint, Caluinistæ tamen non errant: quia non ab hominibus, sed à Deo docti sunt, qui errare non potest.

1. **H**oc priuilegium habet duas partes. *Vna est, quod antiqui Patres in plerisque capitibus fidei ac religionis Christianæ errarint. Altera, quod Caluinistæ, cum sint à Deo docti, non errant. Priorem tradit Caluinus variis locis. Ait enim, antiquos Patres, seu primitiuvam Ecclesiā errasse in his punctis sequētibus.*
2. *Primo, de lib. arbitr. lib. 2. Institut. cap. 2. §. 4. Interscriptores, inquit, Ecclesiasticos, multi eorum longè plus aquo Philosophis accesserunt, &c.*

Et infrà: Certè quas retulimus sententias (antiquorum Patrum de libero arbitrio) esse falsissimas paulò post constabit.

3. *Secundo, de cooperatione liberi arbitrij cum gratia Dei, lib. 2. cap. 3. §. 7. Non rectè à Chrysostomo scriptum est, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quicquam posse operari.*
4. *Tertio, de iustificatione, lib. 3. c. 11. §. 15. Quod ad vulgares Papistas pertinet, vel Scholasticos, dupliciter hic fallitur. Et infrà: Schola in deterius semper aberravit, donec tandem præcipiti ruina deuoluta sunt ad quendam Pelagianismū. Ac ne Augustini quidē sententia per omnia recipienda est.*
5. *Quarto, de persona Mediatoris, lib. 2. c. 14. §. 3. Atq; hic excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangeliō Ioannis legitur, genuinum obscurant sensum, sequē implicant multis laqueis.*
6. *Quinto, de concupiscentia, lib. 3. cap. 3. §. 10. Neque opus est multum inuestigando laborare, quid hic veteres sense*

senserint. Et paulo post: Inter Augustinum & nos hoc dis-
trimentum interest, quod ipse concupiscentiam non audet vocare
peccatum, sed infirmitatem, nisi consensus acceleterit: Nos
autem pro peccato habemus, &c.

7. Sexto, de satisfactione, lib. 3. c. 4. §. 38. Parū autem me
mouēt, quæ in veterū scriptis de satisfactione passim occurrūt.
Video omnes ferè, quorū libri extant, hac in parte lapsos esse.

8. Septimo, de oratione pro defunctis, lib. 3. c. 5. §. 10.
Cum mihi obiiciunt aduersarij (id est, Catholici) ante mille
& trecentos annos usu receptum fuisse, ut precatio[n]es fierent
pro defunctis, eos vici[us] interrogo, quo Dei verbo, quareue-
latione factum sit. Et infra, de antiquis Ecclesiæ Docto-
ribus: Abrepti etiā ipsi, fateor, in errorem fuerunt. Et paulo
post; Monicam matrē suam in libris Confessionū Augu-
stini narrat vehementer rogasse, ut sui memoria in peragendis
mysteriis fieret ad altare. Anile scilicet votū, quod filius nō ex-
egit ad normā Scripturæ, sed pro naturæ affectu probari aliis
voluit. Liber autē de cura pro mortuis ab eo cōpositus, tot hæ-
sitationes continet, ut suo frigore merito debeat stulti Zeli ca-
lorem extinguere, si quis mortuorum patronus esse appetat.

9. Octauo, de merito, lib. 3. c. 15. §. 2. Vsi sunt, fateor, passim
vetustæ Ecclesiæ scriptores nomine Meriti, atque utinam vo-
cula unius abusu, erroris materiam posteris non præbuissent.

10. Nono, de solenni pœnitentia, lib. 4. c. 12. §. 8. Qua
in parte excusari nullo modo potest immoda veterum au-
steritas, quæ & prorsus à Domini præscriptio dissidebat, &
erat mirum in modum periculosa.

11. Decimo, de Quadragesima lib. 4. cap. 12. §. 20. Et
nunc passim inualuerat superstitione Quadragesima obser-
uatio. Et infra: Mirum est, tam crassam hallucinationem ho-
minibus acuti iudicij obrepere potuisse, quæ tot ac tam claris
rationibus refellitur.

12. Ex his constat, quid sentiat Caluinus de antiquis
Patribus, nempe lapsos & crassè hallucinatos esse; im-
plicu illi

plicuisse se multis laqueis; genuinum Euangelij sensum obscurasse:anilia probasse vota: docuisse falsissimas sententias: eorum errores excusari non posse, & quæ similia sunt. Eodem spiritu loquuntur omnes Calvinistæ de antiquis Patribus. Vnum aut alterum exempli gratia adducam.

13. Franciscus Iuniūs in iuis Notationibus ad 3.librum Bellarmini de Pontifice, sic passim loquitur. 1. Patres à vero vi plurimum aberrarunt. 2. Hac non testimonia sunt veritatis aut probabilitatis, sed vanæ suspicione, quibus boni Patres satis indulserunt. 3. In hoc argumento communem errorrem minimè stabilit sanctorum Patrum auctoritas. 4. Patrum testimonia in hoc casu fidem non obligant. 5. Quam infirma sit Patrum auctoritas, aliquoties ostendi. 6. De interpretationibus Patrum in obscuro hic palpantium, iam satis dictum. Et sic deinceps. Similia habent Conradus Graferus in Plaga Regia, & alij passim.

14. Quid verò de se sentiunt Calvinistæ, qui de antiquis Ecclesiæ Doctoribus tam sinistrè loquuntur? Nimirum, ex utero materno sanctos esse, certos de sua fide, iustitia, perseverantia, & vita æterna; in discernendis Scripturis canonicas à non canonicas, errare non posse: non ab hominibus, sed à Deo doctos esse; de se intelligi oportere, quæ sequuntur, Isaiae 54. 13. Dabo uniuersos filios tuos doctos à Domino. Ierem. 31. 34. Non docebit ultra vir proximum suum. Omnes enim cognoscunt me à minimo eorum usque ad maximum. Ioan. 6. 45. Erunt omnes docibiles Dei. 1. Ioan. 2. 27. Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos de omnibus. Et quid non?

E X A M E N.

15. In hoc priuilegio videntur id vnum spectare Calvinistæ, ut nobis persuadeat, se plus sapere, quam alios omnes, imò alios quotquot antegressi sunt, cum tota Eccle

Ecclesia primitiua, fuisse fungos & stipites: se deum, non modo homines, sed & sapientes homines, ac diuinitus illustratos esse, in quos error non cadat. Ego verò id persuaderi non possum. Sic potius sentio, insignter fatuos ac arrogantes oportere esse, qui de se ipsis tam magnificè, de aliis omnibus tam abiectè scribant ac loquantur. Debebant memores esse illius Ecclesiast. 8.9. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium; ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam.* Et paulò post: *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerūt à Patribus suis, quoniam ab ipsis discēt intellectū, & in tempore necessitatis dare responsum.* Debebant imitari S. Augustinum, qui tāti fecit Patres omnes, quotquot ante ipsum scripsérūt, ut quoties contra Donatistas de Baptismo, aut contra Pelagianos de peccato originali disputandum ip̄si esset, nō alio firmiori argumento putarit se posse eos constringere, quām si ex Patrum consensu ac traditione suam sententiam confirmaret. Eos porrò, qui vilipenderent authoritatem Patrum, graui ter infectabatur. Vnde contra Iulianum disputans, sic eum alloquitur: *I nunc & sancta Ecclesia tot tantosque Doctores, qui vita optimè gesta, debellatisque suorum temporum erroribus, gloriosissimè de hoc saeculo, antequam vos ebulliretis, excierunt, tanquam securus insulta.*

VI. PRIVILEGIUM.

Caluinistæ habent propriam doctrinam è cælo sibi reuelatam, quam reliqui Christiani hoc tempore non habent.

Capita huius doctrinæ sunt varia, quæ partim in Aphorismis Caluinistarū, partim in aliis Opusculis à me proposita & examinata sunt. Sed quia quotidie incrementum capiunt, & noua identidem accedunt;

dunt; contexam nouum Catalogum, in quo præcipua comprehendam, quæ hactenus in lucem prodierunt. Sunt autem hæc ferè.

2. *Primum*, Deus non est infinitus. Ita Conrad. Vorstius in tract. de Attributis diuinis, cum ait: *Deus non est ætu simpliciter infinitus, neque essendo, neque operando.* Et iterum: *Est quidem Deus purus actus, sed hoc non vetat, quin simul sit in sese finitus.*

3. *Secundum*, Deus non est ubique præsens, sed tantum in cœlo. Ita idem Vorstius in tract. citato, cum ait: *In scripturis affirmari omnino videtur, Deū ratione substātiæ sua tantū esse in cœlo.* Et post citata aliquot Scripturæ testimonia, sic concludit: *Simpliciter igitur credamus, quod sacra Scripturæ toties inculcat, Deū sua substātia in cœlo habitare: in terra vero virtute & sapiētia sua nobis adesse.*

4. *Tertium*, Substantia Dei est diuisibilis, ac proinde non est tota in qualibet re minima, sed secundum aliquam sui partem. Ita Vorstius ibidem: *Videtur, inquit, esse paradoxum, Deum sic omnis quantitatis expertem esse, ut totus substantialiter sit in re qualibet, etiam minima.* Eodem modo loquitur de anima rationali, quam ait esse corpoream, & vera quantitate præditam.

5. *Quartum*, Deus prædestinat homines ad æternam damnationem, sineulla ipsorum culpa, solum, quia ipsi ita placet. Ita Caluinus lib. 3. Inst. cap. 23. §. 2. *Homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur.*

6. *Quintum*, Deus est auctor omnium peccatorum. Ita Caluinus lib. 1. c. 18. §. 3. *Iam satis aperte ostendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti censores volunt otioso tantum eius permisso contingere.* Et infra §. 4. *Homo Dei impulsu agit, quod sibi non licet: id est, Homo impellitur à Deo ad peccandum.*

7. *Sextum*, Deus miserè illudit hominibus, simulans

se velle illos iuuare, cùm tamen nihil minus velit. Ita Caluinus lib. 3. c. 24. §. 13. *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accedit, sed ut reddantur cæciores: doctrinam profert, sed qua magis obstupecant; remedium adhibet, sed ne sanentur.*

8. *Septimum*, Christus non est in Eucharistia, sed tan-tum in cœlo. Ita Caluinus in confessione cum Tiguri-nis in re Sacramentaria: *Christus, quatenus homo est, non alibi, quā in cœlo querendus est. Proinde, qui in solennibus cœna verbis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, li-teralem sensum urgunt, eos tanquam præposteros repudiamus.*

9. *Octauum*, Imago Christi crucifixi nullo modo in templis toleranda est, omnesque, qui eam tolerant, sunt idololatriæ, non minus, quam gentiles, qui imagi-nes bestiarum colunt. Ita Dauid Paræus in comment. cap. 1. Epist. ad Rom. *Mutat, inquit, gloriam Dei, & ido-lolatriæ sunt, non soli gentiles, qui vel homines, boves, volu-cre, serpentes, Solem, Lunam, stellas, herbas, fortunam, vel harum rerum imagines pro Deo colunt, que est crassa idolo-latria, primo præcepto prohibita; sed etiam inter Christianos, omnes illi, qui imaginem Christi crucifixi, in templis ad re-presentandum Christum, & ad docendum rudiores de Chri-sto, tuentur. Et ante illum, Beza in colloq. Mompelg. *Fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari.**

10. *Nonum*, Sancti, qui dicuntur cum Christo regnare, sunt laruae, bestiae, carnifices. Ita Caluinus lib. 3. c. 20. §. 27. *Inde colligimus, nihil eos Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius intercessionem, nisi accedant Georgius, & Hippolytus aut similes laruae. Et in lib. de ratione re-formandæ Ecclesiæ; Omitto Dominicum & similes Carnifices. Omitto Medardum, Lubinum, & similes bestias.*

11. *Decimum*; Peccatum originale non tollitur per baptismum, sed in nobis manet, quamdiu viuimus. Ita Caluinus lib. 4. cap. 15. §. 10. *Iam perspicuum est,*

quam falsum sit, per baptismum solui nos & eximi ab originali peccato. Et in Antidoto Conc. Trid. sess. 5. Manet vero peccatum in nobis, neque per baptismum extinguitur.

12. Undecimum. Omnia iustorum opera sunt sordes, inquinamenta, & peccata mortalia, neque vitam, sed damnationem æternam promerentur. Ita Caluinus lib. 3. cap. 12. §. 4. *Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes, & quæ iniquitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Et cap. 14. §. 9. *Habemus, ne unum à sanctis exire opus, quod non mereatur iustum approbrij mercedem.* Et §. 12. *Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam extitisse pię hominis opus, quod si vero Dei iudicio examinetur, non esset damnable, &c.* Et in Antidoto Concilij Trident. sess. 6. cap. 12. *Inde conficitur, non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt quamlibet bona opera, si exacto rigore censeantur, æterna potius damnatione, quam vita premio digna esse.*

13. Duodecimum. Lex Dei est omnino impossibilis obseruatu: nec ab ullo, quantumuis sancto, hactenus seruata est, aut deinceps seruari poterit. Ita Caluinus lib. 2. c. 7. §. 5. *Quod autem impossibilem legis obseruationem diximus, id explicandum & confirmandum est.* Et in Antidoto Conc. Trid. sess. 6. c. 12. *Mihi abundè sufficit, neminem extitisse unquam, qui legi Dei satisficerit, nec ullum posse inueniri.* Et ibidem addit, *Prophetas, Patriarchas, & pios Reges, utcunque spiritu Dei adiuuarentur, ferrando legis iugo pares non fuisse.*

14. Decimumtertium. Fides ac sanctitas est propria electorum, & semel habita amitti non potest. Ita Caluinus lib. 3. cap. 2. §. 11. *Ergo ut solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam disperreat semen vitae, eorum cordibus insitum, ita solide in illis obsignat adoptionis sue gratiam, ut stabilis ac rata sit.* Et §. 12. *Hoc interim tenendum est, quantumuis exigua sit ac debilis*

bilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum sue adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam. Et c.21. §.6. Iam neque dubium est, cum orat Christus pro omnibus electis, quin idem illic preceatur, quod Petro, ut nunquam deficiat fides illocum. Ex quo elicimus, extra periculum defectionis esse.

15. *Decimumquartum.* Omnes filij fidelium ab utero materno nascuntur sancti & haeredes vitae æternæ, ac proinde saluari possunt sine baptismo. Ita Caluinus in Antidoto Concil. Trid. sess. 6. c. 5. Et lib. 4. Instit. c. 6. §. 24. Verba eius supra citata sunt in Priuilegio primo, & ibidem examinata.

16. *Decimumquintum.* Omnes filij illegitimi æternæ damnationi obnoxij sunt, nec ad baptismum admittendi. Ita Caluinistæ in Synodo Vilnensi, anno 1586. die 11. Martij, ubi decretum est, ne quis paruos illegitimè natos baptizare audeat, ut refert Adrianus Junius lib. 3. de doctr. & moribus Euangelicorum c. 17. Et in Palatinatu, anno 1587. articuli quidam Caluinisticæ reformationis disseminati sunt, quorum secundus habebat hæc verba; *Infantes qui ex illegitimo thoro nascuntur, æterne perditioni ac damnationi obnoxij sunt, nec per baptismum iuuari possunt.*

17. *Decimumsextum.* Peccata prædestinatorum nunquam imputantur; reproborum nunquam remittuntur. Ita Caluinus. Et quidem priorem partem tradit lib. 3. c. 4. §. 28. ut infra videbimus in priuilegio octauo. Posteriorem vero lib. 4. cap. 1. §. 20. 21. ubi docet, nullum peccatum remitti, nisi in Ecclesia. At reprobis, secundum Caluinum in Ecclesia non sunt. Nullum ergo peccatum illis remitti potest.

18. Hæc sunt præcipua capita doctrinæ Caluinistarum, in quibus ipsi à Catholicis, & ut plurimum etiam à Lutheranis dissentunt. Nec dubito, quin subsequentibus

annis plura alia habituri sint. Interim, quid de his paucis, quæ iam recensui, generatim sentiendum sit brevissimè indicabo.

EXAMEN.

19. Hoc priuilegium, iam initio nascentis Ecclesiae, ab Apostolo explosum est in epistola ad Galat. c. i. v. 8. ubi ait; *Licet Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam euangeliz auimus vobis, anathema sit.* Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: *Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Sine dubio, nihil aliud accepterunt ab Apostolo, nisi quod est in Euangeliō, & in Epistolis eiusdem Apostoli. Iam subsumo. At in Euangeliō, vel in Epistolis Apostoli non habetur, Deum esse finitum, diuisibilem, solo cœlo conclusum authorem peccati, prædestinare homines ad mortem sine ipsorum culpa, illudere mortalibus; Nec item, Christū non esse in Eucharistia, imaginem Christi crucifixi eliminādam esse; Sanctos esse larvas, bestias, carnifices; peccatum originale non tolli per baptismum; omnia iustorum opera esse sordes & inquinamenta; legem Dei esse impossibilem, fidem dari solis prædestinatis, omnes fidelium infantes ab utero materno sanctos esse, omnes illegitimè natos damnari, peccata prædestinatorum nunquā imputari. Hæc, inquam, & similia non accepterunt Galatæ ab Apostolo. Ergo qui hæc & similia euangelizauerit, anathema sit. Hoc autem faciunt Caluinistæ.

Porro, in singulis doctrinæ huius capitibus refutandis non necesse est hic immorari. Iam alibi id factum est. Hoc vnum addo, ex hac doctrina penitus euerti religionem Christianam. Nam præcipuum caput religionis Christianæ est, quod Christus sit verus Deus. Hoc euertitur per Caluinistas. Ipsi enim docent, ut ex Vorstio ostendi, Deum non esse ubique præsentem secundum substantiam suam, sed tantum in cœlo. Vnde ne-

cessa

cessariò sequitur, Christum, cùm in terris versatus est, non fuisse Deum secundum substantiam, sed tantùm hominem. Quo quid absurdius.apud Christianos? Et huic pernicioſo dogmati patrocinatur Paræus, quando docet imaginé Christi crucifixi è templis eliminandam esse, & omnē passionis eius repræsentationē, velut idololatricam, penitus abolendam. O tépora! ô mores!

VII. PRIVILEGIUM.

Caluinistæ non ita aſtricti ſunt ad ſuam doctrinam, quin poſſint contraria amplecti, cum lubet: & negare quod antea affirmabant.

1. **H**abemus luculentum exemplum in Caluino, qui hoc priuilegio frequenter uſus est. Nam in plerisque capitibus apertè ſibi ipſi repugnat. Hoc alias memini me oſtendiffe. Hic tamen exiſtimo repetendum eſſe, ne dum alia priuilegia commemoramus, hoc vnum prætermiſſum eſſe videatur. Igitur ex contradictionibus Caluini hæ potiſſimum occurruunt.
2. *Prima Caluini contradictione. Deus eſt author peccati; Deus non eſt author peccati.* Priorem partem docet contra Catholicos, lib. i. Instit. c. 18. §. 3. his verbis: *Iam ſatis apertè oſtendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ iſti censores volunt otioso tantum eius permifſu contingere. q. d. Catholici volunt peccata fieri Deo tantum permittente. Ego dico, fieri Deo auctore.* Posteriorem docet contra Libertinos, in libro, qui inscribitur: *Admonitio aduersus Libertinos.*

3. *Secunda.* Iste articulus symboli, *Credo Ecclesiam,* intelligi debet de sola Ecclesia inuisibili, quæ eſt prædestinatōrum; Non debet intelligi de sola inuisibili, ſed etiam de viſibili, quæ eſt communis prædesti-

natis & reprobis. Priorem partem docet in parvo **Catechismo**, cùm ait: *Sequitur quarta pars, in qua cōfitemur, nos credere vnam sanctam Ecclesiam catholicam.* Et statim explicans, quæ sit illa vna Ecclesia quam credimus, sic addit: *Quid est Ecclesia? Corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam eternam prædestinavit.* Posteriorem docet lib. 4. Inst. c. 1. §. 2. *In symbolo, inquit, ubi profitemur, nos credere Ecclesiam, id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus, refertur, sed ad omnes quoque electos Dei.*

4. **Tertia.** Nemo potest saluari extra Ecclesiam visibilem: aliqui possunt saluari extra Ecclesiam visibilem. Priorem partem docet lib. 4. c. 1. §. 4. his verbis: *Nunc de visibili Ecclesia differere propositum est.* Et paulo post: *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec vlla salus.* Posteriorem docet, tum lib. 4. c. 1. §. 7. tum c. 16. §. 24. & 25. Nam altero loco dicit, neminem admitti in Ecclesiam visibilem, nisi per baptismum: altero, filios fidelium, qui ante baptismum deceperunt, saluari posse. Vnde sequitur, aliquos saluari, qui in Ecclesiam visibilem nunquam admissi sunt.

5. **Quarta.** Omnes fideles certi sunt de sua iustitia & remissione peccatorum: Nulli fideles certi sunt de sua iustitia & remissione peccatorum. Priorem partem docet lib. 3. c. 2. §. 16. & alibi. Verba eius citata sunt superius in tertio priuilegio.

Posteriorem tradit lib. 3. c. 2. §. 10. *Tot vanitatis recessus habet, tot mēdacijs latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi teclum est, ut seipsum sape fallat.* Et §. 11. *Experientia ostendit, reprobos interdum simili ferè sensu, atque electos, affici, vt ne suo quidem iudicio, quicquam ab electis differant.*

6. **Quinta.** Fides est causa iustificationis; fides non est causa iustificationis. Priorem partem docet in **Antidoto Concil. Trid. sess. 6. can. 9.** *Solam fidem iustificationis causam*

causam esse intelligimus. Et can. *Vim iustificandi fidei in solidum vindicamus.* Posteriorem docet lib. 3. Inst. c. 13. §. 5. *Quoad iustificationem, res est merè passiva fides.*

7. *Sexta.* Homo in statu innocentiae habuit liberum arbitrium; Homo in illo statu non habuit liberum arbitrium. Priorem partem docet lib. 1. Inst. c. 15. §. 7. *In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, quo si vellet, adipisci posset vitam aeternam.* Et infra: *Potuit Adam stare si vellet, quādō non nisi propria voluntate cecidit.* Posteriore docet lib. 3. c. 23. §. 8. *Nō dubitabo igitur simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum esse, quod ille voluerit.* Et paulo ante, §. 6. in fine; *Constat ordinatione & nutu Dei omnia euenire.*

8. *Septima.* Iustitia inhærens, quam Catholici admittunt, non est admittenda; iustitia inhærens, quam Catholici admittunt, est admittenda. Priorem partem docet in Antidoto Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. *Falsum esse contendō, ullam iustitiae partem in qualitate sitam esse vel habitu, qui in nobis resideat.* Posteriorem in libro de vera Ecclesiæ reformatione; *Nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur iustitia inhærente.*

9. *Octaua.* Sancti post hanc vitam statim sunt in cœlesti beatitudine: Sancti post hanc vitam non statim sunt in cœlesti beatitudine; Imo stultum & temerariū est, alterutrum definire. Primam partem docet in Psychopannychia, vbi explicans Apostolum 2. Cor. 5. sic ait, *Vi ergo nihil addamus, verba sine interprete hoc loquuntur, nos sensuros Dei præsentiam, cùm ab hoc corpore separabimur: iam non per fidem ambulaturos, sed per speciem, quoniam hoc terræ pondus, quo premimur, nos à Deo, quasi maceris, longo interuallo separat.* Et ibidem, *Miretur nunc quis,* cur in sinu Abrahæ requiescere dicantur electi Dei, qui ex hac vita ad Deum transierunt; nempe quod in sede pacis recipiuntur cum Abraham patre fideliū, vbi Deo fruuntur ad

satietasem, citra fastidium. Secundam docet in eodem libello, his verbis; Semper in cursu est eorum desiderium, donec impleta fuerit Dei gloria, cui impletum adferet dies iudicij. Tunc verum erit illud: Satiabor, cum euigilauero, aspectu vultus tui. Et infra; Exspectant quod nondum habent, & suam mercedem eminus vident. Tertiam docet lib. 3. Inst. c. 25. §. 6. Valde se torquent multi disputando, quem locum occupet Sancti, an cœlesti gloria fruantur, necne. Atqui stultum & temerarium est de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat. Et paulo post: Omnia tenentur suspensa, donec Christus appareat redemptor.

10. Nona. Corpus Christi est præsens in Eucharistia; corpus Christi non est præsens in Eucharistia, sed tantum in cœlo. Priorem partem docet in cap. 11. prioris ad Corinthios: Christus visibile illud symbolum nobis porrigoendo, una dat etiam nobis suum corpus. Neque enim fallax est, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi est extra controvërsiam, veritatem hic cum suo signo coniunctam esse, id est, corpus Christi cum symbolo panis coniunctum esse. Posteriorem docet in Confessione de re Sacramentaria; Cum signa hic in hoc mundo sint, oculis cernuntur, palpantur manibus; Christus non alibi, quam in cœlo querendus est. Et ibidem; Quia tamen corpus Christi finitum est, & cœlo ut loco continetur, necesse est à nobis tanto locorum interualllo distare, quanto cœlum abest à terra.

11. Decima. Animæ sanctorum Patrum veteris Testamenti, ante mortem Christi, fuerunt inclusæ in carcere; Eadem animæ non fuerunt inclusæ in carcere. Priorum partem docet contra Anabaptistas in Psychopanychia, cum ait: Nec vero miretur quisquam, includi carcere sanctos Patres, qui redemptionem Christi expectabant. Posteriorem docet contra Catholicos, lib. 2. Inst. c. 16. §. 9. Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.

12. Præter has, sunt aliæ propè infinitæ contradictiones

des in Caluino, quas colligere longū esset. Caluinum strenuè imitantur Caluinistæ. Et quisque non sibi tantum, sed etiam aliis suæ sectæ hominibus liberrimè contradicit. Imò sic agunt, scribunt, & loquuntur singuli, quasi nonnisi pugnantibus ac dissonantibus tibiis in Caluinismo cantandum sit.

EXAMEN.

13. De hoc priuilegio, hæc videntur mihi certa. *Primo*, quòd à Deo concessum non sit. Nam, ut loquitur Apostolus 1. Corinth. 14.33. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et propterea idem Apostolus 1. Corinth. 10. vehementer dissuadet hoc priuilegium, cum ait: *Obscro vos fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Secundo, quòd ab eo Spiritu concessum sit, qui de seipso dicit 3. Regum 22.22. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Tertio, quòd non diu duraturum sit, ut prædictum Christus Lucæ 11.17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Quarto, quòd sit proprium hominum superborum, iuxta illud Proverb. 13.10. *Inter superbos semper sunt iurgia.* Quod optimè quadrat in Caluinistas. Nota sunt iurgia inter Gallicanos & Piscatorianos; inter Gommaristas & Vermilianos in Batauia, inter Professores Heidelbergenses & ministros Palatinos: quæ omnia fusè prosequitur Petr. Cudlemeius in suo libello, quem scripsit de desperata Caluini causa.

VIII. PRIVILEGIVM.

Caluinistæ, sicut habent propriam doctrinam, sic habent etiam proprium ac peculiare Purgatorium, distinctum à Purgatorio Catholicorum.

1. Ita Caluinus lib.3. Instit. cap. 20. §. 20. vbi de suo Purgatorio, quod ipse Atrium appellat, sic loquitur, *Intelligimus Christum sic apparere coram facie Dei, ut sanctuarium celi ingressus, ad consummationem usque saeculorum, solus populi eminus in atrio residentis vota ad Deum deferat.* Hic, vt vides, duo affirmat. 1. solum Christum ingressum esse sanctuarium celi. 2. populum Christianum, id est, Caluinistas, eminus in quodam Atrio residere, & ibi expectare usque ad finem mundi. Per Atrium, vt dixi, intelligit Purgatorium.
2. Porro, hoc Caluinistarum Purgatorium ex his 4. fundamentis deduci debet. Primum est, quod peccatum originale nihil aliud sit, quam prauitas naturae, cœcitas mentis, & auersio voluntatis à Deo, cum reatu pœna æternæ, vt ex Caluino definit David Patæus in suis thesibus de peccato. Alterum, quod hoc peccatum maneat in Caluinistis, quamdiu in hac vita degunt, vt docet Caluinus lib. 2. Instit. cap. 1. §. 8. & lib. 4. cap. 15. §. 10. Vnde sequitur, Caluinistas, quamdiu in hac vita degunt, habere naturam corruptam, esse cœcos mente, auersos à Deo, & reos æternæ mortis. Tertium est, quod omnia Caluinistarum opera vitientur & contaminentur ex cōtagione peccati originalis, quod semper in ipsis manet in hac vita; ac proinde omnia ipsorum opera sint *inquinamenta, sordes, & mera iniquitas*, vt loquitur Caluinus lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. & alibi. Vnde sequitur, Caluinistas non modò cœcos esse, & à Deo auersos; sed etiam sordidos, immundos & inquinatos. Quartum, quod nihil immundum & inquinatum possit intrare in regnum cœlorum, iuxta illud Apocal. 21. 27. *Non intrabit in eam (ciuitatem cœlestem) aliquod coquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.*
3. Ex his fundamentis sic concludo: Nullus immun-

dus & inquinatus potest intrare in regnum cælorum, nisi prius purgetur & mundetur. Atqui Caluinistæ, quamdiu h̄c viuunt, sunt immundi & inquinati propter peccatum originale ; & omnia ipsorum opera sunt *inquinamenta, sordes, & mera iniquitas*, vt ex dictis patet. Ergo non possunt intrare in regnum cælorum, nisi prius purgentur & mundentur. Non purgatur autem in hac vita, quia semper hic manent obnoxij peccato originali. Ergo, si salui esse velint, post hanc vitam purgari necesse est. Ergo datur aliquod Purgatorium pro Caluinistis post hanc vitam. *Quis dubitet?*

E X A M E N.

4. *Circa hoc Caluinistarum Purgatorium tria examinanda sunt.* 1. vbi locorum sit? 2. quomodo differat à nostro Purgatorio. 3. quid agant ibi Caluinistæ? *Quod ad primum punc̄tum attinet, Caluinus fatetur quidem, Purgatorium suum longè distare à cælo, ut patet ex verbis illius (lib.3. Instit. cap.20. §.20.) supra citatis; non tamen vult patefacere certum locum, vbi sit, vt videre est lib.2.c.25.§.6. Igitur ex Scripturis hoc inuestigandum est, si fieri potest. Ex iis constat, varia esse animarū loca post hanc vitam. Primus est *Cælum*, in quo Angeli sunt, Matth.22.30. Secundus est *Infernus*, in quo diues epulo sepultus est, Lucæ 16.22. Tertius *Sinus Abrahae*, ad quem anima Lazari ab Angelis deportata est, ibidem. Quartus est *Paradisus*, in quem latro admisssus fuit, Lucæ 23.43. Quintus est *lacus sine aqua*, in quo antiqui Patres detinebantur, Zach.9.11. Sextus est *Carcer*, in quem Christus post mortem descendit. 1.Pet.3.19. Septimus est *sub Altari*, vbi animæ Martyrum requiescere visæ sunt, Apocal.6.9.*
5. In quo igitur horum locorum quærendæ sunt animæ Caluinistarum post hanc vitam? An in cælo?

Ego quidem vellem. Sed reclamat Caluinus : Solum Christum vult esse in cælo ; Caluinistas in atrio expectare usque ad consummationem sæculorum. Et ratio illi fauet. Nihil enim immundum & inquinatum intrare potest in cælū, nisi prius purgetur. At animæ Caluinistarum sunt immūdæ & inquinatæ peccato originali. Ergo prius purgari debent. Non purgantur autem in hac vita, ut supra ostensum est. Ergo post hāc vitam purgari debent alicubi, antequam cælū ingrediantur. At hunc ipsum locū, in quo purgantur, inuestigamus.

6. An ergo sunt in sinu Abrahæ? Benè profectò cum illis ageretur, si ibi essent. At non esse ibi, valde probabile est, quod dupliciter ostendo. Primo, ex ipsorum concessione. Nam David Paræus Caluinista in cap. 10. ad Hebræos, contédit, per sinum Abrahæ intelligi cælum. At animæ Caluinistarum nō sunt in cælo, ut Caluinus cōcedit. Non ergo sunt in sinu Abrahæ. Secundo, quia nemo est in sinu Abrahæ, nisi qui imitatur fidem Abrahæ. Hoc non faciunt Caluinistæ. Nam Abraham credidit Deo, nō solùm ea, quæ ipsi possilia, sed etiā, quæ impossibilia videbātur; ut quod esset genitus filium, cum nec ipse, nec vxor eius Sara, propter senectutem apti essent ad procreandam sobolem. At Caluinistæ solùm credunt ea, quæ ipsis possilia, non autem, quæ videntur impossibilia. Non enim credunt, corpus Christi simul esse in duobus locis, quia hoc impossibile illis videtur. Non ergo imitatur fidē Abrahæ. Quomodo igitur in sinu Abrahæ inueniri queant?

7. An fortè sunt in Paradiso? Legimus quidem Henoch eo translatum esse, Ecclesiast. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.* Legimus & latroni dictum esse, *Hodie tecum eris in Paradiso.* At Caluinistas ibi esse, quis credat? Certè Caluinus in cap. 12. posterioris ad Corint. per Paradisum intelligi vult cælestem

Iestem gloriam. Animæ autem Caluinistarum non sunt in cœlesti gloria, ut testatur idē Caluinus lib. 3. Inst. c. 25. §. 6. vbi docet, eas usque ad diem iudicij. cœlestem gloriam expectare. Ergo iam non possunt esse in Paradiso.

6. An igitur sunt in lacu (de quo Zacharias loquitur) in quo non est aqua ? Hoc definiri non potest, nisi prius constet , quid per lacum intelligatur. Catholici, aut Limbum antiquorum Patrum , aut certè nostrum Purgatorium intelligi putant. Quod si res ita haberet, nullo modo dicendum est, animas Caluinistarum post hanc vitam esse in Lacu ; quia Caluinus tam Limbum quam nostrum Purgatorium, nihil aliud , quam fabulam esse vult. Apud Caluinistas inuenio tres opiniones de hac re. Prima est, per Lacum intelligi profundos inferos. Ita Caluinus lib. 3. Inst. c. 16. §. 9. Altera est, intelligi seruitutem peccati. Ita Plessæus lib. 3. de Eucharistia c. 7. Tertia est , intelligi Captiuitatem Babyloniam. Ita Matthæus Sutliuius in libro de Purgatorio contra Bellar. c. 14. Igitur tota quæstio versatur in his tribus punctis. Primo , an animæ Caluinistarum post hanc vitam sint in profundis inferis? De quo postea. Secundo , an sint in seruitute peccati ? Nihil certius , secundum principia Caluinii haec tenus tradita. Decedunt enim ex hac vita cum peccato originali , id est , cum cœcitate mentis, auerione voluntatis à Deo , & reatu mortis æternæ. Hinc tamen propriè non satisfit nostro instituto; quia non disputamus de statu peccati , in quo sunt animæ Caluinistarum , cum de eo satis constet ; sed de loco, in quo purgari possint à peccato. Tertio, an sint in captiuitate Babylonica ? Secundum sensum literalem non sunt, quia captiuitas illa multis iam sæculis præteriit, & omnino finita est. Sunt tamen secundum sensum mysticum, quia sunt in seruitute peccati, ut dictū est. Hæc autem seruitus optimè designatur per captiuitatem Babyloniam.

Babylonicam, ut fatentur auctores citati.

9. Quid si in carcere sunt, in quo Christus prædicauit, spiritus piorum & impiorum, ut explicat Caluinus ex Apostolo Petro? Hic Caluinus omnino tergiuersatur. Imo sibi contrarius est. Nam lib. 2. Instit. c. 16. §. 9. de hoc ipso carcere sic scribit: *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.* At in Psychopannychia multo aliter: *Nec verò inquit miretur quisquam includi carcere sanctos Patres, qui redemptionem Christi expectabant.* Nimirum priori loco oppugnat Catholicos, qui illum carcerem admittunt; posteriori Anabaptistas, qui illū negant. Igitur, si Catholici quærát ex Caluino, an animæ piorum Caluinistarum post hanc vitam in carcere concludátur, respondebit: *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.* Si autem Anabaptistæ interrogent, an animæ piorum carcere includi possint, occurret hoc modo: *Nec verò miretur quisquam includi carcere sanctos Caluinistas, qui aduentum Christi expectant.* Hæc ex Caluino. Quod ad rem attinet, puto Caluinistas non esse in isto carcere, de quo Petrus loquitur. Verba enim Petri sunt hæc: *In quo & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Ex quibus sic concludo: Illi tantum leguntur esse in isto carcere, qui tempore Noë fuerunt increduli. At Caluinistæ, suo certè iudicio, nec increduli sunt, nec tempore Noë vixerunt. Non ergo sunt in isto carcere.

10. Quid si expectent sub Altari, de quo Ioannes loquitur in Apocalypsi? Nec id puto. Nam animæ, quæ leguntur esse sub Altari, habent duas conditiones, quæ non conueniunt Caluinistis. Una est, quod sint animæ imperfectorum propter verbum Dei. Altera, quod induitæ sint stolis albis, Neutra potest accommodari

Calui

Caluinistis. Non prior, quia nec Caluinus, nec Beza, nec Iunius, nec similes alij, propter verbum Dei interfecti sunt. Nec posterior, quia per stolam albam intelligitur beatitudo animæ. At animæ Caluinistarum non sunt beatæ, quia manent obnoxiae peccato originali, & exspectant fruitionem gloriae usque ad consummationem sæculorum, ut supra ex Caluino ostendi.

11. Quid ergo? An apud Inferos sunt? Non ausim affirmare. Sed tamen probabile est, triplici de causa. Primo, quia si non sunt in cœlo, nec in sinu Abrahæ, nec in Paradiso, nec in Lacu aut carcere, nec sub Altari; omnino necesse est, vel esse in Inferno, vel dari alium locum præter enumeratos. At alium locum in Scriptura non inuenio, nisi forte Purgatorium Catholicorum, à quo abhorrent Caluinistæ. Ergo nihil reliquum est illis, præter Infernum. Secundo, quia Caluinus fatetur, eos esse in atrio, quod lôgè dister à cœlo. At tale atrium est Infernus, in quo diues epulo sepultus est, iuxta illud Lucæ 16.26. *Magnum chaos firmatum est inter nos & vos.* Tertio, quia si essent alibi, quam in Inferno, Caluinus explicasset. Nunc autem effugium querit, & ægrè fert, nos curiosius inquire & disputare de loco, in quo piiorum Caluinistarum animæ delitescunt, ut patet lib. 2. Instit. cap. 25. §. 6. Quis ergo rem totam merito suspectam non habeat?

12 Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, colligo magnum esse discrimin inter Purgatorium Caluinistarum & Catholicorum. Et quidem triplex. Primum est, Catholicæ, qui post hanc vitam veniunt ad Purgatorium, iam ante liberati sunt à peccato originali per Baptismum, & à mortalibus per confessionem & pœnitentiam. Solum manet in illis reatus pœnae temporalis, & nonnulla peccata venialia, quæ expiari debent. At Caluinistæ portant omnia secum ad suum Purgatorium, nempe pecca-

peccatum originale, mortalia & reatum pœnæ æternæ.
Indigent ergo fortiori Purgatorio.

13. Alterum est; Caluinistæ manent in suo Purgatorio usque ad consummationem sæculi, ut ex Caluino supra ostensum est: Catholici citius liberantur. Nam aliqui manent tantum paucis horis; alij certis diebus; nonnulli aliquot annis. Ratio huius differentiæ duplex est. Prior, quia Catholici possunt iuuari indulgentiis & suffragiis viuentium. Vnde fit, ut quo plura vel pauciora fiunt pro illis suffragia, eo, cæteris paribus, citius aut tardius liberentur. Caluinistæ respuunt huiusmodi præsidia, & tam generosi sunt, ut malint expectare usque ad Christi aduentum, quam à viuentibus opem implorare vel admittere. Posterior, quia Catholici nihil habent expiandum in purgatorio, nisi reatum pœnæ temporalis & aliquot peccatavenialia. Ergo quo quisque cum minori reatu pœnæ, & paucioribus venialibus accedit, eo citius liberatur: Caluinistæ vero, ut dictum est, non solum ferunt secum peccatum originale, & mortalia; sed etiam reatum pœnæ æternæ, qui breui tempore expiari non potest. Debent igitur expectare aduentum Christi, & videre, si quid tunc solatij habere possint, ne cogantur in æternum luere.

14. Tertium est; De Purgatorio Catholicorum, saltem apud Catholicos, multa certa sunt. Primo, quod sit in loco subterraneo. Secundo, quod sit distinctum ab utroque Limbo: altero antiquorum Patrum veteris Testamenti: altero parvulorum sine remedio decedentium. Tertio, quod sit distinctum ab inferno damnatorum. At Purgatorium Caluinistarum, quia recens est, nondum penitus perspectum esse potest. Solùm constat, remotum esse à sanctuario cœli. At ybi præcisè sit, non audet Caluinus definire. Nos tamen ostendimus, probabile esse, nō distingui ab inferno. Infernus autem est

est in loco subterraneo, non procul à centro terræ. Itaque circa centrum terræ quærendi sunt Caluinistæ, qui migrant ex hac vita. Nisi nautæ Hollandici alium locum inueniant in Oceano Septentrionali.

15. Sequitur tertia quæstio, quid agant Caluinistæ in suo Purgatorio? Anabaptistæ docent, animas post hanc vitam nihil agere, sed perpetuo quodam sopore usque ad communem resurrectionem oppressas teneri. Hos redarguit Caluinus in Psychopannychia, & multis Scripturæ testimoniis ostendit, eas semper aliquid agere, & minimè sopitas aut otiosas esse. Nunc ergo quæstio est, quid agant? Et speciatim id queritur de animabus Caluinistarum, quæ in suo atrio seu Purgatorio usque ad consummationem sæculorum, ut vult Caluinus, mansuræ sunt. Non enim satis apparet, quibus negotiis, præsertim tanto temporis interuallo, distineri & occupari honestè possint.

16. Fateor hoc punctum explicatu difficultimum esse, sed tamē, quia spectat ad perfectam cognitionem Purgatorij Caluinistici, prætermitti omnino nō debet. Atque utinā Caluinus hoc ipsum paulo tractasset accuratiū; minus certè studij ac laboris adhibendū nobis iam esset. Nunc contra res accidit. Vix quicquam habemus ex Caluino, nisi generalia quædam principia, ex quibus tamen, ut opinor, vt cunque res definiri poterit.

17. Sunt autem hæc Caluini principia. *Primum*, animas Caluinistarum ex hac vita decedere cum peccato originali, id est, cum cœcitate mentis, auersione voluntatis à Deo, & reatu æternæ mortis. *Alterum*, expectare in suo atrio seu Purgatorio usque ad consummationem sæculorum. *Tertium*, interea nihil certi eas habere de suo futuro statu, sed omnia teneri suspensa usque ad Christi aduentum. Hæc partim patent ex dictis, partim ex Caluino lib. 2. Instit. c. 25. §. 6.

vbi ait: Interea cum Scriptura vbiique inbeat pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriae coronam eo usque differat, contenti simus his finibus diuinitus nobis prescriptis, animas piorum militie labore perfundas, fruitionem promisae gloriae expectare: atque ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat Redemptor.

18. Ex his principiis euidenter deduci possunt haec quinque Corollaria. 1. Animas Caluinistarum in suo Purgatorio, multis falsis opinionibus ac erroribus perpetuo deludi & distineri. 2. easdem nihil aut parum affici ad res diuinas; ac potius toto affectu circa terrenas & illicitas occupari. 3. peiori nunc esse conditione, quam fuerint in hac vita. 4. imo detestari nunc illam fidem & persuasionem, quam in hac vita habuerunt. 5. Et quod grauius est, de sua salute desperare. Haec singula seorsim probo, hoc modo.

19. Primo: Sicut illi, qui oculis capti sunt, & cœcitatem corporis laborant, non possunt lumen aspicere, nec rectam tenere viam, sed saepe aberrant, & in foueas aut præcipitia labuntur, iuxta illud Matthæi 15. 15. Cœcus si cœco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt: sic etiam illi, qui laborant cœcitatem mentis, non possunt lumen veritatis aspicere, sed multis errorum tenebris deludi necesse est. Atqui animæ Caluinistarum in Purgatorio laborant cœcitatem mentis, quia manent in peccato originali, quod cœcitatem mentis includit, ut supra dictum est ex Caluino & Paro: Ergo non possunt lumine veritatis percipere; sed necessario multis erroribus & falsis opinionibus deluduntur. Sed quibus? Sine dubio, iisdem ut plurimum, quibus in hac vita deludebantur. Cuiusmodi sunt, Deum esse authorem peccati; Ecclesiam Christi errare; Papam esse Antichristum.

20. Secundo, Illi, quorum voluntas à Deo aversa est, non possunt bene affici ad res diuinas, sed potius in terre

terrenas & illicitas se immergunt: Atqui voluntas Caluinistarum in Purgatorio existentium est auersa à Deo, ratione peccati originalis , cui obnoxij sunt , & quod talem auersionem includit', vt supra dictum est. Ergo Caluinistæ in suo Purgatorio existentes non possunt benè affici ad res diuinas, sed potius in terrenas & illicitas se immergunt. In quas illas? in mendacia, cōuitia, perfidiam, crudelitatem, odia, contentiones, similitates, dissidia. Hæc enim amarunt in vita sua; & vt dicit Scriptura, *Opera eorum sequuntur ipsos.*

21. *Tertio*, Qui dubij & perplexi sunt de sua salute, peiori conditione sunt, quam qui certi & securi: Atqui Caluinistæ in Purgatorio existentes, sunt dubij & perplexi de sua salute , iuxta tertium Caluini principium, paulo ante propositum. Et in hac vita fuerunt certi & securi, vt in alio priuilegio dictū est: Ergo nūc in Purgatorio sunt peiori conditione, quā in hac vita fuerint.

22. *Quarto*, Illi meritò damnant ac detestantur suam fidem & persuasionem, qui apertè vident, se miserè per eam delusos ac deceptos esse, præsertim in re omnium grauissima. Atqui Caluinistæ in Purgatorio existentes, apertè vident, se miserè delusos, ac deceptos esse per eā fidem & persuasionem, qua in hac vita crediderunt, se esse prædestinatos & certos de sua salute, cùm nunc cōtrarium experiātur, & de tota re dubij ac perplexi sint. Ergo meritò nūc detestantur suam fidem & persuasionem, quam in hac vita habuerunt. Et possunt dicere illud Sap.5.6. *Errauimus à via veritatis, & iustitiae lumen non luxit nobis, & sol intelligentia non est ortus nobis.*

23. *Quinto*, Qui ex una parte certò sciunt, neminem saluari posse sine vera fide ; & ex altera , se in hac vita non habuisse veram fidem, meritò de sua salute desperare possunt. Atqui Caluinistæ in Purgatorio existentes, ex una parte certò sciunt, se saluati non posse sine

vera fide; & ex altera, se in hac vita non habuisse veram fidem, sed inanem persuasionem de certitudine salutis & prædestinationis. Ergo meritò possunt desperare de sua salute.

24. Sic igitur patet, quid agant Caluinistæ in suo atrio seu Purgatorio. Nimirum variis erroribus deluduntur; à diuinis rebus omnino auersi ac alieni sunt; fidem & persuasionem, quam in hac vita fecuti sunt, penitus derestantur, & quod omnium molestissimum est, de salute desperant.

IX. PRIVILEGIUM.

Tametsi Caluinistæ enormiter quotidie peccent, & flagitiosè viuant: tamē peccata ipsis nō imputātur.

1. **I**ta Caluinus lib. Instit. c. 8. §. 59. *Habeant filij Dei, omne peccatum mortale esse, quia est aduersus Dei voluntatem rebellio, que eius iram necessario prouocat. Sanctorum (id est, Caluinistarum, qui ex vtero materno sancti sunt) delicta venialia esse, non ex suapte natura, sed quia Dei misericordia veniam consequuntur.* Et lib. 3. c. 4. §. 28. *Caterum fidelium peccata venialia esse, non quia non mortem mereantur, sed quia non imputantur.*

2. Ex his Caluinii verbis colliguntur tria puncta. *Primum, omnia peccata ex natura sua esse mortalia. Alterum, peccata impiorum manere mortalia, & nunquam deleri aut veniam consequi. Tertium, peccata sanctorum (Caluinistarum, qui ex vtero materno sancti sunt) ex mortalibus fieri venialia, & nunquam illis imputari.* Igitur etiamsi Caluinistæ committant furta, homicidia, sacrilegia, adulteria, & quæcunque alia enormia flagitia; nihilominus manere sanctos, (quales ex vtero materno nati sunt) nec quicquam illis obesse, quod

quod huiusmodi sceleribus se immergant. At si reliqui tale quippiam perpetrent, reos esse æternæ mortis, nec vñquam salutem sperare posse. Quis cum tali priuilegio non malit esse Caluinista?

E X A M E N.

3. Hoc Priuilegium Caluinistarum maius est, quam fortasse apparet. Nec scio quenquam in veteri aut novo Testamento, qui simili Priuilegio vsus sit. Vnde facile cōiici potest, quo loco apud Deum ipsi sint præ aliis mortalibus. Adam propter vnum peccatum inobedientiæ è Paradiso expulsus est; ex immortali, factus est mortalis: & totam suam posteritatem morti ac peccato obnoxiam reddidit. Grauis pœna. At Caluinistis impunè licet esse inobedientes: quotidie violant legem Decalogi, & manent æquè sancti. Dauid vir secundūm cor Dei, adulterium & homicidium commiserat. Quid illi factum? Audi Scripturam 2. Reg. 12. 9. *Quare contempsti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Vriā Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.* Si fuisset Caluinista, non accepisset tam duram sententiam. Solo priuilegio poterat liberari ab omni pœna. Petrus Apostolus negauit Christum cum periurio. An impunè? Nullo modo. Alioqui tam amarè lacrymatus non esset. Caluinistæ non indigent his lacrymis. Etsi enim periuri sint, tamen periurium ipsis non imputatur.

4. Dicam amplius. Core, Dathan & Abiron contra Mosen murmurarunt. Quo euentu? *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit eos cum tabernaculis suis, & uniuersa substantia eorum, descenderuntque viui ad infernum.* Num. 16. 31. Caluinistæ quotidie murmurant cōtra Pontificē & Episcopos; & bene ipsis est,

rebelles sunt suis Regibus , & laudem inde merentur.
 5. Venio ad nostra tempora. Catholici, si obdiant Pontifici, habentur pro' Antichristi satellitibus: si interficiunt Missæ sacrificio, sacrilegi audiunt; si obseruent ieiunia, de hypocrisi notantur: si diebus festis abstineant ab externo opere , & impensius vacent diuino cultui, superstitioni habentur: si voulent castitatem , excusari non possunt: si statum religiosum ineant, sexcentis diris deuouentur. Vno verbo, quocunque modo se gerant, rei sunt mortis ac damnationis. Omnia ad supplicium imputantur. Quanto feliores Caluinistæ! Etiamsi pessimè agant, nihil tale merentur, Regicidia, sacrilegia, prodiciones, rebelliones, blasphemiae, tantum abest, ut ipsis imputentur , ut ne nomina quidem eorum flagitorum in ipsos conueniant. Mirum, si hoc priuilegio fruituri sint post hanc vitam.

X. P R I V I L E G I V M.

Caluinistæ possunt impunè mentiri & calumniari, suumq; Euangelium hoc modo propagare, & Catholicorum vitam & doctrinam traducere.

1. **H**oc Priuilegium præcedenti annexum est. Nam si nulla peccata, quantumuis enormia, Caluinistis imputantur; certè nec mèdacia, nec calumnias imputari necesse est. Impunè igitur mentiri & calumniari possunt. Et hoc strenuè faciunt. Incipiam à mendaciis.
2. Calvinus, qui aliis in hoc genere præluxit, insigne specimen huius Priuilegij exhibuit lib. 4. Inst. c. 7. §. 27. vbi ait: Pontifices cum Cardinalibus docere , nullum esse Deum, nullum Christum, nullam resurrectionem. Verba eius sunt hæc: *Quasi vero dubium sit, qualem religionis speciem professi sint iampridem Pontifices cum toto Cardinalium*

naliū collagio, & hodie profiteantur. Primum enim arcane illius Theologiae, quæ inter eos regnat, caput est, nullum esse Deū. Alterum, quecunq; de Christo scripta sunt, ac docētur, mendacia esse & imposturas. Tertiū, doctrinā de vita futura & ultima resurrectione, meras esse fabulas. Iam pridem hac ordinaria esse cœpit Pontificū religio. Quid hoc mendacio potest esse mendacius? Quanto rectius dixerim; Iam pridē hæc ordinaria esse cœpit Caluinī mentiendi libri 3. Sed, an solus Caluinus mendax? Etiam asseclæ ipsius hoc priuilegio se tuentur. Longum esset de singulis seorsim dicere. Paucos duntaxat attingam. Igitur Gabriel Bouelus in libro de Antichristo, aliquot mendaciorum plaustris obruere Catholicos conatus est. Ait eos docerè hæc puncta. 1. quod Papa possit dispensare cōtra vetus ac nouum Testamentum. 2. quod possit creare, seu aliquid ex nihilo producere. 3. quod Sacramenta à Christo instituta mutare, quoad eorum substantiam. 4. quod maius peccatum sit, comedere carnes die prohibito, quam adulterium committere. Hæc & similia, quæ ille author commemorat, an non mendaciorum portenta sunt?

4. Quid dicam de Plessæo, Paræo, & aliis? Scriptis Plessæus tractatum de Eucharistia, in quo tot mendacia passim occurunt, ut Episcopus Ebroicensis (qui nunc Cardinalis est) publico scripto professus sit, se quingenta loca falso in eo allegata, coram Christianissimo Galliarum Rege demonstrare posse, ac paratum esse. Iam David Paræus, quot mendaciorum conuictus est à nostro Molhusino? Imò, tam infamis in hoc genere est, ut ab ipsis Caluinistis, præsertim à Iosepho Scaligerro, palam proclamatus sit mendax. Ex his paucis disce alios. Eodem omnes gaudent priuilegio.

5. Audiamus calumnias. Sparserunt Caluinistæ annis superioribus, Iesuitas in Belgio machinatos esse mor-

tem Mauritio Comiti Nassauio. Calumnia hæc, publica Magistratum ac Rerumpublicarum authoritate refutata est. Sparserunt, Antuerpiæ infami supplicio affectum fuisse Iesuitam propter enorme crimen. Vniuersa Antuerpia reclamauit. Sparserunt, Iesuitas Monachenses in Bauaria non modo stuprum virginis intulisse, sed atrox etiam homicidium patrasse. Serenissimi Ducis imperio calumnia hæc solenni diplomate detecta & dissipata est. Sparserunt, quatuor Iesuitas propter enormia facinora, Cracovię in Polonia, mandato Serenissimi Regis Stephani morti destinatos esse. Hanc fabulā ipsem Stephanus Rex, vrgēte Reuerēdiss. & Illūstriss. Principe W olfgango, Archiepiscopo Mogūtino, qui in criminis societatem vocabatur, Regiis literis ac sigillo confutauit. Sparserunt, non ita pridem, Christianissimum Galliæ ac Nauarrę Regem Henricum, instinctu ac consilio Iesuitarum à sicario occisum esse. Sed fatentur ipsi calumniam esse. Et quid dicam cætera? Vno verbo, Caluinistici Prædicantes, renidente etiam conscientia, passim clamant in suis cathedris, Iesuitas omnium fraudum ac malorum, quæ in mundo fiunt, authores & architectos esse. Nec dubito, si ita pergent, breui futurum, vt ausint populo persuadere, Iesuitas peccatum originale in hunc mundum induxisse, & in auriculari confessione consiliū dedito Cain, vt fratrem interficeret; & Absaloni, vt parentem bello persequeretur.

EX AMEN.

6. Fateor, hoc Priuilegium mentieendi & calumniandi antiquum esse, & crebram eius mentionem fieri in sacris literis vtriusque Testamenti. Sed duo obstant, quo minus probari possit, vnum quod à diabolo, non à Deo, concessum sit Caluinistis. Sicut enim Deus

Deus verax est, imò ipsa Veritas, Ioan.14.6. Ego sum via, veritas & vita: Sic diabolus mendax est, & pater mendacij, Ioan.8.44. Non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. Alterum, quòd grauis pœna in mendaces & calumniatores à Deo constituta sit. Proverb.12.22. Abo-minatio est Domino labia mendacia. Et cap. 19.5. Qui mendacia loquitur, non effugiet, Sapient.11.1. Os quod mentitur, occidit animam.

7. Hinc sequitur, quotquot usurpant hoc priuilegium, non Dei; sed diaboli filios esse, iuxta illud Christi, Ioan.8.44. *Vos ex patre diabolo estis, qui in veritate non stetit.* Tales fuitū duo senes, qui per mendacium & calumniā accusabant Susannam de adulterio. Talis vxor Putiphatis in Ægypto, quæ Iosephum eiusdem flagitiū reum esse clamabat. Tales Pharisæi in Euange-lio, qui de Ioanne Baptista dicebant: *Dæmonium habet:* & de Christo Saluatorē: *Ecce homo vorax, & potator vi-ni, publicanorum & peccatorum amicus,* Luc.11.19. Tales denique illi, de quibus ipse diabolus 2. Paralip.18.12. *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* An igitur tales & Caluinistæ? Facilis coniectura.

XI. PRIVILEGIUM.

Caluinistæ impunè possunt, non modo Catholicos, sed etiam se mutuò conuitiis ac maledictis insecta-ri, sine ullo salutis aut sanctitatis dispendio.

1. **H**oc priuilegium affine est præcedenti, & ex eodem fonte ortum habet, nempe à diabolo. Est autem in magno vigore ac vsu apud Caluinistas. Ac primò, quæ conuitia spargant ipsis in Catholicos,

notissimum est. *Caluinus* in *Antidoto Concilij Tridentini*, passim eos vocat *stupidos, quisquilias, asinos, porcos, pecudes, crassos bones, otiosos ventres, mendicabula, putrida cadauera, silicernia, blaterones, Patres cornutos, Tridentinam colluniem, exitialia monstra, spurios, degeneres, meretricis filios, Christi hostes, Antichristi Legatos*. Et quæ similia sunt. Quis non obstupeat ad has voces? Imò quod grauius est, *Sanctos cum Christo regnantes, appellat larvas, bestias, carnifices*, ut supra ostensum est.

2. Gabriel Bouelus in librode *Antichristo*, ait, *Pontificem Romanum esse Dei hostem, Christi perduellem, religionis aduersarium, hæreseos antistitem, Ecclesie parcidam, pacis turbatorem, sentinam impietatis, mancipium diaboli. Cardinales esse locustas vastatrices, Canonicos mendaces & homicidas: Catholicos omnes, quotquot sunt, Satanae mancipia, & Antichristi satellites. Quis finis contigitum?*

3. Bataeus *Caluinista*, in *tertia defensione fæderatorum inferioris Germaniae*, Regem Hispaniæ Philippum vocat *raptorem & notorium hæreticum: Archiduces Austriæ, perfidos: Duce Sabaudiæ, crudelē & perfidum: Sigismundum Poloniæ Regem non dissimilem: Serenissimos Albertum & Claram Eugeniam, veræ pacis impedimentum: & Catholicos omnes, Turcis deteriores.*

4. Iosephus Scaliger in quadā præfatione ad *Ioannem Drusium*, appellat doctissimum virum Martinum Deltrium, *latum stercore maceratum, demoniacum, retrimentiū inscitiae, sterquilinium, stercus diaboli, scarabaeum, larvam, Antichristum, pecus, postremam bestiarum, infame propudium, asinum, nadapa.*

5. Sed multò clariùs apparebit usus huius priuilegij si ostendam, quomodo se mutuò peccant Caluinistæ. Nec longè abibo. Idem Scaliger, quem *Caluiniani, tanquam Deum quendam terrestrem venerantur, in Elencho*

Elencho utriusque orationis chronologicæ, pulcherimis epithetis ornat *Danidem Paræum* eiusdem sectæ Caluinianæ Professorem Heidelbergensem. Ait esse hominem *insanum, arrogantem, idiotam, stercoram colligentem, profanatum buccinatorem, asinum, sycophantem, helleborismo egentem, mendacem, communis sensu destitutum.*

6. Si Catholicorum aliquis ita scriberet, quas non tragœdias in eum concitarent Caluinistæ? Scaliger, quia Caluinista est, impunè fecit. Imò, non vitio, sed virtuti eius tribuitur, quod fecit. Nam Frāciscus Gummarius, qui & ipse Caluinista est, eidem Scaligeri Elencho præfixit præfationem, in qua dicit, *tria potissimum in Scaligero admiranda esse, pietatem, doctrinam, candorem.* Mox sequitur Elenchus, in quo admirandæ illius pietatis, doctrinæ & candoris ea signa, seu vestigia reperiuntur, quæ iam allata sunt.

7. Sed neque *Paræus* minus candidè & fraternè agit cum suo *Scaligero*, à quo tā suauiter depexus est. Scripsit epistolam ad amicum anonymum, *de Iosephi Scaligeri Elenchis chronologicis*, in qua asserit, Elenchos illos esse *insanos, verrinos, maledicos, furiles, dicaces, impios, vanos, ridiculos, spurcos, oletis stercoribus, sterquiliniis, latrinis, cloacis, lutulentis oletatos, plenos dicteriorum, probrorū, sarcasmorum, scommatum, aculeorum, corybantiasmorum, helleborismorum, & similiū gryphorum.* Et quod Gummarius candorem vocat in Scaligero, *Paræus intemperie, arrogantiam, maledicētiā, tyrannidem, atrocem iniuriam, & diras insectationes interpretatur.* Cui credas?

E X A M E N.

8. Quis nostrum non inuidet Caluinistis hoc prilegium? Nobis seuerè dictum est in Euangeliō, Marth. 5.22. *Qui dixerit fratri suo, fatue, renserit gehennæ ignis.* Itaque nobis, qui Catholicī sumus, non licet uti con-

uitiis in proximos; nec alter alterū potest stultum aut fatuū appellare. Et qui id fecerit, non impunē fecerit, sed reus erit gehennæ ignis. Caluinistis plus licet. Non solum fatuos seu stultos se mutuo appellant, sed etiā stercoreos, profanos, asininos, demoniacos, spurcos, ut iā ostēsum est. Et hæc omnia impunē, ut ipsi quidem putant.

9. Dices, Cur ergo Caluinistæ vocant se Euangelicos, si nō viuunt secundūm Euangeliū? Euangeliū minatur: *Si quis dixerit fratri suo, fatue, rens erit gehenna ignis.* Caluinistæ non curant has minas. An igitur Euangelici? Facilis responsio. Euangelici sunt, non factō, sed verbo: aut si vis, Euangelici, in paucis non in omnibus. Legunt in Euangelio, Christum iuisse ad nuptias, & bibisse vinum; Iudam habuisse loculos, & prodidisse suū Dominum; mulierem in adulterio deprehensam, pœnam euasisse; Herodis filiam saltasse in conuiuio. Hic planè Euangelici sunt. Iterum legunt, Christum ieunasse 40. diebus; lauisse pedes Apostolorum; per noctasse in oratione flexis genibus, precatum esse; crucem sustinuisse. Hic Libertini sunt: non Euangelici.

XII. PRIVILEGIVM.

Caluinistæ possunt suos Reges & Principes sacerdotes deponere, expellere & interficere, quando ipsis visum est.

1. **I**Ta Caluinus in cap. 6. Danielis, Beza Epist. 41. David Paræus in cap. 13. Epist. ad Romanos, Battatus Caluinista in famoso libello, qui inscribitur: *Fœderatorum inferioris Germania defensio tertia, & alij. Verba illorum paulò post citabo.*

2. Et quidem Paræus conatur multis argumentis id probare: & assignat varios casus, in quibus liceat ut hoc priuilegio, id est, in quibus liceat deponere, expellere,

lere, interficere Reges ac Principes. *Primo*, quando degenerant in tyrannos. *Secundo*, quando suos subditos cogunt ad idololatriam, id est, ad Papatum, ut ipse intelligit. *Tertio*, quando praetextu religionis aut iustitiae, querunt propria commoda. *Quinto*, quando grauant conscientias subditorum. *Sexto*, quando sunt homicidae, ut Athalia; vel luxuriosi & ignavi, ut Vvenceslaus; vel stolidi, ut Saul; vel infideles, ut Reges olim Macedonici; vel Pontifici adhaerentes, ut Catholicci.

3. Hoc priuilegio, extra iam dictos casus, voluerunt uti Caluinistæ in Scotia, quando Serenissimum Iacobum, qui nunc magnè Britaniæ Rex est, a huc in utero materno existentem, conati sunt è medio tollere, antequam lucē aspiceret. Res nota est. Et fatetur ipse Rex in sua Monitoria p̄fatione ad Imperatorem, Reges & Principes, his verbis: *Ego à Puritanis non solum à nativitate continuo vexatus fui; verum etiam in ipso matris utero propemodum extinxitus, antequam in lucem editus essem.*

4. Nititur autem hoc priuilegiū his potissimum fundamentis. *Primum* est, quod peccata Caluinistarum non imputentur ipsis coram Deo, ut supra ex Caluino ostensum est. Sunt enim (suo iudicio) sancti, & haereses vitæ æternæ, iam inde ab utero materno; ac proinde nulla peccata, quantuvis enormia, possunt illos arcere ab ingressu vitæ æternæ. Vnde sequitur, Regicidia ab illis perpetrata, non imputari ipsis à Deo, sed gratis condonari. Posse igitur Caluinistas, salua & secura conscientia, maestate suos Reges ac Principes, nec ullam ex eo facto offendam apud Deū extimescere. Caveant hīc sibi Reges; Caveat Rex Britanniæ, ne extra uterū interficiatur, qui in utero ab iis interfici non potuit.

5. *Alierum* est, quod Deus sit auctor omnium peccatorum, nec ullam peccatum à Caluinistis committatur, nisi Deo instigante & impellente. Vnde sequitur,

quitur, Deum quoque Regicidiorum auctorem esse; & omnia regicidia , quæ à Caluinistis perpetrantur, Deo impulsore perpetrari. Caluinistas ergo , quando suos Reges aut Principes interficiunt, bona fide posse affirmare, non se, sed Deum auctorem esse illius facti : se quidem instrumenta esse diuinæ voluntatis, Deum tamen esse causam principalem. Sic enim loquitur Caluinus lib. i. c. 17. §. 5. *Ego plus concedo, fures & homicidas, & alios maleficos, diuinæ esse prouidentia instrumenta.* Et c. 18. §. 1. *Inde colligimus, eius probationis, cuius Satan & scelesti Litrones ministri fuerunt, Deum fuisse auctorem.* Et infra ibidē: *Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipse, Deus tamen clavum tenet.* Et §. 2. de Assyriis: *Vnde apparet, certa destinatione Dei fuisse impulsos: nimirum ad rapinas & homicidia.*

6. *Tertium est, quod Caluinistis liceat imitari factum eorum, qui ante hæc tempora suos Reges ac Principes interficerunt aut exauthorarunt.* Ita Dauid Paræus loco supra citato, vbi adducit varia exempla expulsorum aut interfectorum Regum: quorum alij propter tyrrannidem: alij ob homicidium: alij ob lasciniā & ignauiam: alij ob alias causas, à suis subditis aut maestri, aut regno exuti sunt. Vnde sequitur, idem licere Caluinistis: itaque Caluinistas, quibus ex priuilegio mentiri & calumniari fas est, facile inuenturos aliquem prætextum, quo dicant, se legitimè suos magistratus exauthorare, aut è medio tollere.

7. *Quartum est, quod Pontifex Romanus sit Antichristus, & omnes Reges ac Principes Pontifici adhaerentes, sint hæretici, idololatræ, Antichristiani.* Hoc passim docent Caluinistæ, vt supra ostendi. Ex quo inferunt, vi ac bello licitum esse agere non modo contra Pontificem, sed etiam contra Reges & Principes Pontifici adhaerentes. Dauid Paræus de Pontifice sic scribit:

Christiani Reges & Principes debent resistere tyrannidi Pontificie, etiam gladio & vi. Et de Regibus ac Principibus Pontificiis: Subditi aduersus superiorem magistratum, se & veram religionem, etiam armis iure defendere possunt, si aliter in conscientia incolumes esse non queant, id est, si subditi Caluinistæ habeant magistratum Catholicum, cum quo non sentiunt in conscientia, possunt armis contra illum agere, & suam conscientiam vi defendere.

8. Hoc sensu scripsit Bataeus Caluinista in suo famoso libello, quem supra citauit: *An non potius Regem Hispaniæ, quia hæreticus notorius est, ex suo regno, omnibus omnium Euangelicorum viribus expellere oportet? Vocat illum hæreticum notoriū, quia Catholicus est, & Pontificis autoritatē agnoscit. Itaque ex sententia huius Bataui, omnes Reges ac Principes, qui eādem fidem profitentur, cum Philippo Hispaniarū Rege, possunt ē suis regnis expelli à Caluinistis. Quis igitur tutus & securus?*

9. Eodem spectat Caluinii dictum in cap. 6. Danielis: *Principes, inquit, terreni se cōtra Deum extollunt: sua seipſi potentia priuant: Imò vero indignissimi sunt, qui hominum cœtu ac numero reponantur. Potius igitur illis est facies conspunda, quam ipsorum imperiis obtemperādum, nisi omnem superstitionem extirpet & funditus tollant. Vbi per superstitionem intelligit ritus ac ceremonias Catholicorum. Agit enim contra Reges & Principes Catholicos, qui huiusmodi ritus ac ceremonias non tollunt. Igitur ex verbis Caluinii, pro confirmando privilegio Caluinistarum, hæc colligimus. Primo, quod Reges & Principes Catholicci, nisi tollant ritus Catholicorum, ipso factō, priuati sint sua potentia & iurisdictione. Secundo, quod indignissimi sint, qui hominum cœtu ac numero reponantur, id est, dignissimi, qui ē medio tollantur. Tertio, quod facies illis potius sit conspunda, quam ipsorum imperiis obtemperandū. Videant nunc Catholicci*

Prin

Principes , quid à Caluini sectatoribus spetare debant,nempe sputa,rebelliones,exilia,mortes.

EXAMEN.

10. Dicam modestè,quod sentio. Vigente hoc Prinlegio , vix video , quis Rex aut Princeps securus esse possit inter Caluinistas. Nam si semel incidat in aliquem casum ex iis,quos supra ex Paræo commemoravi,quod facillimè fieri potest:iam morti destinatus est. Aut clarius:si habeatur tyrannus,si homicida, si luxuriosus,si ignavus,si infidelis:& quod latissimè patet, si Pontificius,aëtum est de fama,imperio,vita.

11. Quis iam non meritò suspicetur, HENRICVM Galliæ & Nauarræ Regem,aut consciis , aut certè applaudentibus Caluinistis interfectum esse ? Erat Rex Catholicus,& eiusdem fidei ac religionis cum Philippo Rege Hispaniæ. Igitur secundum Batauum Caluinistam, omnibus omnium Euangelicorum viribus ex regno Galliæ expellēdus. Non tollebat ritus ac ceremonias Catholicorum, sed potius promouebat. Igitur,secundum Caluinum , priuatus erat sua iurisdictione , indignissimus, qui hominum cætu ac numero reponeretur ; & facies illi potius confluenda,quam ipsius imperio obtemperandum. Adhærebat Romano Pontifici, quem communem Christianorum Patrem appellare solitus est. Igitur , secundum Paræum , vi, gladio, morte coercendus.

12. Porro , cum hæc omnia tam clara & perspicua sint, quid Caluinisti in mētem venit, quod passim clament ac scribāt, non se, sed Iesuitas Regicidas esse? Nimirum vtuntur suo priuilegio,id est,mentiuntur & calumniantur. Alioqui, si seclusis mēdaciis & calumniis, de rei veritate sit quæstio, nemini dubium est, Caluinistas in hoc puncto reos ; Iesuitas innocentes esse. Hoc prolixè ostensum est à doctissimis viris, Cottono, Scribanio,

banio, Costero, Gretsero, Andrea Eudæmon Ioanne, & aliis. Ego paucis repetam, & declarabo. 1. testimonio ipsorum Regum. 2. aliorum testimonio. 3. aliunde.

13. Ac primò quid *JACOBVS* magnæ Britanniæ Rex de hac resentiat, notum est ex monitoria ipsius præfatione ad Imperatorem, Reges, & Principes, quam supra citauit. Ibi enim multa sc̄ribit de Caluinistis, ex quibus facile ipsius sententia colligi potest. *Primò* dicit, Caluinistas deteriores esse latronibus. Hi enim priuatos tantum homines; illi Reges & Principes interficiunt. *Secundo*, se à Caluinistis in utero materno propè interemptum esse. *Tertio*, se sine intermissione ab iisdem vexari. *Quarto*, maiori se odio prosequi Caluinistas, quam Catholicos. *Quintò*, præcipuam se operam collocasse in purgando regno ab hæresi Caluinistarum. Verba Regis sunt hæc: *Præclarasanè laus, præclarum encomium, quo Puritanos ornaui, cùm me plus fidei, vel in illis efferis, cum montanis, tum limitaneis latronibus, quam in hoc genere hominum inuenisse professus sim.* Et iterum: *Ego à Puritanis non solum à nativitate continuo vexatus fui; verum etiam in ipso matris utero propemodum extinctus, antequām in lucem editus essem.* Et rursum: *Ego in meo ad Filium libro multo acrius, ac vehementius in Puritanos, quam Pontificios inuectus sum.* Et denique: *Mihi præcipuus labor fuit, deiectos Episcopos restituere, & Puritanorum Anarchiam expugnare.*

14. Quid hinc aliud colligas: quam Caluinistas ex sententia Regis Britaniæ, in eo latronibus esse deteriores, quod Regum vitę & sanguini insidiētūr. Imò, quod Reges ne in vteris quidem maternis securi sint à Caluinistis? Magnum testimonium à magno Rege. Porro, sicut hic Rex ingenuè fatetur, Caluinistas regicidiorum reos esse; sic contra, *HENRICVS* Galliæ & Narræ Rex, publico in consensu Præsidū ac Senatorum

Curiæ

Cutiaæ Parisiensis, Iesuitas ab hoc crimine innocentes esse pronuntiauit. Verba eius sunt hæc: Quod de Pontifice Max. optimè sentiant, eumque reuereantur, id quoque ipse facio. Actamen non sum nescius, nihil ab iis amplius de summi P̄tificis potestate dici aut doceri, quām reliqui Theologi, Catholicaque doceat Ecclesia. Neque verò aliquid docent, quod Ecclesiastici mihi non tribuant, quod est tribendum. Nec unquam inuentus est, qui ab iis necem Regum dicerit. Quare totum hoc, quod illis obiicitur, nihil est.

15. Quid poterat dici clariùs pro Iesuitarum innocentia? Clament nunc Caluinistæ, & obiificant, Iesuitas esse Regicidas. Sed vicissim audiant responsum à Rege; Totum hoc, quod illis obiicitur, nihil est. Imò conferant inter se iudicia & sententias duorum Regum, Henrici & Iacobi. Henricus Iesuitas accusatos de Regicidio, legitimè absoluit, & innocentes pronunciauit. Iacobus Caluinistas ipse accusat, & reos esse vult. Conferant etiā facta vtriusque Regis. Iacobus conatur Regnum suum purgare à Caluinistarum secta. Henricus multò aliter egit cum Iesuitis. Primo, reuocauit eos in suum regnum, ex quo erant expulsi. Secundo, post reuocationem, voluit illorum esse Patronus ac Patens. Tertio, Flexiæ, ubi natus est, Collegium illis instituit ac dotauit. Imò proprium Palatium pro Collegio esse voluit. Quarto, in aliis quoque locis noua Collegia erigi & fundari passus est. Quinto, ex Iesitarum numero P. Cottonum elegit, qui ipsi à confessione & concionibus esset. Sexto, ipsius studio ac impensis missi sunt Constantinopolim Iesuitæ, ut ibi conuertendis infidelibus operam darent. Septimo, insigni eleemosyna Collegium Romanum in necessitate subleuauit. Octavo, famosam illam Pyramidem, quæ Parisiis in Iesitarum ignominiam erecta stabat, penitus disturbauit. Nono, Collegium non alibi, quām Flexiæ in templo Iesitarum,

rum, sepeliri voluit. Quis credat, Regem sagacissimum hæc facturum fuisse, si putasset Iesuitas esse Regicidas?

16. Iam si spectemus ea, quæ post mortem magni illius Regis, partim à Regina vidua, partim à filio Ludouico facta sunt, omnino perspicuum erit, nullam apud eos esse, aut fuisse suspicionem de Iesuitis, quasi ipsi Regicidij anthores essent. *Primo*, quia P. Cottonus, qui ante cædem erat in aula Regia, postea ibidem mansit cum bona Reginæ & Filij voluntate. *Imo*, adhuc Filij instructor & confessarius est. *Secundo*, quia cor Regis soleni ritu traditum est Iesuitis, qui illud in suo Templo Flexiensi, sicut Rex viuens constituerat, insigni pompa sepelierunt. *Tertio*, quia Ludouicus, tanquam Regni paterni hæres, Regio diplomate, Iesuitarum studia, labores, & Collegia confirmauit. *Quarto*, quia Episcopus Parisiensis, Consiliarius Regius, de eorum innocentia præclarè testatus est. *Quinto*, quia Ioannes Antonius Ioualinus, Bibliopola Caluinianus, eo quod libellum famosum in Iesuitas sparsisset, publice comprehensus, & exilij damnatus est.

17. Et quidem Diploma Ludouici Regis sic habet; *Cum Henricus Magnus Dominus & Pater noster, in obsequijs sui bonum subditorumque suorum commodum, utile ac valde necessarium fore iudicasset, Iesuitas in regnum suum, terras, & dominia introducere, ac statuere, habitu cum Principibus consanguineis nostris, precipuisque Regni ministris maturo consilio: ex ipsorum iudicio, ac suo motu proprio, certa scientia, plena potestate, & auctoritate Regia, eidem Iesuitis, editio lato mense Septembri anni 1603. facultate concessit redeundi, & habitandi in locis ac partibus prefato editio contentis, aliisque postmodum, literis suis, concedendis. Quo editio in Regio nostro Parlamento Parisensi registrata 2. Ian. anni milles. sexcentes. quarti prefatus Dominus &*

Pater noster, eisdem Iesuitis, plurimas Regni huius ciuitates inhabitandi potestatem fecit: quod quidem summa cum subditorum nostrorum voluptate factum, & executioni mandatum est, qui in educatione filiorum suorum ad pietatem, iuncto bonarum litterarum studio, quidquid optare potuissent, assecuti sunt: ac dicto Domino ac Patri nostro adeo probati sunt, ut in ipsorum manus proprium cor deponere statuerit. Quod quidem post eius obitum ipsis traditum, & in Flexianum Templum delatum fuit. Ideo, ne quis voluntatem nostram in dubium reuocare possit, ex certa scientia nostra, plena potestate, proprio motu, & authoritate regia, ob easdem rationes, quae predictum Dominum & Patrem nostrum permouerunt, quæc adhuc perseverant, presentibus manu nostra subscriptis, ex iudicio Dilectissima & honoratissima Reginæ Regentis Matris nostræ, consanguineorū nostrorū Principum, ac præcipuorum regni nostri Ministrorum laudauimus, confirmauimus, approbauimus, & ratam habuimus; laudamus, confirmamus, approbamus, & ratam habemus prefatorum Iesuitarum in hoc regnum nostrum, partes, terras, ac dominia nobis subdita admissionem. Ac quantum opus est, aut foret, denuò concessimus ac permisimus, concedimus & permittimus ipsis, posse degere ac inhabitare, in quibus admissi sunt, aut in posterum admitterentur, obseruando ea, quæ in præhabito mensis Septem. edicto, anni millesimi sexcentesimi tertij, continentur, aliisque litteris ac ordinationibus à prædicto Domino & Patre nostro factis: quibus placet nobis, ac volumus eos uti & gaudere, eadem ratione, qua antehac usi sunt, ac modo utuntur & gaudent. Præcipimus Consiliariis nostris in Curia Parlementi, Seneschalchis, ceterisque iustitiae administris, quorum opera requiretur, quatenus has litteras nostras, ac Iesuitas integrè, pacifice, ac perpetuo uti & gaudere curent, &c.

18. Haec tenus Ludouici Regis diploma. Sequitur testimonium Henrici Gondei, Patiensis Episcopi, & Con-

Consiliarij Regij, in hæc verba: *Cum post crudele in de-
functi Regis personam, quem Deus absoluat, perpetratum
parricidium, plurimi rumores in hac ciuitate Parisiensi, in
summum Patrum Societatis Iesu damnum disseminati sint:
nos eiusdem societatis honori ac fama prouidere optantes,
animaduerso, quod non aliunde, quam ex peruerso atque
inimico aduersus dictos Patres animo-huiusmodi rumores
processerint, omnibus, quorum intererit, presentibus mani-
festamus, prefatos rumores meras esse calumnias & impo-
sturas, malitiosè contra ipsos conquisitæ & inuentas, in Ca-
tholica, Apostolica, & Romana religionis damnum. Atque
prædictos Patres non modo penitus ab eiusmodi calumniis
immunes esse: verum etiam ipsorum Societatem, tum propter
doctrinam, tum propter piam vitam, Ecclesiæ Dei maximè
utilem, & huic regno valde proficuam. In quoru[m] fidem, &c.*

19. Addam etiam publicam Consilij sententiam de
Ioualino, qui libellum, *Anticottonum* nomine, (in quo
Iesuitæ à Calvinistis accusabantur de Regicidio) in
vulgus sparserat. Ea sic habet:

*Dictum habebitur ex consilij sententia, auditio super hac
causa Procuratore Regio, quod ad reparationem eorum ca-
suum, qui fusi in ipso litis instrumento continentur, Ioan-
nes Antonius Ioualinus damnatus est, ipsumque damna-
mus ad mulieram honorarium foro faciendam, ipso die fori,
cum forum agetur, ubi nudato prater indusum corpore,
apertoque capite, flexis genibus, suspensa è collo reste ac fa-
cem pondo duarum librarum manu gestans, alta voce, ut
exaudiri possit, renuntiabit, quod scelestè & malitiosè per di-
uersa huius urbis loca proiecerit & sparserit folia, seu char-
tas impressas, extractas ex libro quodam perniciose & mali-
gno, qui Anticottonus inscribitur, ad turbandam quietem
publicam, excitandas turbas, & seditionem in hac ciuitate
mouendam composito, quod fusi habetur in instrumento li-
tis. Cuius facti petet à Deo, Rege, & Iustitia veniam. In*

ipsius autem praesentia, predicta folia seu chartæ frangentur & dilacerabuntur. Inhibemus autem illi, & interdicimus sub poena capitis, ne simile quid committat in posterum. Ceterum ad quinque integros annos Regni Galliae exilio illum mulctauimus & mulctamus.

20. Ex dictis colligo has antitheses. 1. Caluinistæ docent, Deum esse authorem Regicidiorum: Iesuitæ, non Deum, sed Diabolum, iuxta illud Ioan. 8.44. homicida erat ab initio. 2. Caluinistæ aiunt, Regicidia ipsis nō imputari à Deo, ac proinde, secura conscientia, se posse Reges interficere. Iesuitæ contrarium tenent. 3. Caluinistæ accusantur à Rege Britanniae, quod conati sint ipsum in utero materno interficere; ideoque latronibus peiores sint. Iesuitæ, ab Henrico Galliae & Nuarra Rege, à Regina vidua, à Ludouico hærede, ab Episcopo Parisiensi, à publica Consilij sententia, iudicantur non modò innocentes, sed etiam Regno utiles & proficiui. 4. Caluinistæ, propter calumnias & mendacia in Iesuitas sparsa, iubentur exulare à Regno Galliae, tanquam turbulenti & seditiosi. Iesuitæ, propter vitæ & doctrinæ sanctimoniam, non modò retinentur in florentissimo illo regno, sed etiā ad plura loca quotidie admittuntur. Hæc sufficiat prudenti & sano lectori.

XIII. PRIVILEGIUM.

Caluinistæ nulla lege, nec diuina, nec humana obligantur, sed ab omni iugo & subiectione penitus sunt liberi ac immunes.

1. Hoc Priuilegium maius est, quam omnia præcedentia. Debet autem sic deduci ex principiis Caluinistarum; Lex Decalogi est impossibilis: Mosaïca est abrogata: Christus nullam tulit: Humana non obligat; Omnidò igitur liberi sumus.

2. Et

2. Et in hoc punto constituunt Caluinistæ libertatem suam Christianam. De qua Caluinus lib. 3. Inst. c. 19. §. 2. sic loquitur: *Christiana libertas in tribus partibus sita est. Prima, ut fidelium conscientia, dum fiducia sua coram Deo iustificationis querenda est, sese supra legem erigat atque efferant, totamque legis iustitiam obliuiscantur.* Et infra: *Sublata igitur legis mentione, unam Dei misericordia amplecti conuenit.* Et §. 4. *Conscientia libera sunt a iugo legis.* Et §. 7. reiicit omnes leges humanas, tam ecclesiasticas, quam ciuiles, quæ latæ sunt circa res adiaphoras. *Tertia, inquit, pars libertatis Christianæ est, ut nulla rerum externarum, quæ per se sunt adiaphora, religione coram Deo teneamur, quin eas nunc usurpare, nunc omittere indifferenter liceat.* Hinc infert, nemine obligari ad leges humanas, quæ latæ sunt de ieiunio, de diebus festis.

3. Fundatur hoc Priuilegium, quoad leges humanas, in duobus principiis. *Vno, quod Pontifex sit Antichristus.* Hinc tolluntur omnes leges Pontificiae; omnes Canones; omnia decreta. *Altero, quod non teneamur obedire Regibus & Principibus, si præcipiant aliquid extra Verbum Dei.* Hinc tolluntur omnes leges Imperatoriæ & ciuiles.

E X A M E N .

4. Ut mihi quidem videtur, hoc Priuilegium est propriæ hominum rebellium & improborum, qui, ut loquitur B. Iudas in Epistola canonica, *Dominationem spernunt, maiestatem blasphemant.* De quibus Apostolus 2. Tim. 3. 1. *In nouissimis diebus erunt homines, seipso amantes, elati, superbi, blasphemi, superioribus non obedientes, ingrati, scelesti, sine pace, criminatores.* Et infra: *Quemadmodum Iannes & Mambres resistiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.*

5. Catholici non vtuntur hoc Priuilegio, sed obtentum
H 3 perant

perant suis Magistratibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, quia scriptum est Deut. 17.12. *Qui superbiebit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur.* Et Matth. 18.17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et Lucæ 10.16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et Rom. 13.1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo.* Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Et Hebr. 13.17. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* De hac re plura alibi separatim.

Epilogus.

Hæc sufficiente hoc loco de Priuilegiis Caluinistarum. Ex quibus obiter constat, qui & quales sint Caluinistæ. 1. Sancti sunt ab utero materno. 2. Sacerdotes Dei. 3. Certi de sua salute & vita æterna. 4. Nonunt discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas. 5. Nunquam errant. 6. Habent peculiarem doctrinam è cœlo delapsam. 7. Ad eam tamen non astrin-guntur. 8. Habent etiam peculiare Purgatorium. Alij infernum vocant. 9. Impunè peccant. 10. Impunè men-tiuntur & calumniantur. 11. Impune conuictia & ma-ledicta in alios iaciunt. 12. Possunt suos Reges & Principes interficere. 13. Liberi sunt ab omni lege. Quid superest? Nempe, ut onusti tot Priuilegiis, non curent cœlum.

FINIS OPVS CVLI III.

OPVS

OPVSCVLVM IV.

QVÆSTIONES
BATAVICÆ IN
Batauum Caluinistam.

AVDI Bataue. Putabam te, cùm nuper cōgressu profligatus essem, non facile ad pugnam rediturum. Redis tamen, sed aliis instructus armis, pr̄esertim furore, iracundia, conuitiis. Hoc patet ex tua Apologia, quam nuper occulte sparsisti inter paucos, cum hac inscriptione: *Apologia pro Christiano Batauo, non Caluinista, contra Martini Btcani Iesuita, Antichristiani Syluaducensis, Quæstiones Miscellaneæ, de fide hæreticis seruanda.* Cuius quidem Apologiaz, cum diebus superioribus, Vir nobilis exemplar mihi in manum traderet, hoc encomium de te adiecit: *Verè, inquit, Batauus ille, mulier ebria & iracūda est.* Nec errauit. Nam in tota Apologia, instar furentis & insanientis mulierculæ, nihil aliud, pr̄eter conuitia, calumnias, rabiem & iracūdiam in me exspuis. Et ubique quasi plenis faucibus, eructas lupanaria, lenones, meretrices, scortatores, spurios, stupra, adulteria, incestus, veneficia, cloacas, perfidias, proditiones, sicarios, incendiarios, plagiarios, raptiores, detracñores, ardeliones, archiscurras, Antichristos, lupos, apostatas, impostores, viperas, fœdifragos, obtreclatores, susurrones, canillatores, sycophantas, sophistas, &c sexcenta familia phlegmata, quibus cor tuū plenū esse necesse est, iuxta illud Christi, Matth. 12. 34. Ex abun-

dantia cordis os loquitur. Et ibidem: *Malus homo de malo thesauro profert mala.*

2. An putas, Bataue, me simili armorum genere velle tecum decertare? Valde erras. Non assueui his cestibus. Nec mihi conuitiorum ac phlegmatum tam fœcundum pectus est, quam tibi. Itaque si hoc modo pergis furere & insanire; lubens tibi cessero victoriam. Sin, deposita rabie, ad mentem redis, & sobrius, ut Christianum militem decet, pugnare vis, paratus in certamen adsum. Et, si lubet, iam incipio.

3. In Apologia tua, quā opponis Quæstionibus meis miscellancis, *De fide hæreticis seruanda*, tria potissimum facis. 1. Obiter defendis Caluinistas & Lutheranos, tāquam Euangelicos. 2. Prolixè exagitas Pontificem & Iesuitas. 3. Perfunctoriè agis de fide hæreticis seruanda, quod tamen præcipue tractandum erat. Hæc tria puncta discutiam per sequentes quæstiones hoc ordine:

- I. *An Caluinistæ sint Euangelici?*
- II. *An etiam Lutherani sint Euangelici?*
- III. *An & Batauus noster sit Euangelicus?*
- IV. *An sit Caluinista?*
- V. *Cur nomen suum non expresserit?*
- VI. *Cur tam iracundè agat?*
- VII. *An Pontifex sit Antichristus?*
- VIII. *An Iesuitæ sint Regicidae?*
- IX. *An sint proditores?*
- X. *An perduelles?*
- XI. *An ingrati in Regem Galliæ?*
- XII. *Quid Rex Galliæ sentiat de Iesuitis?*
- XIII. *An Rex Galliæ fuerit verè Catholicus?*
- XIV. *An Catholicæ in Concilio Tridentino deceruant, hæreticis non esse seruandam fidem?*
- XV. *An hoc ipsum decernant in Concilio Constantiensis?*
- XVI. *An etiam in Lateranensi?*

XVII. An decreta Pontificum hoc statuant?

XVIII. An Catholici passim ita scribant & sentiant?

XIX. An Catholici reipsa non seruent hereticis fidem?

Has posteriores quæstiones, *De fide hereticis seruanda*, reponā hic iisdē verbis, quibus positæ sunt in *Quæstionibus meis miscellaneis*, quas tu oppugnas. Et vnicuique earum subiiciam breuem annotationem, in qua notabo, si quid in tua *Apologia* allatum est in contrariū.

Q V A E S T I O I.

An Caluinista sint Euangelici?

1. **T**V identidem affiras Bataue. Sed velim, duos scrupulos mihi exiras. Vnus est, cur dicantur Euangelici? an quia Euangelium recipiunt? Recte quidem. Sed recipiunt etiā Epistolas D. Pauli, Apocalypsin Ioānis, vaticinia Prophetarū, &c., vt semel dicam, totum Bibliorum codicem. Cur ergo non similiter Epistolici, Apocalypticī, Prophetici, aut Bibliaci appellantur?
2. Alter scrupulus magis me premit. Est autem hic. Illi non possunt verè dici Euangelici, quorum neque doctrina, neque mores, neque priuilegia, Euangelio conformia sunt; sed neque doctrina, neque mores, neque priuilegia Caluinistarum, Euangelio conformia sunt. Ergo Caluinistæ non possunt verè dici Euangelici. Minor habet tres partes, quæ singulæ probandæ sunt.

Doctrina Caluinistarum.

3. Primam, de doctrina, sic probo. Caluinistæ docent hæc dogmata, quæ Euangelio conformia non sunt.

Primum. Deus non est infinitus. Ita Conradus Vorstius in *Tractatu de attributis diuinis*, cum ait: *Deus non est actu simpliciter infinitus, neque effendo, neque operando.* Et iterum: *Est quidem Deus purus actus, sed hoc non vetat, quin simul sit in se esse finitus.*

Secundum. Deus nō est vbiq; præsens, sed tantum in cœlo. Ita idem Vorstius in Tractatu citato, cum ait : *In scripturis affirmari omnino videtur, Deum ratione substatiæ sue tantū esse in cœlo.* Et post citata aliquot Scripturæ testimonia, sic concludit: *Simpliciter igitur credamus, quod sacra & scriptura toties inculcat, Deum sua substantia in cœlo habitare in terra vero, virtus & sapientia sua nobis adesse.*

Tertium. Substantia Dei est diuisibilis, ac proinde nō est tota in re qualibet anima, sed secundum aliquam sui partem. Ita Vorstius ibidem : *Videtur, inquit, esse paradoxum, Deum sic omnis quantitatis expertem esse, ut totus substantialiter sit in re qualibet, etiam minima.* Eodem modo loquitur de anima rationali, quam ait esse corpoream, & vera quantitate praeditam.

Quartum. Deus prædestinat homines ad æternam damnationem, sine villa ipsorum culpa, solum, quia ipsi ita placet. Ita Caluinus lib. 3. Institut. cap. 23. §. 2. *Homines nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur.*

Quintum. Deus est author peccati. Ita Caluinus lib. 1. Iustit. c. 18. §. 3. *Iam satis aperte ostendi, Deū vocari eorū omnium auctorem, quæ isti censores volunt otioso tantū eius permisso contingere.* Et infra §. 4. *Homo Dei impulsu agit, quod sibi non licet, id est, homo impellitur à Deo ad peccandum.*

Sextum. Deus miserè illudit hominibus, simulans se velle illos iuuare, cum tamen nihil minus velit. Ita Caluinus lib. 3. c. 24. §. 13. *Ecce, vocem adeos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accedit, sed qua magis obstruunt: remedium adhibet, sed ne sanentur.*

Septimum. Christus non est in Eucharistia, sed tantū in cœlo. Ita Caluinus in confessione cum Tigurinis in re Sacramentaria: *Christus, quatenus homo, nō alibi, quam in cœlo querendus est.* Proinde qui in solennibus Cœnae verbis,

bis. *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, literalē sensum urgent, eos tāquam præposteros interpretes repudiamus.*

Octauum. Imago Christi crucifixi nullo modo in Templis toleranda est, omnēsque, qui eam tolerant, sunt idololatræ, non minus, quām gentiles, qui imagines bestiarum colunt. Ita David Paræus in Commentario c. i. Epistolæ ad Romanos. Mutant, inquit, gloriā Dei, & idololatræ sunt, non soli gentiles, qui vel homines, boves, volucres, serpentes, Solem, Lunam, stellas, herbas, fortunam, vel harum rerum imagines pro Deo colunt; sed etiam inter Christianos, omnes illi, qui imaginem Christi crucifixi in templis, ad præsentandum Christum, & ad docendum ru- diores de Christo tuentur.

Nonum. Sancti, qui dicuntur cum Christo regnare, sunt larvæ, bestiæ, carnicices. Ita Caluinus lib. 3. c. 20. §. 27. Inde colligimus, nihil eos Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius intercessionem, nisi accedant Georgius, & Hippolytus, aut similes larvæ. Et in libro de ratione reformatæ Ecclesiæ: Omitto Dominicum, & similes carnicices. Omitto Medardum, Lubinum, & similes bestias.

Decimum. Peccatum originale non tollitur per Baptismum, sed in nobis manet, quamdiu viuimus. Ita Caluinus lib. 4. c. 15. §. 10. Iam perspicuum est, quām falsum sit, per Baptismum solui nos, & eximi ab originali peccato. Et in Antidoto Concilij Tridentini, sess. 5. Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum extinguitur.

Vndecimum. Omnia iustorum opera sunt fordes, inquinamenta, & peccata mortalia; neque vitam promerentur, sed æternam damnationem. Ita Caluinus lib. 3. c. 12. §. 4. Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & fordes; & que iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas. Et c. 14. §. 9. Habemus, ne unum à sanctis exire opus, quod non mereatur iustum opprobrij mercedem. Et §. 12. Duobus his fortiter insistendum, nullum unquam

quam extitisse p̄ij hominis opus, quod si se uero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile. Et in Antidoto Concilij Tridenti, sess. 6. c. 22. Inde conficitur, non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt, quamlibet bona opera, si ex aucto rigore censeantur, aeterna potius damnatione, quam vita premio digna esse.

Duodecimum. Lex Dei est omnino impossibilis obseruatu. nec ab ullo, quantumuis sancto, hactenus seruata est, aut deinceps seruari poterit. Ita Caluinus lib. 2. cap. 7. §. 5. *Quod autem impossibilem legis obseruationem diximus, id explicandum & confirmandum est.* Et in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. cap. 12. *Mihi abunde sufficit, neminem extitisse unquam, qui legi Dei satisfecerit, nec ullum posse inueniri.* Et ibidem addit: *Prophetas, Patriarchas & pios Reges, ut cunque spiritu Dei adiuuarentur, ferendo legis iugo pares non fuisse.*

Decimumtertium. Fides ac sanctitas est propria Eleitorum, & semel habita amitti non potest. Ita Caluinus lib. 3. c. 2. §. 11. Ergo, ut solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitae, eorum cordibus insitu, ita solidè in ipsis obsignat adoptionis sue gratiam, ut stabilis ac rata sit. Et §. 12. Hoc interim tenendum est, quantumvis exigua ac debilis sit in electis fides, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam. Et c. 21. §. 6. Iam neque dubium est, cū orat Christus pro omnibus electis, quin idē illis precetur, quod Petro, ut nunquam deficiat fides illorum. Ex quo elicimus, extra periculum defectionis esse.

Decimumquartum. Omnes filij fidelium ex utero materno nascuntur sancti & haeredes vitæ aeternæ, ac proinde saluari possunt sine Baptismo. Ita Caluinus lib. 4. cap. 6. §. 24. *Infans à matris utero in fædere, id est, promissione vitæ aeternæ, continetur.* Et in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. *Verum infantes à regno Dei arcere libuit: qui ante erepti sunt ex hac vita, quam offerri*

offerri ad baptismum potuerint. Quasi verò de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur.

Decimumquintum. Omnes filij illegitimi aeternæ damnationi obnoxij sunt, nec ad baptismum admittendi. Ita Caluinistæ in Synodo Vilnensi, anno 1589. die 11. Martij, vbi decretum est, ne quis paruos illegitimè natos baptizare audeat, vt refert Adrianus Iungius lib. 3. de doctr. & moribus Euangelicorum, c. 17. Et in Palatinatu, anno 1587. articali quidam Caluinisticæ reformationis disseminati sunt, quorum secundus habebat hæc verba: *Infantes, qui ex illegitimo thoro nascuntur, aeternæ perditioni ac damnationi obnoxij sunt, nec per Baptismum iuuari possunt.*

Decimumsextum. Peccata Prædestinatorum nunquam imputantur; reproborum nunquam remittuntur. Ita Caluinus: & quidem priorem partem tradit lib. 3. c. 4. §. 28. *Fidelium peccata venialia sunt, non quia mortem non mereantur, sed quia non imputantur.* Posteriorum vero, lib. 4. cap. 1. §. 20. & 21. vbi docet, nullum peccatum remitti, nisi in Ecclesia. At reprobi, secundum Caluinum; in Ecclesia non sunt. Nullum ergo peccatum illis remitti potest.

Hæc & similia Caluinistarum dogmata non potes mihi ostendere in Euangeliō. Concludo igitur, doctrinam Caluinistarū Euangeliō conformē esse non posse.

Mores Caluinistarum.

4. **Venio ad mores Caluinistarum.** An illi conformes sint Euangeliō, videndum est. Eos luculenter describit serenissimus Britanniae Rex Jacobus, cuius tu autoritatem respuere non debes, quippe cum afferas, *Principem esse, qui pietatis, doctrinae, omnisque virtutis laude, nulli secundus sit.* Is igitur in sua præfatione monitoria ad Imperatorem, Reges & Principes, ita sentit de Caluinistis.

nistis. *Primo*, esse homines furiosos & incendiarios. *Secundo*, plus se fidei reperisse in efferis latronibus, quā in Calvinistis. *Tertio*, se non solum à nativitate continuo vexatum fuisse à Calvinistis, sed etiam in utero materno propemodum extinctum, antequam nasceretur. *Quarto*, se in suo libro ad Filium, multo acrius ac vehementius in Calvinistas, quā in Pontificios inuestum esse. Denique, se eidem libro prolixam in odium Calvinistarum Præfationem apologeticam præfixisse.

5. Et, ne dubites, Bataue, verba Regis integrè hic ascribā. Sic igitur habet: *Exclusis Puritanis, nouitiis incendiariis*. Et iterum: *Præclarasane laus, præclarum incombium, quo Puritanos ornaui, cum me plus fidei, vel in illis efferis, cum motanis, tum limitaneis latronibus, quam in hoc genere hominū inuenisse professus sim*. Et rursus: *Ego à Puritanis, non solum à nativitate continuo vexatus fui; verum etiam in ipso matris utero propemodum extinctus, antequam in lucem editus essem*. Et ibidem: *Ego in meo ad Filium libro, multo acrius ac vehementius in Puritanos, quam in Pontificios inuestus sum*. Cui etiam, cum secundo ederetur, prolixam in odium Puritanorum prefationem Apologeticam præposui. Et denique: *Mibi præcipuus labor fuit, deiectos Episcopos restituere, & Puritanorum Anarchiam expugnare*.

6. Hæc & similia habet Rex de Calvinistis, quos ipse Puritanos vocat. An tu putas Bataue, Euangelicis ea conuenire? Et, ut clarius dicam, an putas verè Euangelicos esse, quos Rex Britannæ, qui pietatis, doctrinae, omnisque virtutis laude, nulli secundus est, tam grauiter insestat? quos latronibus deteriores esse affirmat? quos majori odio, quam Pontificios, quos tu Antichristianos vocas, persequitur? quos tentati regicidij reos agit? quorum Anarchiam expugnauit? Non est verisimile. Alterutrum igitur necesse est, aut te toto cœlo errare, qui Calvinistas aīs esse verè Euangelicos; aut Regem Britannæ

Britannicæ mendacem esse , qui tam enormia crimina Caluinistis obiicit. Nam vtunque simul consistere non potest; vt & verè Euangelici sint , & præterea iis flagitiis obnoxij , de quibus à Rege accusantur. Si tu erras , Bataue , agnosce errorem. Si Rex mendax est, non minus tu mendax es , qui dicis in omni virtute, nulli secundum esse. Hic non effugies.

Priuilegia Caluinistarum.

7. Iam Priuilegia Caluinistarum, quæ nuper in libello quodam seorsim à me edita & explicata sunt , non magis conformia sunt Euangelio , quam mores ipsorum. Repetam ea breuissimè. Sic igitur habent. 1. Omnes Caluinistæ ex utero materno nascuntur sancti , & hæredes vitæ æternæ; idéoque nec Baptismo, nec aliis sacramentis indigent. 2. Omnes sunt Sacerdotes , & quotidie offerunt Deo mundam & acceptabilem hostiam in odorem suavitatis. 3. Omnes certi ac securi sunt de sua iustitia, sanctitate , perseverantia , prædestinatione , & vita æterna : ideóque certi ac securi, quicquid tandem eueniat, perire se non posse. 4. Omnes per internam Spiritus sancti suggestionem , norūt discernere inter Scripturas canonicas & non canonicas. 5. Tametsi omnes antiqui Patres errauerint, Caluinistæ tamen non errant:quia non ab hominibus, sed à Deo docti sunt, qui errare nō potest. 6. Habent propriam ac peculiarem doctrinam è cœlo missam, quam alij Christiani hoc tempore non habent. 7. In ea defendenda possunt contrarias ac pugnantes sententias sequi, cum lub: t: & eandem nunc affirmare, mox negare. 8. Habent etiam proprium ac peculiare Purgatorium post hanc vitam. 9. Etiamsi quotidie enormiter peccant, & flagitosè viuant ; tamen peccata ipsis non imputantur. 10. Possunt igitur impunè mentiri & calumniari;

lumniari; suūmque Euāgeliū hoc modo propagate,
 & Catholicorum vitam ac doctrinam traducere. 11.
 Possunt etiam , non modo aduersarios , sed se mutuō
 quoque cōuitiis ac maledictis infestari, sine ullo salutis
 aut sanctitatis dispēndio. 12. Possunt denique suos
 Reges ac Principes sacerdtales deponere, expellere, occidere,
 cum ipsis visum est. 13. Et quod omnium maximum
 est, nulla lege, nec diuina, nec humana, obligati
 sunt ; sed ab omni iugo & subiectione liberi ac im-
 munes.

8. Hæc sunt Priuilegia Caluinistarum. Quod autem
 Euāgeliō conformia non sint, clare à me demonstratum
 est in libello iam citato. Igitur ex dictis sic con-
 cludo; Qui eos dicit verè Euāgelicos, quorum neque
 doctrina, neque mores, neque priuilegia , Euāgeliō
 conformia sunt, is multum aberrat à veritate : sed tu,
 Bataue , Caluinistas dicis verè Euāgelicos , cum ta-
 men neque doctrina , neque mores, neque priuilegia
 eorum sint conformia Euāgeliō: Ergo multum aber-
 ras à veritate.

Q V A E S T I O II.

An etiam Lutherani sint Euāgelici?

i. **T**V similiter affirmas: Et utrosque, tam Lutheranos, quam Caluinistas, Euāgelicorum nomine censeri vis. Sed vnum dilemma tibi obiicio , quod & alias obiecisse me memini. Est autem hoc. Vel ab eodem Euāgeliō dicuntur Euāgelici , vel à diuersis. Ab eodem dici non possunt , quia Lutherani ex suo Euāgeliō docent , Christum realiter præsentem esse in Eucharistia, quod Caluinistæ negant. At in vno eodemque Euāgeliō id non affirmatur & negatur.

Non

Non ergo ab uno Euangelio Lutherani & Caluinistæ dicti sunt Euangelici. Si autem à duobus, necesse est duo contraria esse Euangelia, quorum altero afferatur præsentia Christi in Eucharistia, altero negetur. Si contraria sunt, utrumque à Deo esse non potest. Vel ergo Lutherani, vel certè Caluinistæ à Deo non sunt.

I. Responsum Bataui.

2. Tria respondes ad hoc dilemma. Primum dicas, me astutè & nequiter committere inter se Lutheranos & Caluinistas, eo fine, ut ipsi se mutuo conficiant, nobis interim iucundè spectantibus. Non ita est, Bataue. Ipsi iam pridem, antequam natus essem, mutuis odiis ac iniuriis lacerasti, bellum inter se concuerunt. Neque tu hoc ignoras. An non Lutherus in colloquiis mensalibus, cùm de concordia inter Lutheranos & Sacramentarios (seu Caluinistas) sermo incidisset, ingenuè fassus est; non aliam, quām quæ inter Christum & Iudam intercessit, sperari posse? Et, si quæ tandem ineunda esset, non in Dei, sed in omnium diabolorum nomine iniri oportere? An non ibidem disertè dixit, Sacramentarios esse diabolos incorporatos, quorum studium ac conatus eò potissimum spectet, ut nocere aliis possint? Scis, quæ postea secuta sunt. In Conventu Maulbrunensi, anno 1564. auctæ sunt inimicitiae inter Lutheranos & Caluinistas. Claudiopoli, anno 1586. in mutua odia iuratum est. In celeberrimo Mompelgardeni Colloquio, cui Principes sectarum, Iacobus Andreæ & Theodorus Beza interfuerunt, penitus de concordia desperatum. Nec quicquam crebrius ibi, quām hæ, vel similes voces auditæ sunt: *Perturbarentur conscientia nostra, si vobis assentiremur.* Item: *Pacem non possumus cum perturbatione conscientiarum redimere.* Item: *Inter partes conuenire non potest.* Item: *Tam acerbè utrin-*

que hactenùs pugnatum est , ut facile appareat , animos ex utraque parte valde exulceratos esse . Item : Non possumus per omnia cōsentire . Denique , ut multa talia præteream , finis Colloquij fuit hic : Quia , inquit Beza , dexteras fraternalitatis nobis porrigitur recusatis , & nos pro fratribus agnoscere non vultis ; amicitiae dexteras etiam nolo . Cui Iacobus ; Ergo intermittatur . Et sane intermissum est . Imò creuerunt odia . Nam interea Philippus Nicolai , Thilmannus Heshusius , Conradus Schlussenburgius , & multi alij Lutherani , præsertim Gisenses & Tubingenses , palam testati sunt , Caluinistas esse hereticos , & eorum doctrinam esse sacrilegam , execrandam , abominandam , diabolicam .

3. Vides , Bataue , quām antiquum & pertinax sit odiū inter Lutheranos & Caluinistas . Ergo dupliciter hic peccas . Primò , quòd vtrosque verè Euangelicos esse affirmes . An verè Euangelici sunt , qui se mutuo ut hereticos & blasphemos detestantur ? Non est dissensionis Deus , sed pacis . Secundò , quod me , quasi authorem aut incentorem dissidij , quod inter ipsos est , insimules . Ego nec author , nec inventor sum , sed spiritus diffidentiae , qui in ipsis operatur . Malim vtrosque ad unitatem Ecclesiæ , ex qua egressi sunt , pariter redire . Et illud Apostoli ex animo illis opto , Ephes . 4 . 5 . Unus Dominus , una fides , unum baptisma . Et 1 . Cor . 10 . Obscuror vos fratres , ut id ipsum dicatis omnes , & non sint in vobis schismata . Sed videamus reliqua tua responsa .

II. Responsum Batani.

4. Secundò igitur respondes , Lutheranos & Caluinistas ideo esse verè Euangelicos , quia viri que unum idemq ; Christi Euangeliū pro integro salutaris doctrinæ fundamento habent . Et hoc confirmas ab effectu , quia

Papa

Papa Romæ & alibi, utrosque, propter idem Euangelium, eodem ligno ustulari facit. Acutè sanè. Sed dic obsecro, quid per unum idemque Christi Euangelium intelligis? an unam eandemque litteram Euangeli? an unum eundemque sensum Euangeli? Si hoc solum dicas, utrosque habere unam eandemque litteram, seu externum corticem Euangeli; nihil ad rem dicas. Nam sic etiam Ariani, Macedoniani, Pelagiani, Donatistæ, & alij haeretici habent idem Euangelium. Omnes enim agnoscunt eandem litteram Euangeli. Si autem vis, Lutheranos & Caluinistæ habere eundem sensum Euangeli, aperte erras. Nam alio sensu Lutherani, alio Caluinistæ, explicant illud in Evangelio; *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Itemque illud; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Non ergo utriusque vocari possunt Evangelici, ab eodem sensu Euangeli. Quare, si Lutherani sunt, veri Evangelici, quoad sensum; necesse est, Caluinistas esse filios Evangelicos, quoad sensum. Aut si hi veri sunt, illos falsos esse, necesse est. Utique simul veri esse non possunt.

Quod addis; utrosque propter idem Euangelium eodem ligno ustulari, seu, eodem modo puniri apud Catholicos, partim verum, partim falsum est. Utique puniuntur, non propter Euangelium, sed propter haeresin. Et eodem modo puniuntur, quia tametsi non eandem sectentur haeresin, ab eadem tamen fide & Ecclesia defecerunt. Neque hoc nouum videri debet. An nescis Principes saeculares eodem sapè patibulo suffigere eos, qui diuersa flagitia perpetravunt? An nescis Arianos, Donatistas, Manichæos, Pelagianos, qui per diuersas semitas ab eadem Ecclesia digessi sunt, eodem igne ustulari apud inferos? Nihil certius.

III. Responsum Bataui.

6. Tertiò respondes, Lutheranos & Caluinistas, tametsi in quibusdam minoris momenti quæstionibus, vel, ut Rex Angliæ loquitur, in quibusdam apicibus dissentiant; tamen in fundamentalibus, ut tu loqueris, minime discrepare. Hoc sine dubio vis dicere, tametsi dissentiant in rebus quibusdam adiaphorit, quæ parum vel nihil ad rem faciunt; conuenire tamen in iis fidei Christianæ capitibus, ex quibus salus nostra dependet: Falsum est. Nec ipsi Lutherani, de quibus agitur, hoc fabantur. Si enim putarent Caluinistas in rebus tantum adiaphorit à se discrepare, cur hactenus tam acerbo & pertinaci odio eos prosecuti essent? cur in Colloquio Mompelgardeni dixissent palam, senon posse sine perturbatione conscientiarum cum Caluinistis consentire? cur in eodem Colloquio appellasset eos blasphemos, impios, Samosatenos, Nestorianos, & Nestorianis deteriores? cur ibidem obiecissent, Caluinistarum doctrinam alicubi tandem planè esse cum Turcico Alcorano? Hæc perpende, Bataue. Et ut punctim tecum agam, an tu putas, res adiaphoras & parui momenti esse; cum disputatur de auctore peccati, de prædestinatione ad vitam & mortem, de necessitate baptismi, de Sacramento Euccharistiae, de Persona Christi Salvatoris, & similibus fideli Christianæ capitibus? Et tamen in his dissentiant Lutherani & Caluinistæ.

7. Dicam clariss. An putas parui momenti esse, quod Caluinistæ aint, infantes fidelium saluari sine baptismo; spurious seu illegitimos, etiam post baptismū, damnari; certos homines, & quidem plerosque, citra ullam suam culpam, ita prædestinatos esse ad mortem, ut nulla ope, vel proprio vel alieno, iuuari queant? Certè, de summa rerum, hic agitur. Et tamen hic dissentunt ab illis

illis Lutherani. Negant infantes saluari sine baptismo; negant spurious damnari post baptismum: negant certos homines ita prae destinatos esse ad interitum, ut, velint nolint, perire debeant. I nunc, & persuade populo, res adiaphoras esse, de quibus illi contendunt.

8. Sic igitur concludo; Illi non possunt simul esse Euangelici, qui in grauiissimis Euangelij dogmatibus dissentunt, & quorum alij alios vocant hereticos, blasphemos, impios, Samosatenos, Nestorianos, Nestorianis deteriores, & Turcici Alcorani sectatores: Atqui Lutherani & Caluinistæ dissentunt in grauiissimis Euangelij dogmatibus, & Lutherani Caluinistas vocant hereticos, blasphemos, impios, Samosatenos, Nestorianos, Nestorianis deteriores, & Alcorani Turcici sectatores: Ergo Lutherani & Caluinistæ non possunt simul esse Euangelici.

Q V E S T I O . III.

An Batauus noster sit Euangelicus?

Nunc de te agitur, Bataue. Et quæstio est, *An Euangelicus sis, necne?* Tu non modo affirmas, sed etiam sic probas; Ille est Euangelicus, cuins & doctrina & mores Euangilio conformes sunt; sed doctrina & mores Batani Euangilio conformes sunt: Ergo Batauus Euangelicus est. Verba tua sunt hæc: *Ex dictis facile concludes Batauum, cum & doctrina & mores, secundum gratiam Dei in Christo, Euangilio conformes sint, merito Euangelicum esse.*

2. Sed duo obstant in contrarium. Alterum est, quod alibi dicas, neminem nisi amentem, de seipso testimonium perhibere posse. Sic enim scribis pag. 43. *Denique*

cum vosmetipſi vos Catholicos appelleatis, omnes facile videt, vos turpiter vosmetipſos & alios fallere: Quis enim ita amens est, quin sciat satis, quod nemo de ſeipſo testimonium perhibere poffit? Quasi dicas; Quicunque perhibet testimonium de ſeipſo, non modo amens eſt, ſed etiam turpiter ſeipſum & alios fallit: At Pontificij, cum ſe Catholicos appellant, perhibent testimonium de ſeipſis: Ergo non modo amentes ſunt, ſed etiam turpiter ſeipſos & alios fallunt. Non vides, in tuum caput re torqueri hoc poſſe? Audi. Quicunque perhibet testimonium de ſeipſo, non modo amens eſt, ſed etiam turpiter ſeipſum & alios fallit: At tu, Bataue, cum dicis te doctrina & moribus Euangeliū eſſe, perhibes testimonium de teipſo: Ergo non modo amens eſt, ſed etiam turpiter teipſum & alios fallis. En, tuo te gladio iugulasti. Et illud ex Euangeliō in te quadrat, Lucæ 29.

22. De ore tuo iudico te, ferue nequam.

3. Alterum eſt, quod nihil in tua doctrina & moribus reperiri poſſit, quod Euangeliō cōforme ſit; multa, quæ diſformia ſint. Capita tuæ doctrinæ, quæ ha-ctenus videre potui, ſic habent.
1. Pontificij ſunt Antichristiani.
2. Rex Hispaniæ eſt notoriuſ hæreticus.
3. Hollandi non debent inire pacē cum Rege Hispaniæ.
4. In Concilio Tridentino, Lateranensi & Conſtantienſi expreſſe definitum eſt, fidem Hæreticis feruandam non eſſe.
5. Catholici ſunt Turcis deteriores.
6. Non feruant fidem datam.
7. Lutherani & Caluinisti ſunt Euangelici.
8. Nec inter ſe diſſentiunt, niſi in rebus adiaphoris.
9. Non peccat contra Euangeliū, qui inimico ſuo dicit, *Fatue.*
10. Augustinus, Bellatminus & multi alij Catholici conſentiuunt cum Caluino in materia de prædestinatione ad mortem. Hæc & ſimilia pūcta, quæ paſſim occurruunt in tuis libellis, non facilè oſtendes in Euangeliō.

4. Porrò, mores tui tantum distant ab Euangelio, quantum à caelo terra. Perpetuò eructas mendacia, conuitia, lupanaria, meretricia, quæ parum Euangelica sunt. Et cum in Euangelio scriptum sit, *Diligite inimicos vestros; tu contra facis.* Vbiique iracundè ac furiosè debaccharis in alios. Romanum Pontificem appellas *Draconem, Antichristum, scoriatorem;* Reges & Principes Catholicos, *Antichristianos, & idololatras;* Regem Hispaniæ, *raptorem & notorium hereticum;* Archiduces Austriæ, *perfidos;* Ducem Sabaudiæ: *crudelem & perfidum;* Sigismundum Poloniæ Regem, *non dissimilem;* Cardinalem Bellarminum, cuius modestia & integritas etiam hosti nota est, *ardelionem & archiscurrant.* Suntne hæc, Bataue, conformia Euangelio? Non opinor. Euangelium dicit; *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et tu vis esse Euangelicus, qui multo atrociora conuitia in alios despumas? Aliter Apostolus, Rom. 12.14. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Nulli malum promalo redentes.* Et infra; *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.*

QVÆSTIO I.V.

An Batauus sit Caluinista.

1. **H**actenus Caluinistam te appellaui, vt scis, Bataue. Nec sine causa. Sic enim mecum ratiocinabar; Batauus nec Iudeus est, nec Turca, nec gentilis, sed Christianus. Porrò, inter Christianos, quanto ferè hominum genera sunt. 1. Catholici seu Pontificij. 2. Lutherani. 3. Caluinistæ. 4. Anabaptistæ. At Batauus, nec Pontificius est, nec Lutheranus, nec Anabaptista: Ergo Caluinistam esse, verisimile est. Nec alij aliter sentiunt. Nam & assidue versariis inter Caluinistæ.

stas; & eos verè Euangelicos esse contendis; & non ita pridem, corum doctrinam & Aphorismos defendere conatus es.

2. Nihilominus, quod valde miror, ægrè fers, quòd Caluinistam te esse dixerim. Imò, calumniam & mendacium interpretaris. Sic enim scribis pag. 16. *Inter prima calumniarum tuarum, Becane, capita referam, quod federatorum defensorem, Caluinistam appellates. Et paulò post: Initio ergo hic, Becane, cum Batauum Caluinistam dicas, te primi parentis tui spiritu dubium, impudentissime mentiri, ipse vides. Quis non suspicetur, si haec legat, te extrémè Caluinistas execrari? te probri & ignominiae loco ducere, inter Caluinistas recenseri? Quid hoc rei est? Túne probrū putas, recenseri inter Euangelicos, inter reformatos, inter viros bonos, qui ab utero materno sancti sunt? Non capio hoc mysterium.*

3. Dic paucis. Vel idem sectaris in doctrina & moribus, quod Caluinistæ, vel diuersum. Si idem, Caluinista es. Si diuersum, Euangelicus non es. Priorem sequelam sic probo. Ille, & doctrina & moribus, Caluinista est, qui in doctrina & moribus sectatur idem, quod Caluinistæ: Ergo si tu in doctrina & moribus sectaris idem, quod Caluinistæ; sine dubio, & doctrina & moribus Caluinista es. Posteriorem sic probo; Ille, nec doctrina, nec moribus Euangelicus est, qui in doctrina & moribus sectatur diuersum ab Euangelicis: Ergo si tu in doctrina & moribus sectaris diuersum à Caluinistis, qui tuo iudicio Euangelici sunt; nec doctrina, nec moribus, Euangelicus esse potes.

4. Hic planè constrictus es. Et quomodo in hanc foueam incidisti? Facile coniiciam. Scripsérat quidam author Regem Angliæ Caluinistam, seu Puritanum esse. Ægerimè id tulit Rex. Tu Regem imitari voluisti. At non pari prudentia. Nam Rex, non modo Caluinistam

uinistam se esse, negauit, sed & causam attulit, cur Calvinista esse non velit. Nimirum, quia Calvinistæ, viræ ac sanguini Regum insidiantur, & latronibus detersores sunt. Tu longè aliter. Ais Calvinistas esse verè Euāgelieos. Et tamen calumniam interpretaris, quod te Calvinistam, id est, verè Euangelieū appellari. Quis non stupeat? Conferamus nunc Regis prudentiam cum tua. Rex sic argumentatur; Ille perperam facit, qui virum bonum recenset inter eos, qui latronibus detersores sunt: At quidam author recenset Regem Angliæ inter Calvinistas, qui latronibus detersores sunt: Ergo perperam facit. Tu sic, Bataue; Ille calumniator est, qui bonum virum recenset inter eos, qui verè Euangelici sunt: At Becanus recenset Batauum inter Calvinistas, qui verè Euangelici sunt: Ergo Becanus calumniator est. Iudicet orbis Christianus.

Q V A E S T I O V.

Cur Batauus nomen suum non expreſſerit?

I. **A**liquot iam libellos sc̄ipisti, Bataue, qui annis superioribus, non palam, sed occulte inter Euangelicos tuos sparsi sunt. In iis, aut *Batauum Christianum & Euangelicum*, aut *fœderatorum inferioris Germania defensorem* te appellas. At aliud tibi nomen est, quod vbique dissimulas. Quid causæ? Hic aliud ego, aliud Bataui tui sentiunt. Mea sententia est, ideo te id facere, ut securius mentiri & calumniari possis. Non frustra dictum est in Euangeliō, Ioan. 3.20. *Qui male agit, odit lucem, ut non arguatur opera eius.* Et apud Apostolam i. Thes. 5.7. *Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Et sane, si vir bonus es, non puderet te tui nominis. Candidè ac rotundè fatereris te esse, qui es. Nunc, cùm se-

cus facias, quis te merito suspectum non habeat? cùm lucem fugias, quis tenebrionem non interpretetur?

2. Sic ego sentio. At aliter tui Bataui, vt dixi. Aiunt, de nomine familiæ, pridem tibi litem intentatam esse. Verum id, an falsum sit, non dispuo. Nec mea interest, iure, an iniuria, ex illustri familia titulū tibi vendices, spurius, an legitimus sis. Hoc suadeo, si dolo irrepisti; caue, ne Scioppius aduertat. Alias, idem tibi euenturum est, quod Bordoni accidit. Si spurius es, Calvinistæ id nesciat. Nam illi, suo decreto, quotquot illegitimo thoro nati sunt, æternæ damnationi transcribunt. Facile intelligis, quid velim. Quod tamen secretò inter nos dictum sit,

Q V A E S T I O V I.

Cur Batauus tam iracundè agat?

1. **Q**VAM iracundè & furiosè te geras in tua Apologia, facile constat ex iis, quæ initio à me allata sunt. Et clarius constabit Lectori, si contextum Apologiæ tuæ inspiciat. Sed, quæ huius furoris ac insanitatem causa? Non difficilis, conjectura est. Scripsoram in meis Questionibus Miscellaneis, de fide hereticis seruanda, in hunc modum; *Batauus ex bello Belgico, quod inter Catholicum Regem Hispaniæ, & Fœderatos Ordines, tot annis geritur, nō exiguum questum facit. Et quia nunc de pace agitur, omnibus modis eam turbare vult, ne questum, cessante bello, mox amittatur. Ergo passim inculcat, pacem cum Catholicis nullo modo iniri posse, eo quod ipsi Fœderatos habeant pro hereticis, & dicant, fidem hereticis datam minimè seruandam esse. Futurum ergo, ut ipsi eam non seruent. Potius igitur in bello persistendum, ut venter Bataui huius sustentari possit.*

2. Nimi

Nimicum, hæc verba pupugerunt te, Bataue. Sed tamen vera fuisse, euentus docet. Nam paulò post, initia pace inter Regem Hispaniæ & Fœderatos Ordines, cum iam pabulum, quod ex bello dabatur, subtractum tibi esset; cœpisti esurire, & instar famelici canis, cui ossa crepta est, insanos latratus edere. Hinc illi furiosi & iracundi iambi, quibus me & alios Pontificios, in tota Apologia, tam potenter insectaris. Et valdè mentio, ne quotidie maior rabies te inuadat. Quid enim speres subsidijs, cœlante bello? *Fodere non vales, mendicare erubescis.* Et quod bellum sperare potes, ex quo quæstum facias? Nisi fortè Mauris persuadeas, ut reductis copiis, Hispaniæ regna, ex quibus nuper eieci sunt, recuperatum eant, aut Afris, ut firmissimum Hollandorum perfugium, quod in potestatem Philippi Regis redactum est, quo bello adoriantur: aut certè Moschis, ut Moschouiam suam, quæ à Sigismundo Poloniæ Rege occupata est, suo iure restituant. Sed sinamus hæc, ne lachrymas tibi excutiant.

Q V A E S T I O VII.

An Pontifex sit Antichristus?

I. **P**rimum, pro tua modestia, ais Pontificem esse Meretricem Babylonicam, Draconem Romanum, Depastorem Catholicum, Iouem Capitolinum, scottatorem, hæreticum, blasphemum, tyrannum, & quæ eius generis similia sunt. Deinde, dupli syllogismo probas Antichristum esse. Prior est; *Ille est verus Antichristus, quem sacra litteræ talēm esse demonstrant;* atqui *sacra litteræ demonstrant Pontificem Romanum esse verum Antichristum:* Ergo Pontifex Romanus est verus Antichristus. Minorē probas altero syllogismo, qui est talis:

tal is : Cuicunq[ue] competunt omnes nota essentiales , quibus verus Antichristus in sacris litteris designatur , is verus Antichristus est : Atqui nota omnes essentiales , quibus verus Antichristus in sacris litteris designatur , competitunt Pontifici Romano : Ergo Pontifex Romanus est Antichristus . In sacris autem litteris ha[n]c nota Antichristo tribuuntur , nimirum quod sit mysterium iniquitatis homo peccati , filius perditionis , Pastor , & Rex uniuersalis regnum exercens , se[nsu]e opponens & effrenis aduersus quicquid dicitur Deus , habens regnum super Reges , sedens in templo Dei super septem montes , præseferens se esse Deum : cuius iniquitatis mysterium quidem tempore D. Pauli agi capitulo , sed aperte dominatum suum exercere cepit collabente Romani Imperij dignitate spirituali & ciuilem gladium usurpans , (omitto similia , quæ sequuntur) Atqui ha[n]c omnes & singula nota competitunt Pontifici Romano . Ergo Pontifex Romanus verus Antichristus est .

2. Hi tui syllogismi sunt , Bataue . Sed quid tuos dico ? Tui non sunt . Nam posteriorem , quantus quantus est , propè ad verbū suffuratus es ex Gabriele Pouelo , Baccalaureo Oxoniensi . Vnde priorem habeas , nescio . Verisimile est , ab aliquo Professore Heidelbergensi dictatum esse . Tu certè , quia neutrius vim percipis , vtrumque coniunxisti , vt chartam impleres . Alioqui , si rem spectes , alter ab altero nihil differt . Nam prior sic habet ; Ille est verus Antichristus , quem sacra littera talem esse demonstrant . Posterior sic ; Ille est verus Antichristus , cui competit nota , quibus sacra littera designant verum Antichristum . Planè idem utriusque sensus est ; tametsi verba non nihil discrepent . Tu tamen , quod alter in Germania , alter in Anglia procusus sit , utrique seorsim peculiarem vim inesse , pueriliter arbitratus es . Sed facile condono tibi hunc lapsum , quia causidicum , non Theologum agis .

3. Ad maiora venio. In posteriori syllogismo , duo præstanta tibi sunt. Alterum , vt doceas , illis notis , quas ex Pouelo transcripisti, Antichristum in Scriptura designari. Alterum , quod rei caput est , vt easdem notis Pontifici Romano ostendas conuenire. Vtrumque facturum te promittis : neutrum præstas. Nam de priori sic scribis: *Hæ nota ad calcem huius libelli, in synopsi, collatione cum veris notis Christi, & testimoniis Scriptorum Pontificiorum facta demonstravuntur.* At synopsis illa non reperitur ad calcem libelli. Suspicor nondum confessam esse ab eo , enī commiseras. Virge hominem , vt fidem tuam liberes. De posteriori , quod maximè in controuersiam venit , sic oscitanter subnectis: *Quod autem haec ita sint (id est , quod omnes hæ notæ conueniant Pontifici) res ipsa , & quamplurimi probatissimi authores Christiani & orthodoxi , tam perspicue demonstrarunt , ut nullus , nisi qui amorem veritatis non receperunt , & cœca obedientia , in baculi vel cadaver aferuntur , de iis dubitare possit.* Quid hoc est , Bataue? Initio promittebas te (te , inquam , non alios) id demonstraturum. Nunc , cum ad rem venitur , in fugam te coniiciis. Alij , inquis , probatissimi authores demonstrarunt. At tuum erat demonstrare. Cui fidem non seruas? Nimirum aduertis quæ à probatissimis illis authortibus allata sunt , pri dem à nostris refutata esse: Et plerosque mendacij convictos. Nec tamen aliud occurrit , quod rem tam difficultatem perficias. Gaudeo sane , & tuo , & meo nomine , Tu , quod tam dexterè , scilicet , pugnam declinaueris. Meo , quod non necesse sit , hic hærere. Nihil enim à te allatum est , quod responsione indigeat.

4. Sed tamen , duo te monitum velim. Vnum , vt posthac non plus oneris suscipias ; quam ferre possis. Alterum , vt in scribendo sis cautior. Nam parum considerate scripisti , neminem posse dubitate , quin Papa sit

sit Antichristus, nisi qui amorem veritatis non receperunt,
 & cœca obedientia, ut baculi vel cädauera ferumur. Hoc
 addo, propter Serenissimos Reges & Principes, qui
 vel negant Papam esse Antichristum, vel certè dubi-
 tant. Negat Imperator Rodolphus, Reges Galliæ, Hi-
 spaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Archiduces Austriae, Du-
 ces Lotharingiæ & Bauariæ, Principes Electores, Mo-
 guntinus, Treuirensis, Coloniensis, & plurimi alij. Du-
 bitat Rex Angliae in sua Monitoria Praefatione. An tu
 ergo censes, hos Reges & Principes non recepisse amo-
 rem veritatis? aut esse, velut baculos & cädauera, qui
 nihil iudicij ac rationis habeant? Nimis proterius es,
 si hoc dicis.

QVÆSTIO VIII.

An Iesuitæ sint regicidae?

1. Ræter multa conuictia, quibus ex more & priui-
 legio Caluinitarum, proscindit Iesuitas, conaris
 probare hæc puncta. 1. Iesuitas esse regicidas. 2. esse
 proditores. 3. perduelles. 4. ingratos in Regem Gallie,
 benef. Etorem suum. Quæ singula seorsim examinan-
 da sunt. Ac primum, ut probes Regicidas esse, præmit-
 tis duo principia. Vnum est, quod Pontifex sit Anti-
 christus. Alterum, quod Iesuitæ singulati voto ac iura-
 mento obstricti sint Pontifici. Hinc infers; Proclive
 nunc fuerit demonstrare, Iesuitas, primarios Regum & Prin-
 cipum Christianorum parricidas esse. Igitur, hoc est argu-
 mentum tuum; Pontifex est Antichristus: Iesuitæ sunt
 obstricti Pontifici: Ergo Iesuitæ sunt parricidae Regum
 & Principum Christianorum.

2. In breui argumento tria peccata. Nam & maior
 propo

propositio falsa est; & minor malè intellecta; & conclusio , vi formæ , non sequitur. Nego Pontificem esse Antichristum. Negant mecum Reges & Principes, quos supra enumerauit. Negat maior pars orbis Christiani. Tu nec probas, nec probare potes. Imò, quod ante monui, defectu probationis , datam fidem violasti. Quod assumis , Iesuitas Pon. ifici obstrictos esse , non sanè intelligis. Fateor obstrictos esse, in hæreticorum & Gentilium conuersione procuranda : Nego, in parricidiis Regum perpetrandis. Et de hoc tamen agitur. Vide ergo, quid aptè inferre possis. Aut , si adhuc videre non potes, accipe hunc similem syllogismum ; Rex Angliæ est Antipontificius : subditi Anglicani singulari iuramento obstricti sunt Règi Angliae : Ergo subditi Anglicani sunt parricidae Regum & Principum Pontificiorum. Rectè id sequitur, Bataue, an securus? Confer cum tuis Heidelbergensibus.

3. Ergo , si huius loci esset, multo facilius probarem Caluinistas esse Regicidas. Sed nuper id feci in libello, *De priuilegiis Caluinistarum*. Usas sum autem triplici potissimum argumento. Primò, ex testimonio Serenissimi Règis Angliæ, qui in sua Monitoria Præfatione ad Reges & Principes , ingenuè fatetur, Caluinistas vitæ ac sanguini Regum insidiari , & Latronibus detiniores esse. Altero, ex testimonio ipsorum Caluinistarum, præsertim Caluini, Bezæ, Paræi & Bataui, qui disertè scribunt, Reges & Principes, ob varias causas , à subditis deponi, expelli & interfici posse. Tertiò, ex fundamentis doctrinæ Caluinisticæ , ex quibus euidenter sequitur, Regicidia Caluinistis licita esse. Nolo ista hie repetere. Remitto te, Bataue, ad priuilegia Caluinistarum.

Quæ

QVÆSTIO IX.

An Iesuitæ sint Proditores?

1. **D**uplici argumento probas, proditores esse. Primo sic, Proditor *i.e.* est, qui secreta alicuius Principis alteri prodit & reuelat, uti qui mittunt litteras vel nuncios ad hostes. De pœnit. dñi. 6. q. Sacerdos, De pœna & remiss. can. Omnis. Cardinali in Clement. i. 5. quia re de statu Monach.) At Iesuitæ secreta Regum & Principum, non modo Euangelicorum, sed etiam Pontificiorum, reuelant suo Generali, & Generalis Pontifisci: Ergo Iesuite sunt proditores Regum & Principum, non modo Euangelicorum sed etiam Pontificiorum.

2. Hic primum miror, te ex iure canonico citare tres canones, cum primus nihil ad rem faciat, reliqui duo non reperiuntur in locis à te allegatis. Primus sic habet; Sacerdos autem omnia caueat ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui reciteat, non propinquis, non extrancis. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vita sua ignominiosus peregrinando pergit. Iam vide, quām apte citaueris hunc canonem. Canon dicit, Confessarium non debere alteri reuelare peccata, quæ audierit in confessione, nec amico, nec inimico. Et ita est. An ergo dicit proditores esse, qui secreta Principum consilia reuelant hosti? Nihil minus. Non nego, proditores esse, qui id faciant: sed nego, in isto canonе hoc definiri. In canonе sit solum mētio de peccatis, quæ in sacramentali confessione audita sunt; non de consiliis Principum, quæ contra hostem agitantur. Reliqui duo canones, ut dixi, perperam à te citati sunt.

3. Sed relinquamus canones, quos nec legisti, nec intelligis. Ad rem veniamus. Tria igitur ex te quærō.

Primum, vnde sciant Iesuitæ secreta Regum & Principum Euangelicorum, quæ reuelant suo Generali, vt tu obiicis? An immediatè ab ipsis Regibus & Principibus Euangelicis? At sic ipsi Euangelici culpandi sunt, quod ea effutiant apud Iesuitas, quæ secreta esse cupiunt. An verò à Consiliariis Regum & Principum Euangelicorum? At sic, non Iesuitæ, sed Consiliarij essent proditores, quia secreta suorum Regum & Principum reuelarent aliis. *Alterum*, an Generalis & Pontifex sint hostes Regum & Principum Pontificiorum? Neutiquam. Amici sunt, non hostes. Cur ergo dicis, Iesuitas esse proditores, quando secreta Regum & Principum Pontificiorum reuelant, non hostibus, sed amicis? *Tertium*, vnde constet Iesuitas secreta Regum & Principum reuelare Generali, & Generalem Pontifici? Ex ipsis, inquis, Constitutionibus. Nam singulis membris, vi suarum Constitutionum, tenentur scribere Generali. Benè habet. Sed, an vi suarum Constitutionum tenentur scribere secreta Regum & Principum? Hoc nusquam inuenies, nisi fortè in tuo cerebello. Rectores tenentur scribere de statu suorum Collegiorum; non de secretis Regum & Principum.

4. Secundò, sic argumentaris; *Proditor etiam is est, qui scit, & non reuelat, qualis Garnet us vester fuit in Britania, quem vos tamen in numerum sanctorum Martyrum cooptatis.* Mira res. Quod antea ædificasti, nunc destruis. Antea dicebas, proditorem esse, qui scit secreta alterius & reuelat. Nunc contra dicis, proditorem esse, qui scit, & non reuelat. Ibi citabas canonem, qui decernit, Sacerdotem non debere reuelare peccata in confessione audita. Hic, contra eundem canonem, decernis, Garne- rum debuisse reuelare peccata in confessione auditæ, & quia id non fecerit, proditorem esse. Nimirum, hic spiritus nouorum Euangelicorum est. Modo aiunt,

mox negant, ut calumniari possint. Sed dic, Bataue, quid tu ageres, si ex officio excipetes peccata confitentium in Anglia? Reuelares ea Regi? At si peccares in canonem, quem citasti, & omnibus diebus vita tua ignoraminiosus essem. An potius non reuelares? Rectè quidem; sed cur igitur Garnetum proditorem vocas, quod non fecerit, quod nec tu facturus essem. An ille proditore est, tu non essem, in eadem causa? Nimis apertè hallucinaris.

Q V A E S T I O X.

An Iesuitæ sint perduelles?

1. **D**E hac re ita scribis, Bataue: *Nunc probabo, Iesuitæ Regum & Principum perduelles esse. Primb; cum vti supra ostensum est, Iesuitæ Antichristi, rebellium Principis, præcipua corporis pars sint, an non ex vi argumenti à toto ad partes positionis veritas consequitur? Item, Constitutio- ne Ludouici Bauari Imperatoris statutum reperitur, quod quicunque diceret, Imperium dependere à Papa, reus esset criminis lœsa maiestatis. At qui Iesuitæ non tantum imperia & regna, sed etiam ipsos Imperatores & Reges à Pontifice dependere scribunt & docent; Ergo Iesuitæ sunt rebelles, & rei lœsa maiestatis.*

2. His verbis duo argumenta complexus es. Unum sumitur à toto ad partes hoc modo; Pontifex est Princeps Rebustum: Ergo singulæ partes, quæ adhærent corpori seu Ecclesiæ Pontificiæ, rebelles sunt. At Iesuitæ sunt præcipua pars illius corporis: Ergo Iesuitæ sunt maximè rebelles. Itane, Bataue? Non vides hinc confici, etiam Imperatorem, Reges Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Archiduces Austriæ, Duces Bauariæ & Lotharingiæ, in rebellium numero à te censeri? Sunt enim

enim partes Ecclesiæ Pontificiæ. Si ergo à toto ad partes valet argumentum, ut tu asseris, necessariò efficitur, si Pontifex est Princeps & caput rebellium, omnes Reges & Principes Pontificios rebelles esse. Absit, mi homo. Sic potius accipe. Nemo propriè rebellis est, nisi respectu superioris potestatis: Ergo si Reges & Principes Pontificij sunt rebelles, debet in terris dari aliqua potestas superior, cui rebelles sint: At nulla in terris potestas est, quæ superior sit Regibus & Principibus Pontificiis, cui rebelles sint: Non ergo rebelles à te censeri debent. Fateor quidem Pontificem esse superiorem; sed quis Regum aut Principum Pontificiorum illi rebellis est?

3. Alterum est; Quicunque dicit Imperium dependere à Papa, est rebellis, & reus læsæ maiestatis, ut decernit Ludouicus Imperator in sua Constitutione, apud Albericum: sed Iesuitæ dicent Imperium & Imperatores dependere à Papa: Ergo Iesuitæ sunt rebelles, & rei læsæ maiestatis. Respondeo. Circa maiorem propositionem tripliciter deficis. Primo, quia non satis eam explicas, cum uno sensu vera, altero falsa esse possit, ut paulò post dicam. Secundo, quia non aliter eam confirmas, quam ex constitutione Ludouici Imperatoris, qui fuit schismaticus, & ab Imperio depositus. Tertio, quia Constitutionem dicti Imperatoris alleges ex Alberico; nec addis, quem Albericum intelligas: illumne, qui vixit tempore Ludouici Imperatoris? an alterum, qui adhuc putatur in Anglia superstes esse? Suspicio te ipsum nescire.

4. Similiter deficis in minori propositione. Nam Iesuitæ non aliud docent in hoc punto, quam alij Catholici seu Pontificij. Vel ergo omnes Catholicos damnare debes rebellionis & criminis læsæ maiestatis; vel, si solos Iesuitas damnare vis, inquit cum illis agis.

Porrò, ut præstem, quod promisi, sic res habet. Imperator in confirmatione & coronatione dependet à Pontifice: in communi regimine, non dependet.

Q V A E S T I O X I .

*An Iesuitæ sint ingrati in Regem Galliæ,
Henricum IV.*

1. **I**D tu affirmas his verbis; *Hunc Augustissimum Principem (Henricum IV.) postquam lenociniis, veneficiorumque & siccarii vestrarum terrore, in retia venatoris Romanii compulisti, ipseque vos maioribus beneficiis, opibus, & prerogatiis cumulauit, quam ab ullo Regum in uniuerso terrarum orbe haec tenus factum est, ad perpetuam turpissimam vestrae ingratitudinis memoriam, cum antiquissimo iure & honore denudatis, nimirum Ecclesiæ primogenitura, quam ipsi raptam vel fraude subductam. Hispaniarum Regi vendidistis, cum quasi natu primum diligi, & filium Ecclesiæ quasi natu maximum, per uniuersum orbem proclamantes, ut videre est apud Richeomum in Apologetica Expostulatione, cap. 17. & 18.*

2. Tria hic dicis, Bataue. 1. Regem Galliæ plurima beneficia contulisse in Iesuitas. 2. Iesuitas per summam ingratitudinem, eripuisse Regi Galliæ benefactori suo, debitum titulum ac honorem, & Regi Hispaniæ vendidisse. 3. Eundem Regem, timore siccarii & beneficiorum à Iesuitis compulsum esse, fieri Catholicum. Primum punctum verissimum est. Fatentur Iesuitæ, multis beneficiis se auctos & ornatos esse à Christianissimo Rege. De tertio, paulo post seorsim videbimus. Secundum, de quo hic agitur, omnino falsum est. Nego Iesuitas ingratos fuisse in Regem Galliæ. Et quomodo tu id probas? Ita obscurè, ut dubium sit, quid

quid velis. Potest enim dupliciter intelligi tua probatio. *Primò* sic ; Cùm Rex Galliæ antiquissimo iure vocetur *Primogenitus Ecclesiæ*, Richeomus Iesuita abstulit illi hunc titulum, & dedit Regi Hispaniarum. Si hic sensus tuus est, (quem sanè verba tua præ se ferunt) apertè mendax es. Nam Richeomus in sua Apologetica Expostulatione, quam ci. as, disertis verbis alloquitur Regem Galliæ, eumque *Primogenitum Ecclesiæ* filium appellat, nulla facta mentione Regis Hispaniarum. *Secundò* sic ; Cum Rex Galliæ antiquissimo iure vocetur *Primogenitus Ecclesiæ*, Richeomus Iesuita non dignatur illum hoc titulo in solidum, sed cum diminutione. Non enim absolutè appellat illum *Primogenitum Ecclesiæ*, sed *quasi primogenitum* : Ergo insinuat Regem Hispaniarum esse verè *Primogenitum* ; Regem autem Galliæ, non verè, sed *quasi Primogenitum*. Si hic sensus tuus est, (qui sine dubio esse debet) tripliciter peccas.

3. *Primò*, quia falsum narras. Non enim Richeomus vocat illum *quasi Primogenitum*, sed absolutè *Primogenitum*. Verba eius sunt hæc, c. 17. *Parce qu'il voyoit qu'il n'estoit pas assuré de parler ouuertement & en general comme les Centuriateurs, contre la puissance du sainct Siege, devant vostre Maiesté, qui aime & honore le sainct Siege, & en est aimé & honoré, comme fils ainé de l'Eglise. Quæ latine sic sonant ; Cùm videret tutum sibi non esse loqui apertè, & generatim, ut Centuriatores fecerunt, contra potestatem Sanctæ Sedis coram vestra Maiestate, quæ amat & honorat Sanctam Sedem, & ab ea amatur atque honoratur, ut Filius Primogenitus Ecclesiæ. Et rursus cap. 19. sic scribit ; Sire, ie me assure que ceste réponse sans en dire davantage suffit à vostre Maiesté, qui estes fils ainé de l'Eglise. Quod Latinè sic redditur ; Domine, certum mihi est, hoc responsum, et si nihil aliud addatur, sufficietur vestra Maiestati, qua estis Filius Primogenitus Ecclesiæ.*

Vides, Bataue, Richeomum absoluté, & sine vlla restrictione, Regem Galliæ vocare Filium Primogenitum Ecclesiæ; nec verbum addere de Rege Hispaniarum. Quæ ergo tua impudentia est, vt palâ afferas, Richeomum rapuisse Regi Henrico Primogenituram Ecclesiæ, & eam Regi Philippo vendidisse? Videris narrare tua somnia.

4. Secundò peccas, quia etiamsi Richeomus dixisset, Regem Galliæ honorari & amari à Pôtifice, quasi Primogenitum Ecclesiæ (vt Latinus interpres aliquando verit) non ideò negasset, verè Primogenitum esse. Nam & Scriptura sacra disertè ait, Christum esse quasi *Vnigenitum* Dei Patris (Ioan.1.14.) & tamen non negasset esse verè *Vnigenitum*. Nam, vt rectè notat D. Augustinus in Psal. 125. & alij plerique Patres, illæ particulæ, *Quasi, Tanquam, Sicut*, non semper similitudinem, sed aliquando veritatem significant. Quod multis exemplis confirmat ibidem Augustinus. Itaque non plus roboris est in tuo argumento, quâm in hoc simili; Qui vocat Christum quasi *Vnigenitum* Dei filium, rapit illi suum titulum, & ingratus est: Atqui Ioannes Euangelista vocat illum quasi *Vnigenitum* Dei filium: Ergo, rapit illi suum titulum & ingratus est, quid ineptius? & tamen hæc forma differendi tua est, Bataue.

5. Tertià peccas, cùm facis hanc elumbem consequiam; Richeomus negat Regem Galliæ esse verè Primogenitum Ecclesiæ. Ergo affirmat, Regem Hispaniæ esse. Perinde, ac si diceres; Becanus negat, Regem Angliæ esse Primatem Ecclesiæ: Ergo affirmat, Regem Daniæ esse. Omnidò ridiculè. Poteras eadem facilitate sic concludere: Richeomus negat, Regem Galliæ esse Primogenitum Ecclesiæ: Ergo affirmat, Regem Hungariæ esse. Vis dicam, Bataue? Vbique impingis, lesuitæ non sunt tibi similes, vt yni blandiantur,

alteri detractum aliquid velint. Vnicuique tribuunt, quod illi debetur. Regem Hispaniæ vocant Catholicū: Regem Galliæ Christianissimum, gloriosissimum, excellētissimum, Primogenitum Ecclesiæ. Nam his titulis pridem ab aliis ornatus est, ut videre poteris apud Gregorium Magnum lib.5. Epist.6. Indict.14. & apud Gratianum 3.q.6.can. hæc quippe: & 1.q.3.can.excellentissimus: & apud Ioannem Azorium tom.2. Instit.moral.lib.11. cap.5. & alibi.

6. Audisti peccata tua, Bataue. Audi & duo dilemmata. *Prīus est*; Vel Rex Galliæ intellexit Expostulationem Apologeticam Richeomi, quando illi dedicata & oblata est, vel non intellexit. Si intellexit, mirum est, non aduertisse, quod tu aduertisti, se spoliari Primogenitura Ecclesiæ. Si non intellexit, mirum est, te intellexisse, qui vix ullū authorem benè intelligis. *Posteriorius*; Vel Rex Galliæ, tuo iudicio, est Primogenitus Ecclesiæ Pontificiæ, vel reformatæ. Si Pontificiæ magna ignominia eum afficis, cum Ecclesiam Pontificiam vocas *Ecclesiam rebellium*. Quid enim hoc aliud est, quam Regem Galliæ esse primogenitū rebellium? Si reformatæ mendax es, cùm ais, Iesuitas primogenituram Ecclesiæ rapuisse Regi Galliæ, & vendidisse Regi Hispaniæ. Nam neque isti Reges, neque Iesuitæ solliciti sunt de primogenitura Ecclesiæ reformatæ. Eam lubenter vobis concesserint.

Q V A E S T I O X I I .

Quid Rex Galliæ sentiat de Iesuitis?

1. Planè diuersum à te sentit. Tu ais Regicidas, proditores, perduelles esse; Rex, innocentes & bonos viros. Hoc primum patet ex oratione ipsius Regis, quam habuit coram Senatu Parisiensi, in qua

refutat omnes calumnias, quæ Iesuitis obici solent. Eam paulò post, in cuius gratiam, integrè hoc transcribam. Secundò, ex factis eiusdem Regis, quæ orbi Christiano nota sunt. Nam primò, reuocauit Iesuitas in suum regnum, ex quo erant expulsi. 2. Post reuocationem, voluit illorum esse patronus ac parens. 3. Flexiæ, ubi natus est, collegium illis instituit ac dotauit. Imò, proprium palatium pro collegio esse voluit. 4. In aliis quoque locis, nova collegia erigi & fundari passus est. 5. Ex Iesuitarum numero P. Cottonum elegit, qui ipsi à cōfessione & concionibus esset. 6. Ipsius studio ac impensis missi sunt Constantinopolim Iesuitæ, ut ibi conuertendis infidelibus operam darent. 7. Insigni eleemosyna collegium Romanum in necessitate subleuauit. 8. Famosam illam Pyramidem, quæ Parisis in Iesuitarum ignominiam erecta stabat, penitus disturbauit. 9. Cor suum non alibi, quam Flexiæ in Templo Iesitarum, sepeliri voluit. Quis credat Regem sagacissimum hæc facturum fuisse, si putasset Iesuitas esse Regicidas?

2. Accedat testimonium Serenissimi Principis Ludouici, quem Rex hæredem ac successorem reliquit. Is in suo diplomate sic habet: *Cum Henricus Magnus, Dominus & Pater noster, in obsequijs sui bonum, subditorumque suorum commodum utile ac valde necessarium fore iudicasset, Iesuitas in regnum suum, terras & dominia introducere ac statuere, habito cum Principibus consanguineis nostris, præcipuisque regni ministris maturo consilio, ex ipsorum iudicio, ac suo proprio motu, certa scientia, plena potestate, & autoritate regia eisdem Iesuitis, Edicto lato mense Septembri anni 1603. facultatem concessit redeundi & habitandi in locis ac partibus præfato edicto contentis, aliisque postmodum, literis suis, concedendis. Quod edicto in Regio nostro Parlamento Parisiensi registrato, 2. Ianuarij,*

anni 1604. præfatus Dominus & Pater noster, eisdem Iesuitis, plurimas regni huius ciuitates inhabitandi potestatem facit; quod quidem summa cum subditorum nostrorum voluptate factum, & executioni mandatum est, qui in educatione filiorum suorum ad pietatem, iunctio bonarum literarum studio, quicquid optari potuissent, assecuti sunt; ac dicta Domino & Patri nostro deo probati sunt, ut in ipsorum manus proprium cor deponere statuerit. *Quod quidem post eius obitum, ipsis traditum, & in Flexianum Templum delatum fuit.* Ideo ne quis voluntatem nostram in dubium reuocare possit, ex certa scientia nostra, plena potestate, proprio motu, & authoritate Regia, ob easdem causas, que predictum Dominum & Patrem nostrum permouerunt, queque adhuc perseverant, presentibus manu nostra subscripsis, ex iudicio dilectissime & honoratissima Reginæ regentis Matris nostræ, consanguineorum nostrorum Principum, laudauimus, confirmauimus, approbavimus, & ratam habuimus, laudamus, confirmamus, approbamus, & ratam habemus præfatorum Iesuitarum in hoc regnum nostrum admissionem.

3. Quid amplius vis, Bataue? Habes testimonia duorum Regum, parentis & filij, quibus contra te, & tui similes calumniatores, probitas & innocentia Iesuitarum defenditur. Queso, quis vñquam Rex de Calvinistis tam honorifice sensit aut locutus est? Nemo Hercule, nemo. Rex Angliæ, habet eos pro latronibus & Regicidis. Quid speres à reliquis? I nunc, & vende diplomata, resolutiones, processus, extracta, relata, quibus tuam Apologiam (nescio, qua fide) ad nauseam infarciuisti: Et caue, ne tibi eueniat, quod Iouiliano Parisiis accidit. Nostri historiam: sin minus, vide priuilegia Caluinistarum. Ibi inuenies.

Q V A E S T I O X I I I .

*An Rex Galliae fuerit verè Catholicus
& Pontificius?*

1. **T**V insinuas, non fuisse animo Catholicum & Pontificium, sed sicut & beneficiis Iesuitarum compulsum esse, ut simularet se esse, qui non erat. Verba tua sunt hæc: *Hunc Augustissimum Principem beneficiorum & sicutarum vestiarum terrore, in retia venatoris Romani compulisti.* Hic prodis naturam & morem Caluinistarum, quibus solenne est, aliud interius sentire, aliud exterius simulare. Putas, Regem Galliae fecisse, quod Caluinistæ in simili casu facerent; nempe, exteriori ritu, professum esse religionem Pontificiam: Interiori tamen affectu, fuisse verè Caluinistam.

2. Aliud tibi narrabo, Bataue, Rex Galliae, in præcipuis fidei capitibus nunquam animo Caluinianus, sed semper Catholicus fuit. Nec temere hoc dico, ut tu soles. Ipse met coram quatuor Episcopis, Bituricensi, Cenomanensi, Nannetensi, & Ebroicensi, id professus est. Cum enim eos ad se accersiuisset, ut de Catholica religione plenius instrueretur, palam dixit, se in duabus punctis, nempe, *De presentia corporis Christi in Eucharistia: & de Romana Ecclesia*, instructione non indigere; eo quod semper cum Catholicis credidisset, corpus Christi esse verè præsens in Eucharistia: Et, Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam.

3. Nec dubita. Episcopi testes sūt. E. Ludouicus Richomus rem totā narrat in præfatione ad ipsum Regem, quæ præfixa est libro de Missa, contra Plessæum. Ibi Regem sic alloquitur: *Accersitus tuo iussu Episcopis Bituricensi, Cenomanensi, Nannetensi, & Ebroicensi, qui te de Catholica religione erudirent, negasti opus eo tibi esse de præsen-*

præsentia reali corporis Saluatoris in Eucharistia , quod
eam semper credidisses ; neque de Ecclesia Romana , quam
etiam sensisses esse Dei Ecclesiam .

4. Illud porrò ridiculum est , quod dicis de benefi-
ciis & fiscis Iesuitarum , quibus Rex compulsus sit ad
retia venatoris Romani : (Sic tu Pontificem appellas .)
An Rex tam potens , tam magnanimus & cordatus ,
tot victoriis gloriosus , timeret sibi à Iesuitis , qui pauci
tunc erant in regno Galliæ ? Aut non putabat vires &
munitiones Gallicanas sibi sufficere , ut pauculis , qui in
regno erant , ab aditu prohiberet ?

Q V A E S T I O X I V .

*An Catholici in Concilio Tridentino doceant , Hæ-
reticis non esse seruandam fidem ?*

1. **I**D tu affirmas in vtroque tuo libello . Et quidem
in posteriori , quem contra me scribis , multis ver-
bis & ambagibus conaris id persuadere ; quod valde
miror . Nam in toto Concilio ne apicem quidem inue-
nias , qui tecum sentiat . Imò multa sunt , quæ te menda-
cem arguunt . Hoc , ut omnes clarè videant , ponam ipsa
verba Concilij , quæ in tribus diuersis sessionibus , vbi
agitur de faluo conductu , seu publica fide & securita-
te , disertè habentur . Igitur sess . 13 . in fine , sic habet : *Sa-*
crosancta generalis Tridentina Synodus , omnibus & singu-
lis , siue clericis , siue secularibus personis uniuersæ Germaniæ ,
cuiuscunque gradus , status , conditionis & qualitatis sint ,
quæ ad œcumenicum hoc & generale conciliū accedere volue-
rint , ut de iis rebus , quæ in ipsa synodo tractari debent omni
libertate cōferre , proponere & tractare , ac ad ipsum œcume-
nicum conciliū libere & tuto venire , & in eo manere & com-
moriari ac articulos , quos illis videbitur , tā scripto quā verbo
offerre

offerre proponere, & cū Patribus, sive iis, qui ab ipsa sancta synodo delecti fuerint, cōferre, & absque ullis cōiutiis & cōtumeliis disputare, necnō quādo illis placuerit, recedere possint, & valeant, publicā fidem & plenā securitatem, quam saluum conductū appellant, cum omnibus & singulis clausulis, & decretis necessariis & opportunis, etiāsi specialiter, & nō per verba generalia exprimi deberet, que pro expressis haberi voluit, quantū ad ipsam sanctā synodum spectat, concedit. Placuit præterea sancta synodo, ut si pro maiori libertate ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quam pro committendis per eos delictis, iudices eis deputari cupiant, illos sibi beneuelos nominent, etiāsi delicta ipsa quantumcunque enorimia, ac hæresim sapientia fuerint.

2. Et rursum sess. 15, in fine; Sacrosancta generalis Tridentina synodus, inherendo saluo conductui in penultima sessione dato, & illum iuxta tenorem infra scriptū, ampliando, uniuersis fidem facit, quod omnibus & singulis Sacerdotibus, Elecloribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuscunque viris, cuiuscunque status & conditionis, aut qualitatis existat, Germanicae prouinciae & nationis ciuitatibus, & aliis locis eiusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis & secularibus, præsentim Augustanae confessionis personis, qui, aut qua. vna cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient aut mittentur, ac profecturi sunt, aut huc usque venerunt, quo cunque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore presentium publicam fidem & plenissimam verissimāque securitatem, quam saluum conductum appellant, libere ad hanc ciuitatem Tridentinā veniendi ibidēmque manendi, standi, morandi, proponendi, loquēdi, vna cum ipsa synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia que cunque ipsis habuerit, ac articulos quoslibet, tam scripto quam verbo litterè offerendi, propalandi, eosque Scripturis sacris, & beatorum

torum Patrum verbis, sententiis & rationibus declarandi, aſtruēdi & persuadēdi, & ſi opus fuerit, etiā ad obiecta Concilij generalis respondendi, & cum eis qui à Concilio delecti fuerint diſputandi Christianè, aut charitatine, abſque omni impedimento conferendi, opprobriis, conuictiis, ac contumeliis penitus ſemotis; & signanter, quod cauſa controuerſa ſecundum ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia Catholice Eccleſiae conſenſum & sanctorum Pa- trum authoritates in p̄dicto Concilio Tridentino traſten- tur; Illo etiam addito, ut religionis p̄textu, aut delictorum circa eam commiſſorum, aut comittendorum, minimè punian- tur; imparitur ac omnino concedit ſic etiam, ut propter illo- rum p̄ſentia, neque in itinere aut quoquinque locorum eun- do, manendo aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridentina à diuinis officiis quoniam modo cefſetur. Et ut hiſ perac̄lis, vel non perac̄lis, quandoquaque iipſis libuerit, aut maiorum ſuo- rum mādato & affensu ad propria reuerti optabunt, aut ali- quis eorum optabit; mox abſque uilla renitentia, & occaſione, aut mora ſaluis rebus eorum & ſuorum pariter honore, & personis vice versa, poſſint iuxta beneplacitū liberē & ſecurē redire; de ſcientia tamen ab eadem synodo deputandorum, ut tunc oportuē eorum ſecuritati, abſque dolo & fraude pro- uideatur. Vult etiam ſancta synodus, in hac publica fide, ſal- uiōque conductu, omnes quascunque clauſulas includi ac con- tineri, ac pro inclusis haberi, qua pro plena, efficaci & ſufficiē- ti ſecuritate, in eundo, ſtando & redeundo, neceſſarie & op- portuna fuerint. Illud etiam, ad maiorem ſecuritatem & pa- cis ac conciliationis bonum, exprimens, quod quifſiam, aut il- lorum aliqui, ſine in itinere Tridentum veniendo, ſine ibi- dem morando, aut redeundo, aliquod enorū, quod abſit, ege- rint aut commiſſerint, quo poſſet huius fidei publice & af- fectionis beneficium eis confeſſum annullari, aut caſſari; vult & cocedit, ut in huicmodi facinore deprehensi, ab iipſis duntaxat, & non ab aliis, condigna animaduertione, cum emenda-

emenda sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda & laudanda, mox puniantur; illorum assecurationis forma, conditionibus & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut si quisquam, vel aliqui ex ipsa Synodo, siue in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publice & assecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in huiusmodi facinore deprehensi ab ipsa Synodo duntaxat, & non ab aliis, condigna animaduersione & emenda sufficiente, per partem Dominorum Germanorum Augustana Confessionis tunc praesentum, merito laudanda & approbanda, mox puniantur; praesenti assecurationis forma, conditionibus & modis omnibus manentibus illibatis. Vult præterea ipsa Synodus, quod licet ipsi Ambassiatoribus, omnibus & singulis, toties, quotiescumque opportunum fuerit seu necessarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eandem, nec non nuntium vel nuntios suos ad quecumque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis liberè mittere, seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum & destinatum suscipere toties quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui vel aliquis per deputados Concilij socientur, qui eorum securitati prouideant vel prouidecat. Qui quidem saluus conductus & securitas stare ac durare debeat, à tempore, & per tempus, quo in ipsius Synodi & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & usque ad Tridentum perduci, ac totò tempore mansionis eorum ibidem, & rursum, post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum premiso, cum ipsi petierint aut Concilium, habita huiusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, à Tridento usque in quemquisque elegerit sibi locum tutum, Deo fauente, restituat, dolo & fraude prorsus exclusis. Quæ quidem omnia pro uniuersis & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tā Ecclesiasticis, quam secularibus quibuscumque, atque omnibus aliis clericis & secularibus perso-

personis, cuiuscunque status & conditionis existant, aut quo-
cunque nomine censeantur, inuiolabiliter obseruāda promit-
tit, & bona fide spōdet. Insuper omni fraude & dolo exclusis,
vera & bona fide promittit, ipsam synodū nullam vel mani-
festē, vel occultē occasiōne quæ situram, aut aliqua iuthorita-
te, potentia, iure vel statuto, priuilegio legū vel canonum, aut
quorumcunque Conciliorum, pr̄ scriptim Constatiensis & Se-
nensis, quacunque forma verborum expressa, in aliquod huius
fidei publicæ, & plenissimæ assēcrationis, ac publicæ & liberæ
audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ, præindiciū quo-
uis modo usuram, aut quenquam vii permissuram: quibus in
hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta Synodus, aut
aliquis ex ea, vel suis, cuiuscunque conditionis, vel status, aut
præminentia existēs, præscriptæ assēcrationis & salui con-
ductus formam & modum in quoq̄ue punclo vel clausula
violauerit (quod tamen auertere dignetur Omnipotens,) &
sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbī-
trio merito approbanda & laudanda; habeant ipsam Syno-
dum, & habere poterunt incidisse in eas pēnas, quas iure di-
uino & humano, aut consuetudine, huinsmodi salutorum
conductūm violatores incurrere possunt, absque omni excu-
satione, aut quavis in hac parte contradictione.

3. Hæc omnia totidem verbis repetuntur sess. 18. in
fine; & postea sic subditur: Eadem sacrosancta Synodus,
in Spiritu sancto legitimè congregata, omnibus, & singu-
lis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem
non habent, ex quibuscunque regnis, nationibus, prouinciis,
civitatibus ac locis, in quibus publicè & impunè prædicatur,
vel & docetur, sine creditur contrarium eius, quod sancta Ro-
mana sentit Ecclesia, dat fidem publicam sine saluum con-
ductum sub eadem forma & eisdem verbis, quib⁹ datur
Germanis.

4. Hactenus citauit ipsa verba Concilij, in quibus
fit mentio publicæ fidei, seu salui conductus. Ex iis
omni

omnibus, si potes, Bataue, extunde mihi hanc vocem: *Hæreticis non est seruanda fides*: Nec tu, nec quisquam alius id poterit. Quid ergo molestus mihi es? Cur contra conscientiam tuam clamas, in Concilio Tridentino decretum esse, *Hæreticis non esse seruandam fidem*? Imò apertè contrarium decretum est. Nam si verba & sensum Concilij attendas, inuenies hæc duo statui ac decerni. *Vnum est*, vt omnibus Catholicis ac hæreticis, cuiuscunque status aut conditionis sint, liceat publica fide & securitate venire ad ciuitatem Tridentinam, ibidem manere, stare, proponere, disputare, domum redire. *Alterum est*, vt nemini liceat hanc publicam fidem ac securitatem omnibus promissam, vlo modo violare: Et si quis, siue Catholicus, siue hæreticus, eam violauerit, legitimè puniatur, subeundo illas pœnas, quæ iure diuino & humano in violatores fiduci constitutæ sunt. Hæc est summa decreti. Ex quo duo colligo, quæ ad rem faciunt. *Primo*, Cōcilium velle ac se riò mandare, yt fides publica, quæ hæreticis promissa est, omnino seruetur. *Secundò*, Concilium sentire, eum, qui promissam hæreticis fidem violauerit, non solum humano, sed etiam diuino iure puniri posse. *Quid clariùs dici aut definiri potest?* & tu in tam clara luce latebras quæris & ambages?

5. Ne tamen nihil videaris agere, multa obiicis, quæ vel apertè falsa sunt, vel ad rem non faciunt. Ponam obiectiones tuis verbis. Primum ergo sic ait; *Sed cum delinqūtibus & peccaturis fides publica plenissima & verissima securitas huīus Concilij decretis, vestra fidei sociis promittatur, piique interim vndeique omni perfidie genere inuoluti atrocissime opprimatur; an nō vere istiusmodi decreta & oracula ex latronum antro, qui aliqua mente præditus est, edita esse dicet?* Audi Bataue. An non potius, qui aliqua mente præditus est, dicet, te calumniari? fides publica

publica , & securitas plenissima , non tantum nostræ, sed etiam vestræ fidei sociis promissa est. Consule verba Concilij paulò ante citata. Deinde, qui sunt illi pij viri , qui atrocissimè oppressi sunt contra publicam fidem à Concilio datam? Si potes eos nominare, fatebor decreta Concilij ex latronum antro prodiisse. Si non potes , dicam te ex eoden. antro eructare mendacia. An satis tibi est, calumniam istam in chartā coniucere, vt imponas simplicioribus? Hoc bonū virum nō decet.

Sed pergis : Et adeo tamen , locusta effrons es, vt illo saluo conductu , per illos coniuratos Patres (quorum maiori parti nulla erat fides) Euangelicis, quos tu hæreticos meniris, fidem datam seruandam esse, decretum fuisse , ostentare audias, cùm né illa quidem in illo hæreticorum fiat mentio, sed è contra, instinctu Pontificum , indefessog, Cardinalium & Episcoporum conatu, ne Regibus & Principibus quidē licet Catholico-Romanis , maiestas & fides integra seruarentur, imò iisdem ipsis, vt omni alio bello inter ipsos suspeso, fædera inter seminua ad extirpandos Euangelicos, suaderetur, occidiaret. Interim dum coniurati illi Patres ipsos Reges & Principes, meretricum more, regia & principali potestate in premium operæ sibi fortiter nauante, penitus exuere mituntur! Et Pontifex per Italiam, Cæsar per Hispaniam, Germaniam & Belgium, & Franciscus II & Carolus IX per Galliā, reipsa ad opprimendos Euægelicos Principes & populos, & Tridento quidem procul in unum conspirabant, & Tridenti, in ipso vi perarum & latronū antro, Christianis Euangelicis orthodoxis fidem publicam & tutam securitatem ad vitam tantum suam ab igne ferro & veneno liberandam, proficiunt, locusta cantas? Multa hic dicis Bataue, 1. me effrontem locustam esse. Condono hoc tibi. 2. Patres Concilij fuisse coniuratos. Nihil absurdum, si in bono coniurarunt. 3. maiori illorum parti nullam fuisse fidem. Tantundem probas, ac si dicam, tibi nullam esse fidem. 4. me men-

tiri , afferendo Euangelicos esse hæreticos. At nunquam ego afferui Euangelicos, sed Caluinistas esse hæreticos. Nego autem Caluinistas esse Euangelicos. 5. In Concilio nullam fieri mentionem hæreticorum. Ergo tu mendax es , qui dicis, in Concilio definiri , nullam hæreticis seruandam esse fidem. 6. omni conatu laboratum esse à Cardinalibus & Episcopis , ne fides integra seruaretur Regibus & Principibus , etiam Romanocatholicis. Hoc dicis, non probas. Et putidum mendacium est. 7. suasum esse iisdem Regibus & Principibus, ut inter se fœdera inirent, ad extirpandos Euangelicos. Volebas dicere, hæreticos. Nam Euangelici extirpandi non sunt. 8. Patres Concilij conatos esse, penitus exuere Reges & Principes Romanocatholicos regia & principali potestate. Aut fabulam, aut somnium narras. Quis genius tibi hoc inspiravit? 9. Pontificem, Imperatorem, & duos Reges Galliæ, Carolum & Franciscum, re ipsa conspirasse ad opprimendos Euangelicos. Semper hic erras. Caluinistæ non sunt Euangelici. Et iniuriā facis Imperatori, & Galliæ Regibus, quod eos in malo cōspirasse interpretaris. Itane Imperatorū & Regum famam publicè tu traducis? 10. Tridentum, tempore Concilij , fuisse antrum viperarum & latronum. Ergone Legati Imperatorū, Regum & Principum, viperæ & latrones tibi sunt? Parum Euangelicè loquetis, Bataue.

7. Iterum pergis : Tu fidem publicam plenissimamq; securitatem Tridenti in ipsis venabulis venatores & lupos & depastores, misellis ouiculis Christianis & orthodoxis, ad demonstrandos Pontificum & sequacium eorum , in doctrina & moribus errores , in medium prodeuntibus promissam seruandam esse decantare audes ; ubi Catholicorum Regum & Principum Legatis Pontificiis , de morum tantum , aut precipue reformatione agenib; vix tutis esse licebat ? ubi ipsi

ipſis Regibus & Principibus Catholico-Romanis ad libitum Louis Capitolini excommunicatis, Imperia & regna perfidè auferri posse decretum fuit: vitam qui cui non seruant, annos ita fungos esse putas, Beccane, ut fidem illi eosdem seruaturos credamus? Illos, inquam, qui lingua iurant, & promittunt, & mentem iniuratam tenent: qui Euangelicos communem omnium Catholico-Romanorum hostem esse iniustum docetis & scribitis, & consequenter talem, cum quo nec fides, nec iuriurandum commune esse debet? Hic primum nihil aliud video, quam inermem & calumniolas exclamacionem. Deinde, nequuntur putida aliquot mendacia. Primum est, Legatos Regum & Principum Catholicorum vix fuisse iutus Tridenti. Vnde hoc habes: Alterum decretum fuisse, vt Reges & Principes Catholicci ad libitum Pontificis excommunicati, regnis & imperiis suis perfidè exuerentur. In qua sessione decretum id est? Putas Pontificem tui similem esse, qui audes publicè decernere, Regem Hispaniæ suo regno exturbandum esse: Tertium, Pontificios lingua iurare & promittere, & mentem iniuratam tenere. Quid si regeram, Calvinistas lingua iurare, & mentem iniuratam tenere? Plures hoc credent, quam illud. Quartum, nos scribere & docere Euangelicos esse tales hostes, cum quibus nec fides nec iuriurandum commune esse debet. Absit, vt hoc dicamus de Euangelicis. Imò nec de hereticis ita sentimus. Ostendi tibi paulò ante, Patres Concilij Tridentini non solum publicam fidem obtulisse & promisso hereticis, sed etiam pœnam statuisse in eos, qui fidem hereticis promissam violarent.

8. Pergis porro: Expressim, vt dictum est, ad Constantiensem synagogam venienti à Sigismundo Imperatore saluus cōductus Hussio datus est, & tamē ille, & Hieronymus Pra-

gensis, orthodoxias causa, iuxta coniuratorum illorum Partium sententiam, viui exusti fuerunt; hoccine tu fidem datam non violare appellas? Quid itaq;^z de Concilijs Tridentini saluis conductibus tenendum aut timendum putas, in quibus nulla hæreticorum expressa mentio facta est? Et tamen tu Beccane, tali securitate Euangelicos à cruentissimis suppliciis & lanienis vestris tutos, atque fidem ipsis datam seruandam fore, dulce canendo, vt aucep docere conaris? O fraudem & perfidiam plusquam Græcam, plusquam Punicam! Videris sic argumentari: In Constantiensi Concilio fides Husso & Hieronymo Pragensi violata est: Ergo etiam in Tridentino fuisset violata Euangelicis. Nimirum ex mendacio somnium colligis. Nego, fidem violatam esse Hussio. Hussius Imperatori fidem violauit, vt ostendi in disputatione *de fide hæreticis seruanda*. Et infra suo loco iterum ostendam. Porro, cùm ais, nullam hæreticorum fieri mentionem in saluis conductibus Conciliij Tridentini; apertè repugnas tibi ipsi. Nam alibi contendis, in eodem Concilio definitum esse, *Hæreticis non esse seruandam fidem*. Vnde sic regero: Qui nullam facit mentionem hæreticorum, ille non decernit, hæreticis non esse seruandam fidem: Atqui Concilium Tridentinum in suis saluis conductibus nullam facit mentionē hæreticorum, vt tu fateris: Ergo non decernit, hæreticis non esse seruandam fidem. Quid ergo tu nobis obilicis? Cætera, quæ sequuntur, O fraudem! o perfidiam! verba sunt, quæ strepitum faciunt, & nihil probant.

9. Deinde quasi ab exordio, incipis scrutari mentem Conciliij Tridentini per multas pagellas, cùm ais: *Non abs futurum esse viri boni crediderūt, citra ambagem, Tridentini Conciliij partem, quæ fidem & securitatem publicam Euangelicis datam spectat, paulo propius examinare*. His & sequentibus verbis, quæ propter fastidium omitto, nihil aliud facis, quam falsis suspicionibus & interpreta-

pretationibus, mentem Tridentini peruertere, & in aliud sensum trahere. Sed frustra. Nam mens Concilij, ex verbis ipsius supra citatis, clara & aperta est. Et sanè, ideo integra ipsius verba huc transcripti, ut quiuis videat & intelligat, quām tu malitiosè & impudenter ea interpreteris. Et tamen audes polliceri, te citra ambagem, Concilij de creta examinaturum? Imò nihil aliud, quām ambagem, vbi minimè opus est, se-
taris. Hoc solum à te postulo, & vrgeo, ut ex verbis Concilij colligas hanc sententiam, *hereticis non est seruanda fides*. Quamdiu hoc nō facis, nihil ad rem facis. Semper tibi occinā; *Heus Bataue, dic de tribus capellis.*

10. Tandem tamen videris dicere aliquid ad rem; sed planè ex desperatione. Cum enim ex saluis cōdūctibus Concilij Tridentini, non posses extundere hāc vocem, *hereticis non est seruāda fides*, cœpisti omnes angulos totius Cōcilij excutere, & tandem sess. 25. c. 20. de reformatione, reperisti hæc verba: *Decernit & precepit (sancta Synodus) sacros Canones & Concilia generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarū, libertatis Ecclesiastice, & cōtra eius violatores editas, qua omnia præsenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere*. Ex quibus verbis potest fieri tale argumentum pro te: *Quæcunque in Canonibus sacrī, Conciliis generalibus, & Apostolicis sanctionibus decreta sunt, ea in Cōcilio Tridentino renouantur, & exactè obseruari iubentur*. Atqui in Canonibus sacrī, Conciliis generalibus, & Apostolicis sanctionibus decretum est, non esse hereticis seruandam fidem. Ergo hoc etiam in Concilio Tridentino renouatur, & exactè obseruari iubetur. Hæc, opinor, est vis argumenti tui. Sed audi Bataue, effugium quæris, & latebras. Cum enim in saluis conductibus Concilij Tridentini non repertas, quod ostensurum

te promisisti; abducis nos aliò. Sed hoc etiam frustra. Nam apertè falsum est, quod assumis in argumēto, definitum esse in sacris Canonibus, in Conciliis generalibus, & sanctiōnibus Apostolicis, quòd hæreticis non sit fides seruanda, vt ex sequentibus patebit. Accedit, quòd nunquā Patribus Cōciliij Tridentini in mentem venerit, eo loco definire aut renouare, quod tu vis. Nā supra ostendi, Patres in suis saluis conductibus disertè statuisse, vt fides & securitas publica, quæ hæreticis promissa & oblata erat, integrè seruaretur; & si quis eam violaret, subeundæ pœnæ esset obnoxius. Non ergo, vt tu vis, contrarium hic statuerunt. Denique, Patres loco citato non renouāt omnia simpliciter & absolutè, quæ in sacris Canonibus, Conciliis generalibus, & sanctiōnibus Apostolicis decreta sunt; sed ea tantum, quæ in fauorem personarum & libertatis Ecclesiasticę decreta sunt, vt ex verbis Conciliij patet. Iam verò decretum de non seruanda fide hæreticis (si quod tale esset, quod tamen non est) non magis esset in fauorem Ecclesiasticorū, quam laicorum. Sicut enim ex vi illius decreti, Ecclesiastici liberi essent à seruanda hæreticis fide, sic etiam Laici. Est enim utrobique par ratio.

A N N O T A T I O.

1. Circa hanc quæstionem nihil noui adfers in tua Apologia, præter vnum dilemma, quod putas esse insolubile. Est autem hoc: Quando vos Catholici promittitis hæreticis securitatem de ipsis non puniendis, vel simulatè id facitis, vel verè. Si simulatè, utimini interna æquiuocatione. Si verè, peccatis contra Canones, in quibus decernitur, hæreticos puniendos esse. Sed quorsum Bataue, hoc dilemma? Planè extra chorūm vagaris. Hic solum quæritur, an Concilium Tridentinum definiat, hæreticis non esse seruandam fidē. Tu affir

affirmas. Hoc ergo probandum tibi est. Id non facis tuo dilemmate. Niſi fortè ſic velis argumentari: Catholici in promittenda ſecuritate, vel vtuntur æquiuocatione, vel peccant contra Canones: Ergo in Concilio Tridentino definitum eſt, hæreticis non eſſe ſeruandam fidem. Si hoc infers, planè ineptus eſt. Si aliud, nihil ad rem dicis.

2. Quid ſi retorqueam dilemma? Accipe igitur: Quando vos Caluinistæ promittitis ſecuritatem Pontificiis, quos habetis pro hæreticis & Antichristianis, vel ſimulatè promittitis, vel verè. Si ſimulatè, utimini interna æquiuocatione. Si verè, peccatis contra leges Imperatorias, in quibus decernitur, hæreticos puniendos eſſe. Quid dicis, Bataue?

3. Addo Concilium Tridentinum, quando promiſit hæreticis ſecuritatem de iſis non puniendis, non ſimulatè, ſed verè promiſiſe. Nec tamē peccaffe contra Canones. Primò, quia Concilium generale, cum repræſentet totam Ecclesiā, eſt ſupra Canones. Secundò, quia nō promiſit perpetuam & abſolutā ſecuritatem, ſed ſolum pro eo tempore, quo duraturum erat Concilium, & cum hac conditione, vt illi omnes, qui vellent Tridentum venire, & ibi de rebus ad fidem & religionem ſpectatibus, modiſtè conſerre vel diſputare, ſecuri eſſent Tridenti & in itinere, tū cundo, tum redeundo. Talis ſecuritas nō prohibetur in Canonibus.

4. Sed duo obiicis. Vnum eſt, quod durante, Concilio Tridentino multi maſtati ſint in Hispania, Gallia, Anglia, Belgio. Reſpondeo: Nemo maſtatus eſt contra promiſſam ſecuritatem. Nam, vt dixi, ſecuritas iis promiſa eſt, qui vellent venire Tridentum, & ibi de conſtruens diſputare. Hoc nemo hæreticorum fecit. Nemo ibi comparuit. Nemo ad iter ſe accinxit. Nemo igitur maſtari potuit contra promiſſam ſecutatem.

Hoc poteras intelligere ex verbis Concilij supra citatis, quæ sic habent, Tridentina Synodus omnibus & singulis, qui ad generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipsa Synodo tractari debent, omni liberate conferre, proponere & tractare, ac ad ipsum Concilium libere & tuto venire, necnon quando ipsis placuerit, recedere possint, publicam fidem & plenam securitatem concedit.

Igitur promissio Concilij est hæc; Omnes illi, qui ve-nient Tridentum & ibi disputatione, securi ac salui erunt Tridenti, & in itinere. Non autem hæc, quam tu imaginaris; Omnes illi, qui turbabūt Hispaniam, Gal-liam, Angliam, Belgium & contemnent Concilium Tridentinum, erunt securi & salui, vbiunque fuerint. Iam intelligis, opinor, Bataue.

5. Secundo obiicis, Legatos Regum & Principum Catholicorum vix fuisse tutos Tridenti. Iam supra respondi, putidum mendacium id esse. Tu tamen sic probas; Quia Legatus Henrici II. Galliarum Regis, dixit Tridentinis Patribus, Regem suum non posse ad Concilium Episcopos sui regni muttere, quando aditus ipsis, nec liber, nec tutus esset. Respondeo. Nec probas, quod probandum est, nec bona fide agis. Probandum est, Legatos Regum Catholicorum vix Tridenti fuisse tutos. Hoc non probas exemplo iam allato. Nam Legatus Regis Galliarum erat tutus Tridenti. Solùm excusabat suum Regem, quòd Episcopos non misisset ad Concilium, eo quod in itinere non fuissent futuri sine periculo: non quidem ex ea parte, vt tu mala fide interpretaris, quòd metuerent sibi à Concilio Tridentino sed quia gliscente bello inter Gallos & Hispanos, itinera omnia erant periculosa propter milites aduersæ partis.

Q V A E S T I O X V.

*An Catholicci in Constantiensi Concilio doceant,
Hæreticis non esse seruandam fidem?*

1. **H**oc etiam affirmas in utroq; tuo libello. Ego, & aliás negaui, & nunc iterum nego. Expendamus ergo verba Concilij sess. 19. quae sic habent; *Præsens sancta synodus ex quo quis saluo cōductu per Imperatorem, Reges & alios sacerduli Principes, hæreticis vel de hæresi diffamatis, cōcesso, nullū fidei Catholice vel iurisdictioni Ecclesiastice præiudiciū generari, vel impedimentū præstari posse seu debere declarat, quominus dicto saluo conductu nō obstante, liceat Iudici competenti & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadet, si suos errores renocare pertinaciter recusauerint, etiam si de saluo conductu consisi, ad locum venerint iudicioj, alias non venturi. Nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.*

2. His verbis, ut vides, duo decernuntur. *Vnum est, quod sacerdotalis potestas nullo modo possit impedire Ecclesiasticam potestatem à suo legitimo exercitio; ac proinde si quis sacerdotalis Princeps det alicui hæretico saluum conductum, hoc nō debeat obstare, quominus liceat Ecclesiastico iudici suum officium exercere, id est, examinare reum, & secundūm allegata & probata procedere. Et ratio est, quia quando sunt duo Principes, qui habent distincta iudicia & tribunalia, quorum alterum altero maius ac superius est; tunc inferior Princeps non potest impedire superiorē ab executione suæ iurisdictionis, ac proinde securitas, quam promittit alicui, non extendit se ad tribunal*

superioris Principis, quia superior legibus ac pætis inferioris non ligatur. (cap. cum inferior , extra de maiestate & obedientia) Atqui Princeps sacerdotalis, & Princeps Ecclesiasticus habent distincta tribunalia; & Ecclesiasticum tribunal superius. (cap. solitæ, titulo citato.) Ergo Princeps sacerdotalis, quando dat alicui subdito saluum conductum, non potest illum extendere ad tribunal superius, sine ipsius consensu ; nec per datum à se securitatem , impedire iurisdictionem superioris Principis. Quid certius ? Hoc ipsum disertè docent Iurisconsulti. Euerardus Spechan Iuris Professor Helmestad: j, ceturia prima quætionum iuris, quæst. i. de eadem re sic habet; *Index superior talem fidem à Judice inferiore factam, ratam habere non cogitur: tum quod Reipublicæ intersit, delicta puniri; tum etiam quod superior legibus, aut pætis inferioris non ligatur.*

3. Alterum est; quod sacerdotalis Princeps, qui promittit alicui securitatem, cum fecerit, quod in ipso est, non maneat in aliquo obligatus. Et ratio est, quia qui promittit securitatem, non censetur maiorem promittere, quam præstare possit. Si ergo facit, quod in se est, non peccat contra fidem promissionis. Quid autem hoc sit, Principē facere, quod in ipso est, paulò post explicabo. Tu enim & tui similes sinistre hoc interpretamini.

4. Atque hæc sunt duo decreta Concilij Constantiensi , quibus non decernitur , fidem hereticis non esse seruandam, ut tu malitiosè obiicis; sed instruitur Principes sacerdotes, quid in saluis conductibus seruare debeant, & quo usque extendat se illorum potestas & iurisdictio in promittenda & præstanda securitate.

5. Quid tu nunc contra adfers, vel adferre potes ? Primùm, arrodis illud, quod in explicatione prioris decreti dixi, saluum conductum inferioris, id est, Imperatoris, Regis & Principis, non impedire superiorum Ecclesiastico

ſiaſticorum iurisdictionē. Atque hinc tria absurdā colligis. Vnum, quod debitā Principibus, Regibus & Imperatoribus fidem ac obedientiam denegemus. Alterum, quod publicā eorundem fidem cum summo probro cōuelamus, & subditos ad rebellionē concitemus. Tertium, quod Principatum Ecclesiasticū, nefando periurio, supra omnes Reges & Imperatores efferamus. Singula videamus. Primum absurdum nō potes inferre, niſi hoc modo : Quicunque dicit, ſaluū conductum Imperatorū, Regum & Principum non impedire ſuperiorem Ecclesiasticorū iurisdictionem, is dicit, Imperatoribus, Regibus & Principibus nō esse debitam fidem & obedientiā præstandā: ſed Catholici dicunt prius: Ergo & posterius. Maior falsa est. Ut hoc videoas, repono tibi ſimilem hunc ſyllogiſmum: Quicunque dicit ſaluum conductum inferioris Iudicis non impedire iurisdictionem superioris Iudicis, is dicit, inferiori Iudici non esse debitā fidem & obedientiam præstandam: ſed Iureconsulti dicunt prius: Ergo & posterius. Certè, ſi maior propofitio huīus ſyllogiſmi falsa est, ut reuera eſt, in altero quoque falſam fuīſe neceſſe eſt. Nihil ergo, Bataue, concludis.

6. Alterum absurdum debes ſimili ſyllogiſmo deducere : Qui dicit ſaluum conductum Imperatorum, Regum & Principum non impedire ſuperiorem Ecclesiasticorum iurisdictionem, is publicam fidem Imperatorum, Regum & Principum conuellit, & subditos eorum ad rebellionem cōcitat; ſed Catholici faciunt prius: Ergo & posterius. Regero tibi hoc modo: Qui dicit, ſaluum conductum inferioris Iudicis non impedire iurisdictionem superioris Iudicis, is publicā fidem inferioris Iudicis conuellit, & subditos illius ad rebellionem concitat; ſed Iureconsulti faciunt prius: Ergo & posterius. Vides in utroque ſyllogiſmo maiorem falſam eſſe. Ergo iterum nihil efficis.

7. Tertium absurdum sic potest inferri; Qui dicit saluum conductum Imperatorum, Regum & Principum, non impedire superiorē Ecclesiasticorum potestatem, is principatum Ecclesiasticum, nefando periurio, effert supra Imperatores, Reges & Principes. Catholici faciūt prius: Ergo & posterius. In hoc syllogismo cōcedo maiorem, si omittas illam particulam, *nefando periurio*. Fato enim Ecclesiasticam iurisdictionē esse superiorem & præstantiorem iurisdictione temporali seu politica. Nego, hīc vllum esse periuriū. Et ratio est euīdens, quia illa iurisdictio est præstantior & eminentior, quæ versatur circa obiectum præstantius, & ad præstantiorem finē ordinatur: At iurisdictio Ecclesiastica versatur circa obiectum præstatiūs, & ad finem præstantiorem ordinatur: Ergo est eminentior & præstantior. Minor patet, quia iurisdictio Ecclesiastica versatur circa res sacras & spirituales; & ordinatur ad finem supernaturalem, nempe ad æternæ gloriae consecutionem. Iurisdictio autem temporalis seu politica versatur circa res ciuiles & temporales; & ordinatur ad finē naturalem, nempe ad quietem & pacē reipublicæ conseruandam. Ergo Ecclesiastica, ratione obiecti & finis, præstantior est, quā politica. Quid tu hīc absurdī vides? An tu pluris æstimas negotia politica, quam sacramenta & verbum Dei? Principum sacerulariū est, tractare causas politicas. Prælatorum Ecclesiæ est, pascere & gubernare populum Christianum Sacramentis & verbo Dei.

8. Nec ego solus sic sentio. Mecum Episcopi, Pontifices, Imperatores, alij. E multis paucos accipe. Gelasius I. Epistola 10. ad Anastasium Imperatorem; *Nostri, inquit, filii clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum; tamen præfulibus diuinarum rerum, deuotus colla submittis.* Et Greg. VII. lib. 8. Epist. 21. ad Hermanum Metensem Episcopum; *Quis dubitat*

Sacerdō

Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumque fideliū Patres & Magistros censeri? Nonne mirabilis insanie esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subiungare, & inquis obligationibus illum potestari suæ subiicere, à quo credit, non in terra solum, sed etiam in celis se posse ligari & solui? **Cyrillas Hierosolymitanus** Catech. 17. Ad hodiernum usq; te diem cernimus mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis. **Gregor. Nazianzenus** orat. 17. quæ est ad ciues Naziāzenos, & irascitatem Praefectum; *Quid igitur dicitis? an me libere loquenter aquo animo feretis?* Nam vos quoque imperio meo, lege Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præstantius & perfectius. Nisi vero aquū est, spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere. **Ioannes Chrysostomus** hom. 83. in Matth. alloquens Diaconū; Si dux quistia, si Consul ipse, si sis qui diadema ornatur, indignè adeat; cohibe & coērce; maiorem tu illo habes potestatem. **S. Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus**, in Epist. ad Smyrnenses: Episcopum oportet honorare, tñquam principem Sacerdotum; post hunc honorare oportet etiam Regem. Et in Epist. ad Philadelphienses: Omnis Clerus, & omnis Populus, milites, Principes, atque Cesares obediunt Episcopo: Episcopus verò Christo. **Hosius Episcopus** in Epistola ad Constantium Imperatorem; Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. **Ambrosius** Epist. 32. ad Valentinianū Imperatorem; Quādo audisti clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Et Epist. 33. Noli te grauare Imperator, ut putas te in ea, qnæ diuina sūt, imperiale aliquod jus habere: Noli te extollere: Sed si vis diutius imperare, esto Dei subditus. 9. Audi & Imperatores. **Basilius Imperator** in oratione, quam habuit in 8. synodo; *Quanta cunque, inquit, religione ac sapientia laicus existat, vel etiam si uniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, quis vocari non desinet. Rur-*

sus, Episcopus quantum sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbum predicatorum auferit, Pastoris vocationis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ouium constitutis? Pastores, verborum subtilitate discentiendi, & ea, quæ super nos sunt, quaerendi & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore & fide sincera hos auilire, & facies eorum reveri (cum sint ministri Dei omnipotentis) & nihil amplius, quam ea, quæ nostri ordinis sane, requirere. Theodosius & Valentinianus in Epist. ad Synodum Ephesinam: Candidianum Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus, sed ea lege & conditione, ut cum questionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incident, nihil quicquam commune habeat. Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo ascriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus immiscere. Honorius in Epist. ad Arcadium Orientis Principem; Ad illos (id est, Episcopos) diuinarum rerum interpretatio; ad nos, religionis spectat obsequium. Iustinianus in Authentica constit. 123. Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento ciuiles Magistratus, cum ea disceptatione; sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Canones, negotio finem imponunto. Refert Sozomenus lib. 1. cap. 8. Constantinum Imperatorem scriptisse, tum ad Episcopos, tum ad præsides cuiuscumque Provinciae, ad illos quidem, ut quæ vellent, imperaret; ad hos autem, ut morem gererent Episcopis, eorumque imperata studiosè facerent.

10. Vides, Bataue, Prælatos Ecclesiæ Pastores esse, Reges & Imperatores, ouium numero censi: illos cœlestium, hos terrarum rerum administratores esse; illos precipere, hos obtemperare. Et tu contrator Pontificū, Patrum & Imperatorum testimonia, contra ipsam rationem & veritatem, ex peruersa contradicendi libidine, audes hunc ordinem turbare, & sæcularem magistratum

stratum Ecclesiastico anteferre: Saltē Calvinum tuum audire debueras, qui ingenuè fatetur, quòd nos asserimus Sic enim loquitur lib. 4. inst. c. 11. §. 4. *Magistratus, si pius est, non volet se eximere communī filiorum Dei subiectione, cuius non postrema pars est; Ecclesia ex verbo Dei iudicanti se subicere; tantum abest; ut iudicium illud tollere debeat.* *Quid enim honoris centius (inquit Ambrosius) quam ut Ecclesiæ filius dicatur Imperator? Imperator enim bonus, intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* *Quare illi, qui ut magistratum ornent, Ecclesiam spoliant hac potestate, non modo falsa interpretatione corrumpunt Christi sententiam (nempe quicquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis, &c.) sed sanctos omnes Episcopos, qui tam multi à tempore Apostolorum extiterunt, non leuiter damnant, quòd honorem officiūque magistratus falso praetextu sibi usurpauerint.* Hæc Calvinus ex quo tria disce. Primo, pium magistratum sponte se subiicere iudicio & iurisdictioni Ecclesiastice. Impius ergo, qui id non facit. Secundo, Imperatorem bonum, esse membrum Ecclesiæ, non caput; filium, non patrem. Tu ergo non bonum, sed malum Imperatorem effers supra Ecclesiasticā iurisdictionem. Tertio, eos, qui magistratum sæcularem præponunt Ecclesiastico, corrumpere sententiam Christi, & damnare sanctos Episcopos, qui à tempore Apostolorum extiterunt. Hoc tu facis, Bataue.

11. Atque hæc dicta sint de priori Concilij Constantiensis decreto, quod tu frustra oppugnare ausus es. Ostendi enim non recte ex eo inferri tria illa absurdæ, quæ tu malitiosè inferebas. Circa posterius decretum habes etiam, quod reprehendas, præsertim illud, quod dixi, *Principem sæcularem, qui promittit alicui securitatem, cum fecerit quod in ipso est, non manere in aliquo obligatum.* Hoc tu interpretatis, quasi dicere. *Esse quidem in potestate*

state Principis vel Imperatoris. Euāgelicis ad Cōcilia coniūratorum Patrum abeuntibus securitatē dare, non autem datam seruare. Semper hīc erras Bataue. Nihil dixi de Euāgelicis. Nec vos Euāgelici, sed hāretici estis. Porrò verborum meorum non est ille sensus, quem tu fingis, sed longē alius. Affero in Imperatoris potestate esse, nō solum dare securitatē, sed etiam datam seruare. Cur ergo non p̄estat, inquis, ut is, cui securitatem dedit eūdi ad Concilium, securus inde exeat? Hussium proculdubio intelligis, qui accepta à Sigismūdo Imperatore securitate eundi ad Concilium Constantiense, non exiuit securus, sed exustus est. Hic scopulus est, in quem semper impingitis. Hīc tu & alius ē Bataua Caluinianus, Daniel Plancius, multa otiosē disputatis. Et quidem Plancio facilē ignoscam, quia cum Grammaticus sit, suo iure potuit Grammaticē & pueriliter, conquisitū hinc inde a iquot phrasibus, litigare. At te, qui Iureconsultus haberi vis, non melius ea, quae communi iure sancta sunt, intelligere & interpretari, valde euidem miror. Audi ergo, quid Iureconsulti dicant. Illorum regula hāc est: *Quando datur alicui saluus conductus, vel securitas iure communi, solum datur contra vim iniuriam, non autem contra iuris executionem.* Vnde in omni saluo condūetu seu securitate, quae iure commundi data est, exprimi vel intelligi debet hāc clausula; *Salua semper iustitia.* Et quidem Saxones ex Carolina institutione eam exprimunt sub hac formula: *Damus tibi fidem publicam, causam dicendi in iudicio, cōtra vim, non tamen contra iuris executionem.* Idem fecerunt Patres Concilij Constantiensis sess. 6. cūm aiunt: *Ad quod à violentia iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, presentiū tenore offerimus.* Plura de hac re videri posse sunt apud Mynsingerum in obseruationibus iudicij Imperialis Cameræ, obseruatione 82. Euerardum Spēchan

chan centuria 1. quæstionum iuris, quæst. 1. §. 18. & alios, quibus consentit clarissimus & cōsultissimus vir Dominus Matthæus Boys, utriusque Iuris Doctor & Professor Coloniensis, quem etiam consului.

12. Ex hac regula, quam negare non potes, facile jam percipis, quid si Principem sacerularem, qui dat alicui saluum conductum seu securitatem, non manere amplius obligatū, si facit, quod in se est. Tantudem enim est, ac si dicas, non manere obligatum, si præstat, quod promisit. Quid autem promisit? Nihil aliud, quam securitatem contra vim iniustum, salua semper iustitia & iuris executione. Si ergo efficit, ut is, cui securitatem dedit, nō patiatur aliquā vim iniustum, omnino censetur seruare securitatem à se datam. Et hoc est facere, quod in se est. Nūc sic applica: Sigismundus Imperator dedit Hussio securitatem eundi Constantiam & inde redeundi, contra vim iniustum, salua semper iustitia. Hanc autē præstitit. Nihil enim iniuste passus est Hus-sius. Si quid passus est, iuste & legitimè passus est. Hoc infra q. 19. clariū tibi demonstrabo. Nam ibi iterū de Hussio agendum erit. Hoc loco satis est, quod aliquādo cum tuo Plancio intelligas, quid sit, Imperatorem seu Principem sacerularem, dato saluo conductu, facere quod in se est. Est enim, defendere contra vim iniustā.

13. Ex dictis, concludo, te in Concilio Constantiensī, nec disertè potuisse reperire hanc sententiam: *Hæreticis non est seruanda fides: nec ullum apicem, ex quo illam vel obscurè colligeres.* Hoc solū te egisse, ut decreta Conciliij, peruersa & odiosa interpretatione, posses quocunque modo traducere. Ego potius contrarium tibi ostendam; nempe Patres Conciliij sensisse, omnino seruandam esse hæreticis fidem. Cū enim definiant, Principem sacerularem, qui promittit hæretico saluum conductum seu publicam securitatem, & facit quod

in se est, non manere in aliquo obligatum; planè insinuant, talem Principem seruasse fidem, quam promiserat, & boni Princ. ipis officio functum esse. Quod si putassent, Hæretico non esse seruandam fidem, non fuisset opus eò confugere: sed rotundè dixissent, Principem sacerdotalem non debere esse sollicitum de seruanda hæreticis fide; nec vilain obligationem oriri ex fide illis promissa. Hoc autem non dixerunt; sed potius Principem, qui obligatus est ad seruandam fidem hæreticis promissam, satisfecisse suæ obligationi, si fecit, quod in se fuit, id est, si præstitit securitatem contraria vim iniustum.

A N N O T A T I O .

1. Multas pagellas consumis in Apologia tua circa hanc quæstionem, & tamen ipsum punctum, de quo agitur, planè dissimulas. Agitur de Concilio Constantiensi, an in eo definitum sit, Hæreticis non esse seruandam fidem? Ego ostendi, nō esse hoc definitū. Tu quia contrarium probare non potes, nullū de hac re verbū facis. Quid ergo? Primum, agrè fers, quòd dixerim Ecclesiasticā iurisdictionem esse superiorē iurisdictione ciuili. 2. Excurris in laudē Regis Angliæ, quod scripsiter moni oriā Praefationē ad Reges & Principes. 3. Exagitas Bozium & Bellarminū, quod defendant autoritatē Pontificis. 4. In ipsum Pontificem multa cōtumeliosè effundis. Nimirū hi sunt loci cōmunes, qui vobis seruiunt in necessitate, quando aliud nō habetis.
2. Et quidem de Pontifice, Bellarmino & Bozio, nihil dicam. Quorsum enim? Quid sentiam de monitoria Praefatione Regis Angliæ, iam pridem intellexisti. Potrò, quòd iurisdictionem Ecclesiasticam ciuili superiorē esse dixerim, non diffiteor. Nec dixi solū, sed etiam probavi. Argumenta, quæ tu in contrarium adfers,

fers, planè futilia sunt. Primum, sic obiicis; Nusquam in Scriptura legitur, quod Prælati Ecclesiæ in omnibus sint supra Reges & Principes. Respondeo. Necego dixi, in omnibus. Hanc particulam tu affingis. Alioqui, quod in iurisdictione Ecclesiastica sint supra Reges & Principes, satis fusè ostendi in Libello contra Primatum Regis Angliæ Eum consue, si lubet. Secundò obiicis illud Rom. 13.1. *Omnis ari. in potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et illud ex Euangelio: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Respondeo. Hæc testimonia in eodem libello clare à me explicata sunt. Quid necesse est repetere, cum nihil noui adferas?

3. Tertiò sic obiicis: Cum D. Paulus Ecclesiæ primitivæ formam describit, non B. Petrum primo loco, tanquam caput nominat, sed dicit Ecclesiæ veras esse mēbra Christi, nullum autem eorum esse caput, sed solum Christum. Quare etiā non unum Apostolum tanquā Vicarium Christi nominat, sed inter mēbra Christi, primum collocat omnes Apostolos; deinde Prophetas; tertio Doctores, &c. Respondeo. Ex tuis verbis te conuincam, Bataue. Dicis, inter membra Christi, primo loco collocari omnes Apostolos, secundò Prophetas, tertio Doctores. Si ita est, necessariò sequitur, Reges esse infra Apostolos, Prophetas & Doctores. Non enim sunt caput Ecclesiæ, ut concedis, sed membra. At inter membra, primum locum tenent Apostoli: Ergo sunt supra Reges: Ergo iurisdictione ecclesiastica est supra ciuilem. Quid clariùs?

4. Quartò obiicis; D. Paulus vocat Christum magnum oīum Pastore. Et mox addis; Tu nunc, Beccane, ex sacris literis Batauū doce, vel Christū, vel Apostolos aliud corporis mystici Christi caput ministeriale & visibile constituisse, & eris ipsi magnus Apollo. Respondeo. Si solus Christus est caput Ecclesiæ, & nullus alias est caput ministeriale & visibile; quomodo verum est, quod toties repetis,

Reges esse Vicarios Christi in Ecclesia? Nihil enim aliud est, esse Vicarium Christi in Ecclesia, quam esse caput ministeriale in Ecclesia. Tu igitur doce me Bataue, vel Christum vel Apostolos constituisse Vicarium Christi in Ecclesia, & ego docebo te, constituisse caput ministeriale in Ecclesia.

5. Postremò obiicis: Fidem Christianam haud dubiè nosti circa inuisibilia versari: aliud enim est videre, aliud credere. At cum doceamur credere sanctam Ecclesiam Catholicam, statuimus, eam esse inuisibilem. Inuisibili autem Ecclesia duo capita affingere, mysticum & visibile, monstrum esset, nec ullo modo aut proportione constaret. Hoc vis dicere; Corpus inuisibile non potest habere caput visibile, alioqui non esset proportio. At Ecclesia est corpus inuisibile. Ergo non habet caput visibile. Minorem sic probas; Quod fide credimus, hoc non est visibile. Ecclesiam fide credimus, ergo non est visibilis.

6. Respondeo. Non intelligis, quæ dicas. Quæro ex te, an Christus in hac vita existens, non fuerit visibilis? Sine dubio. An tunc non fuerit caput Ecclesiæ? Nihil certius. An Ecclesia fuerit tunc monstrosa? Absit. Quid ergo virges, caput Ecclesiæ debere esse inuisibile? Iterum quæro, An & tu visibilis sis? An membrum Ecclesiæ? An Ecclesia, cuius membrum es, visibilis sit, an inuisibilis? Quid hæres? Dic aliquid.

7. Audi Bataue. Res sic habet. Non repugnat, rem aliquam & visibilem esse, & tamen cadere sub fidem; sed diuerso respectu. Huius rei varia sunt exempla. Apostoli in Christo videbant humanitatem; credebant diuinitatem. In Baptismo, videmus externam aquam & ablutionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata remittendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, scripturam & codicem ipsum; credimus, quod in ea legitur, Verbum Dei esse. Idem ergo iudicium

iudicium est de Ecclesia. Est aliquid in ea, quod vide-mus; est aliquid, quod credimus. Videmus homines, ex quibus conflatut Ecclesia: credimus, veram doctrinam apud eos tradi & conseruari. Eodem modo, videmus Christum, qui est caput Ecclesiaz, & Pontificem, qui est Vicarius Christi: credimus, Christum habere supremam iurisdictionem in Ecclesia, & Pontificem habere vicariam seu delegatam.

Q V A E S T I O X V I .

An in Concilio Lateranensi definitum sit, Hereticis non esse servandam fidem?

I. **A** Is in duobus Conciliis Lateranensibus id definitum esse: quorū alterum sub Gregorio VII. alterum sub Innocentio III. celebratum sit. Utrumque autem fuisse generale, seu ecumenicum. Ex priori producis hæc verba Gregorij VII. *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fitilitate aut Sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatē obseruent, omnibus modis prohibemus quoisque ipsi ad satisfactionem veniant.* Addis, hūc Gregoriū antea dictū fuisse Hildebrandū, & de eo sic scribere Abbatem Ursbergensem: *Certum est, quod Hildebrandus non fuit electus à Deo, quod fraude & sordibus semetipsum intrusus, ordinē Ecclesiasticū exerit, Imperium Christianum turbanit, Regis pacifici morte machinatus est, periuros defendit, lites, bella & dissidia fecit, discordiarum semina sparsit, scandalū suscitauit, diuertia fecit, denique omnia, quæ videbantur inter eos, qui sancte vinebant, ritè ordinata, cōmonuit & exerit.* Non itaque mirum est, si à tali spiritu, huiusmodi impia decreta, quibus orbis Christiani tranquillitas perturbabatur, Italia & Germania

flamnis bellorum ciuilium accendeabantur, subditi, ut contra Reges & Principes suos rebellarent, à sacramento fidelitatis & obedientia ipsis debita soluerentur, &c.

2. Ex posteriori Concilio Lateranensi citas hæc verba Innocentij III. Si vero Dominus temporalis, requisitus & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare negligenter ab heretica fœditate, excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hereticis absque ulla contradictione possideant.

3. Expendamus singula. Ac primum, ut vera à falsis separentur, notanda, sunt tria mendacia, quæ hic admisces. Primum est, quod aīs utrumque Concilium fuisse generale: solum posterius generale fuit, non prius. Alterum, quod addis Abbatem Vrsbergensem supradicta verba scripsisse de Hildebrando, qui postea Gregorius VII. fuit appellatus Audi Bataue. Abbas in suo Chronico, circa annum Domini 1080. refert quidem similia verba, non tamen sua, sed quorumdam æmulatorum, qui aduersabantur Gregorio. Et postea subdit verba Anselmi Lucensis Episcopi, quibus defendit & laudatur Gregorius, in hunc modum; Ut ergo de B. Gregorio Fratre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus, factus est Episcopus, de Dei & Christie iudicio, de Clericorum penè omnium, & ut verius dicam, omnino omnium testimonio de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum locus Petri & gradus sacerdotalis cathedra vacaret, &c. His recitatis, subiuxit Abbas Vrsbergensis; Hac prioris sententia valde contraria scripsit Anselmus Episcopus, vir litteris aperte eruditus, ingenio acutissimus, facundia precipuus & quod omnibus maius est in Deitimore & sancta consuertatione

nominatissimus, adeò ut tam in vita, quam post mortem refe-
ratur miraculis clarus. Vides, quid scribat Abbas de An-
selmo & quid Anselmus de Gregorio. Nec solus Ansel-
mus, sed alij plerique Gregoriū insigniter cōmandant.
Platina de eo sic habet; *Gregorius septimus, Hildebrandus*
antea vocatus, natione Hetruscus, Patria Soanēsis, Patre Bo-
nicio, omniū honorū consensu Pōtifex creatur, Ipsius autho-
ritate electionis verba ita annotata sunt. Nos sancta Roma-
*na Ecclesia Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Pres-
byteri, præsētibus Episcopis, Abbatibus, multisque tū Eccle-
siastici; tum laici ordinis, eligimus hodie X. Calendas Maij, in*
Basilica S. Petri ad vincula, anno salutis 1072, in verum
Christi Vicariū, Hildebrandū Archidiaconū, virum multæ
*doctrinae, magna pietatis, prudētiae, iustitiae, constatiae, religio-
nis, modestiū, sobriū, continentē. Lābertus Schaffnaburgen-
sis eundem Gregorium vocat virum sacris litteris erudi-
tissimum, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pōti-
ficium, virtutum genere celeberrimum. Marianus Scō:us ait
fuisse virum venerabilem, & ipsius decreta recēset ac clau-
dat. Otto Frisingensis Episcopus de eo sic scribit; *For-*
mā gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac
fortis per omnia athleta, se pro muro Domini Israēl ponere
*non timuit. Cur hēc omnia, Bataue, dissimulas? Cur reli-
ctis probatissimis testibus, qui Gregorium commēdant,*
quorūdam improborum hominum maledictis fidem
*habes? Cur falso Abbatē Vrsbergēsem contra me citas?**

4. Superest tertium mendacium. Ais Gregorium in
suo decreto expressè loqui de hereticis. Nō ita est. Expres-
sè loquitur de *Excommunicatis*. Qui autem erant illi ex-
communicati? Pleriq; Catholicī; tametsi mali & con-
tumaces. Sic enim legimus in Concilio Romano 4. sub
Gregorio; *Statimūs, ut nulla unquā persona alicuius potē-
tie, siue Rex, aut Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Comes,
Marchio, siue miles, aliquā præsumptione, temerariōne ausu,*

fraude doloue, seu aliqua perturbatione legatis nostris obſiſte-
 re & cōtraire, ne iuſtitiam & finē componant perīet. Qui
 eunque autē temerario ausu, huius noſtræ conſtitutionis vi-
 lator extiterit, legatisque noſtris ad hāc pacem cōponendam
 euntribus fraudē opponere tētauerit, vinculo eum anathema-
 tis alligamus. Et paulo post; Rainerio Vgizzoni filio, indu-
 cias triū hebdomadarū dām⁹, Quod si in ſpacio iſto coram
 præſētia noſtrā iuſtitian facere noluerit, eo quod frarem
 ſuum manu ſua interemit, & multa periuria, ut ſceleſtus,
 incurrere non abhorruit; anathemate eum percūtiſſim⁹. Et
 filium comitis N. datis induciis uſque in palmas, ſimiſ ex-
 communicatione innodamus eo quod Lucensem Ecclesiā
 quietē manere ſua diripiendo, minimē permittit. Et iterum?
 Excommunicamus omnes Normannos, qui inuadere ter-
 ram S. Petri laborant, & eos qui Beneuentum obſident, &
 qui tentant Vrbem Romanam confundere. Hic aperit
 conſtat, excommunicari à Gregorio Catholicos Re-
 ges, Episcopos, Comites, Marchiones, Milites, & alios,
 qui vel obſiſtunt Legatis Pontificiis, vel homicidia &
 periuria committunt, vel Ecclesiārum bona diripiunt,
 vel ciuitates Pontifici ſubiectas, vi obſident. De his
 ergo & ſimilibus excommunicatis, paulo post addi-
 tur; Nos sanctorum predecessorum noſtrorum ſtatuta
 tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacra-
 mento conſtricti ſunt, Apostolica authoritate à ſacramento
 absoluimus.

5. Hæc de mendaciis. Nunc ad rem. Quæſtio noſtrā
 eſt, an Gregorius VII. definiat, Hæreticis non eſſe ſet-
 uandam fidem? Tu aſfirmas; & probas ex verbis ipſius
 ſupra citatis. Ego nego, & probo ex iſdem verbis, &
 eorum ſenſu ac circumſtantiis. Non enim loquitur
 Gregor. präcise de hæreticis, ſed de Excommunicatis, &
 potiſſimum, vt iam oſtendi, de Catholicis excommu-
 nicatis. Nec generatiū definit, non eſſe eis ſeruan-
 dam

dam fidem in publicis vel priuatis cōtractibus, de quo nostra quæstio est, sed solum, non esse præstandam illis obedientiam à subditis. Quare ? quia priuauerat eos vnu suæ iurisdictionis. Id autem recte fieri posse sic ostendo; Quicunque legitimè priuatur iurisdictione sua, vel vnu iurisdictionis, ei nulla debetur obedientia à subditis: sed qui propter scelera & flagitia sua excommunicantur, possunt legitimè priuari sua iurisdictione, vel saltem vnu iurisdictionis: Ergo tunc nulla eis debetur à subditis obedientia. Quid hic culpæ est? aut quomodo tu id trahis ad hæreticos, quod æquè intelligi potest ac debet de Catholicis? Duo hic ex te queram. Vnum est, an non Caluinistæ in Belgio, quoties vi vel astu occupant Catholicam ciuitatem, soliti sint Prætores & Consules Catholicos, prætextu Romanæ religionis, priuare sua iurisdictione, & Caluinistas substituere? Non potes negare. An hoc modo non eximant subditos ab obedientia priorum Consulium & Prætorum, qui depositi sunt? Omnidò. An hinc licebit mihi concludere, Caluinistas in Belgio definite, non esse seruandam fidem Catholicis? id negabis. Cur ergo tibi liceat ex facto Pontificum inferre similem conclusionem? Alterum est, An non Imperator legitimè de causa posset aliquem Principem imperiali banno subiucere, vel quod idem est, proscribere? Potest utique. An subditi illius principis eximantur ab obedientia, quamdiu durat proscriptio? Certum est. An hinc liceat inferre, Imperatorem sancire, non esse Principibus seruandam fidem? Tu videris.

6. Ut hoc clarius intelligas, distinguendæ sunt haec propositiones. Una, Hæreticis ex eo præcise, quia hæretici sunt, non est seruanda fides in ullo contractu, aut pactione. Altera, tam Catholici, quam Hæretici in pœnam alicuius magni delicti, possunt prescribi,

scribi, & priuati iurisdictione, vel vsu iurisdictionis circa subditos. Prior falsa est; posterior vera. Nostra quæstio est de priori; tu ad posteriorem relaberis. Itaque nihil efficis. Fataemur, tam Catholicos, quam hæreticos, propter enormia flagitia priuati posse temporali Dominio & iurisdictione, vel saltem vsu illius; & consequenter subditos eorum legitime liberari ab obedientia & fidelitate illis præstanta. Negamus. Hæreticis, qua hæretici sunt, in nullo contractu aut pactione fidem seruandam esse. Et tu Bataue, velis nolis fati nobiscum id debes. An non scripsisti in priori tuo libello, Philippum Regem Hispaniæ propter duo notoria crimina (quæ tu falso illi impingis) suo regno priuandum esse, & consequenter subditos ab obedientia & fidelitate illi præstanta eximioportere? Non potes inficiari. An ideo cœles. Catholicis Regibus non esse seruandam fidem in vlo contractu aut pactione? Attende, quid dicas.

7. Hæc sufficient de Concilio Romano (quod tu Lateranense vocas) sub Gregorio VII. celebrato. Ex quo, ut vides, nihil ad rem attulisti, præter tua mendacia. Nam in eo non agitur præcisè de hæreticis, qua hæretici sunt; sed de excommunicatis, siue illi hæretici, siue Catholici sint. Nec generatim de fide seruanda in quouis contractu vel pactione; sed speciatim de fidelitate, seu obedientia subditorum erga suos Principes & Magistratus. Quod vero adfers ex Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, eiusdem momenti est. Nam Innocentius in verbis à te citatis non loquitur de Hæreticis, de quibus inter nos controuersia est; sed de Principibus & prælatis Catholicis, quibus mandat sub pena excommunicationis, vt purgent suas prouincias ab hæresi; & si id facere negligat, minatur illis priuationem vsus Dominij ac iurisdictionis in subditos,

Hoc

Hoc patet ex verbis præcedētibus, quæ tu omisiſti, forte, ut lectorē deciperes. Ea sic habent; Moneantur autem & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticā compellantur ſeculares potefates, quibuscurque fungantur officiis, ut ſicut reputari cupiunt & haberi fideles; ita pro defenſione fidei præſtent publicē iuramentum quod de terris ſuā iuridiſtioni ſubieclis, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro virib⁹ extirminare ſtudebunt, ita quodammodo, quandocumque quis fuerit in potefatorem ſuā ſpiritualem, ſive temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulo iuramento firmare. Quis non videt Innocentium loqui de magistratu fideli ſeu Catholico, tam Ecclesiastico, quam temporali? Et quidem de temporali, immediate ſubiungit verba à te ſuperius citata; Si vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Ecclesia, ſuam terram purgare negligerer, &c.

8. Concludo, falſo te ſcripſiſſe, in tribus Conciliis, Tridentino, Constantiensi & Lateranensi, expreſſe decretum eſſe, quod hæreticis non ſit fides ferenda. Nusquam id, nō dico, expreſſe; ſed nee implicite innuenire potuiſti. Ego vero ex Tridentino expreſſe; ex Constantiensi, implicite, cōtrarium oſtendi. Lateranē ſe nihil habet de hæreticis, qua hæretici ſunt; ſed de Excommunicatis, ſive illi Catholici, ſive hæretici ſint. Hæc omnia ex dictis patent. Nunc relictis Conciliis, tranſeamuſ ad decreta Pontificum, quæ à te citantur.

ANNOTATIO.

- Multa garris in hanc quæſtionem, quæ vel menda-
cia, vel cōuitia, vel inania verba ſunt, vel certè ad rem
non faciunt. Percurrat obiter. Primum ergo ſic inci-
pis; Quod Batauum falſitatis in allegatione Abbatis Vrſ-
bergensis accusas, vitiliſt⁹ eſt; & in re retorqueri potest, qui
vni, quam pluribus reſtibus, plius fidei haber⁹ velis. Iudicet

Lector

Lector ex iis, quæ dicta sunt, an nō meritò falsitatis te accusauerim: Et nunc iterum accuso. Dicis, me plus fidei haberi vel vni, quam pluribus. Falsum est. Non vnum ego, sed plures citaui authores, qui commendant Gregorium VII. quem tu malitiosè reprehendis. Citaui Anselmum, Platinam, Lambertum Schaffnaburgensem, Marianum Scotum, Ottonem Frisingensem. Et eorum verba fideliter transcripsi, quod negare non potes.

2. Pergis; Et tu Becane, Acta Concilij Moguntini, cuius alma Vrbis uberibus laetaris, arrodere potius, quam theri cupis, dum eorum fidem, ut impium illum Pontificem vindices, in dubium vocas. O ingratum ventrem. Nescio, vigilans, an somnians hæc scripseris. Nam ego sanè, in tota hac quæstione, nullum verbum feci de ullo Consilio Moguntino: multò minus arrosi. Nec tam ingratus sum in hanc Almam, Catholicam & Archiepiscopalem urbem, Moguntiam, in qua multos iam annos viuo, ut ipsius honori vel existimationi quicquam detractum velim. Illud porrò: O ingratum ventrem, dabo operam, ut in me locum non habeat. Tu interim de tuo ventre sollicitus sis.

3. Iterum pergis; Nugas fallaciis cumulas, Becane, cum in canone, Nos excommunicamus, negas expressè hereticos excommunicari. Manes tui similis, Bataue, Nihil dixi de canone, Nos excommunicamus. Nec tu facile repetas illum in iure canonico. Hoc dixi, Gregorium VII. in suo decreto, quod incipit, Nos sanctorum, non loqui expressè de hereticis, ut tu falso affirmabas, sed de excommunicatis. Et hoc puto me satis confirmasse. Nec tu contrarium probas.

4. Addis; Sed audi, queso, an non omnes, qui Pontifici Romano non obediunt, hereticos esse dicatis, licet de cetero sint Pontificij? Audio, Bataue; sed nihil præter mendacium.

Eos

Eos dicimus hæreticos, qui aliquid pertinaciter defendunt contra veram fidem, qualis tu es. Eos verò, qui Pontifici nō obediunt, si de cætero Pontificij sint, non hæreticos, sed Schismaticos appellamus. Vide D.Tho. in 2.2.q.39. & alios Theologos, qui distingunt inter hæresin & schisma: Hæresin dicunt esse contra fidem; schisma contra charitatem. ~~Hæresin~~ Ecce tu non intelligis.

5. Imples adhuc aliquot paginas, in quibus nihil occurrit notatione dignum, præter mendacia & calumnias: Et tandem ita cōcludis, Redi itaque *Impostor in abyssum, unde non ita pridem exiliisti.* Nimirum, sic decet nouos Euangelicos loqui. Porrò, ex mendaciis vnum est, quod dissimulare non possum. Ais Vincentiū in Speculo Historiali. lib. 15.c. 84. accusare Gregorium VII. de hæresi, rebellione & perjurio. At in toto illo libro, nullā eius mentionem facit. Persequitur ibi historiam, quæ contigit sub Imperatoribus, Constantino, Constante & Valente. Greg. VII. multis s̄eculis post vixit. Facit quidem mentionem illius lib. 26.c. 44. 45. & 51. sed nihil dicit de hæresi, rebellione, vel perjurio. Ait illum damnasse Simoniacos. An hoc malum est?

Q V A E S T I O XVII.

*An Pontifices decernant, non esse fidem
Hæreticis seruandam?*

1. **E**X antiquioribus duos adducis, qui id decernat, Enempe Urbanum II. & Gregorium IX. Ex recentioribus tres, Sixtum V. Gregorium XIV. & Paulum V. qui nunc præst Romanæ Ecclesiæ. De singulis dicam ordine, ac seorsim. Igitur ex Urbano II. in Epistola ad Episcopum Vapicensem transscribis hæc verba: *Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quādū excommunicatus est, seruant,*

seruiat, prohibero. Qui si sacramenta prætenderint, moneantur oportere Deo magis seruire, quæcum hominibus. Fidelitatem enim, quam Christi ino Principi iurarunt, Deo eiusque Sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohiben-tur auctoritate persoluere. Addis hunc Vrbanum II. in Gregorij VII. sacrilegia & impietates successisse, ideoque à Bennone Cardinali apellatum esse Turbanum, schis-maticum, hereticum, Aliatum, & hypocritam. Addis de-inde, ab Hugone Comite, cuius mentio facta est, Euan-gelicos in Gallia, forte *Hugonotas* appellari.

2. Respondebo tibi ad singula. Ac primò, decretum Vrbani nihil ad rem facit. Nam Hugo Comes, qui vi illius decreti priuatus est subiectione & fidelitate militum, non fuit hereticus, sed Catholicus. Nostra autem quæstio de hereticis est. Deinde nihil à te reprehendi potest in illo decreto. Hoc ostēdam in simili exemplo. Si Mauritius Comes, qui nunc pro Fœderatis ordinibus Hollandæ Dux belli est, apertam defectionem moliretur, aut ordinum iudicio, iniustum bellum susciperet: an non Fœderati ordines legitimè putarent se facturos, si illum proscriberent, & iuratos illi milites, sacramento fidelitatis, quo illi obstricti sunt, absoluerebant? Omnidè, inquies. At similis fuit causa Hugonis Comitis. Nam iudicio Vrbani Papæ, iniquum bellum moliebatur contra sedem Apostolicam; ideoque simili modo puniri potuit. Res clara est. Omnes Reges & Imperatores, quicunque talem belli Ducem nocti sunt, hac poena dignum esse censem. Et hic valet illud pro militibus; *Iuramentum non est vinculum iniquitatis.*

3. Quod addis Vrbanum II. in Gregorij VII. sacri-legia & impietates successisse, ideoque à Bennone apellatum esse Turbanum, schismaticum, hereticum; non eget longa responsione. Ostendi supra, Gregorium non fuisse sacrilegum & impium; sed doctum, pium; pruden-

prudentem, iustum, constantem, religiosum, modestum, sobrium, continentem. Si in has virtutes successit Vrbanus, bene factum est. Successisse autem, testantur probati authores. Platina de eo sic scribit, *Vrbanus II. Otto antea vocatus, post mortem Victoris, Pontifex creatur, ac meritò quidē. Doctrina enim & sanctitate vita, quo- uis grandi magistratu dignus est.* Plura vide apud Baronium tomo xi. Annalium Ecclesiasticorum. Porro Benno ille, quem tu citas contra Vrbanum, homo fuit mendacissimus, ut clare & copiosè ostendit idem Baronius tomo citato. Et mirum est, vos Caluinistas, quando testibus agendum est, semper suffragia petere ab iis, qui propter mentiendi libidinem in omnibus historiis infames sunt. Talis est tuus Benno.

4. Quod dein subdis, fortè ab Hugone illo Comite Euagelicos in Gallia dictos esse *Hugonias*, bene est, quod dicas, fortè. Nam Florimundus Remondus in libro de Antichristo, cap. 3. longè aliam illius nominis originem esse demonstrat. Ait milites Caluinianos, qui in cōiuratione Ambianensi, in mortem Regis totiusque familiæ Regiæ consipraverant, habuisse hanc tesseram, ut obuios quosque alloquerentur his verbis, *Allez vous à Nantes?* Et, si rogati respoderent, *Huc nos, intelligerentur esse concij & socij conspirationis.* Hinc factum esse, ut ex illa voce, *Huc nos,* frequenter repetita & usurpata, socij omnes *Hugonotæ* nuncuparentur. Sed esto sane; dicti fuerint *Hugonotæ* ab Hugone Comite. Non magna laus est. Nam Hugo iste fuit homo improbus & rebellis, qui iniusto bello sedem Apostolicā, cuius tamen fidem & religionē profitebatur, opprimebat. An tu illis similes vis esse *Hugonotas*?

D E G R E G O R I O I X.

Ex Gregorio IX. in Epistola ad Archiepiscopum Medio

Mediolanensem adducis hæc verba: *Absolutos se nomen-
tint à debito fidelitatis & totius obsequij, quicunque lapsus
manifestè in hæresin, aliquo pacto, quacunque firmitate val-
dato, tenebantur obstricti.* Nunc videris aliquid ad rem di-
cere. Nam quæ hactenus à te allata sunt, nullius mo-
menti fuisse, iam ostensum est. Videamus ergo de hoc
Gregorij testimonio. Dic > breuiter, nihil obesse nostræ
causæ. Hoc sic ostendo: *Nostra quæstio est, an hæreticis,
ex eo præcisè, quia hæretici sunt, non debeat seruari
fides? Nos id negamus. Et ratio est, quia nec ex natura
rei, nec iure diuino, alterū alteri cōnexum est.* Si enim
natura hæresis id exigeret, vt ei, qui hæresi infectus es-
set, non seruaretur fides; iam contra ius naturæ pecca-
rent, quicunque seruarent hæreticis fidem, etiam in re-
bus minimis. Hoc autem falsum est. Non ergo ex na-
tura rei connexa sunt hæc duo, *Hæreticum esse, &c., non
seruare illi fidem.* Sed neque iure diuino connexa sunt.
Nusquam enim in scriptura legimus; *Hæreticis non esse
seruandam fidem.* Imò contrarium ex ea ostendi in Dis-
putat. de fide hæreticis seruanda, cap. 7. §. 10. & seqq.
6. Quomodo ergo Gregorius dicit: *Hæreticis non
deberi fidelitatem & obedientiam à subditis?* Dicam.
Gregorius nouam pœnam constituit in hæreticos sui
temporis, quæ nec natura rei, nec iure diuino consti-
tuta & determinata erat. Hæc autem pœna fuit legi-
timè constituta pro illo tempore. Ostendo in simili
exemplu. Sicut hæresis peccatum est, ita furtum, adul-
terium, homicidium, periurium & blasphemia, pec-
cata sunt. Nunc quæro, An homicidio, ex natura rei,
vel iure diuino, hæc pœna annexa sit, vt homicidis, ex
eo præcisè, quia homicidæ sunt, nō præstetur obedien-
tia à subditis? Minimè. An Rex non posset hanc pœ-
nam statuere in homicidas? Omnipotenter. Faciamus ergo
Regem in suo regno sancire hanc legem: *Absolutos se
noue*

nouerint à debito fidelitatis & totius obsequij, quicunque lapsis manifestè in homicidium, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur obstricti. An hæc lex erit iniqua? Nullo modo. An ex hac lege licebit inferre, homicidis, ex eo præcisè, quia homicidæ sunt, non esse seruandam fidem? Nequaquam. Ergo nec lex Pontificis iniqua est. Nec ex ea licet inferre, Hæreticis, ex eo præcisè, quia hæretici sunt, non esse seruandam fidem. Credo, Bataue, te hoc satis percipere. Addam tamen aliud exemplum, ut res fiat clarius. Fœderari in Hollandia statuant hanc legem: *Si quis Capitanus tempore excubiarum repertus fuerit ebrius, nouerint omnes milites, se absolutos esse ab omni fidelitate, deinceps illi praestanda.* Quid ais, iusta, an iniusta lex est? Iusta, inquis. Rectè. An ergo mihi liceat concludere, Fœderatos docere, nulli ebrio, ex eo præcisè, quia ebrius est, seruandam esse fidem? Negabis. Et hoc rectè. Quod ergo in Fœderatis laudabile esse fateris, cur reprehendis in Pontificibus? Et si ex lege Fœderatorum non sequitur ullum absurdum; cur ex simili lege Pontificum absurdum colligis?

7. Sed accipe aliud exemplum à Iureconsultis. Imperator *L. Nullus*, *C. de summa Trinitate & fide Catholica*, sancit hanc legem: *Nullus hæreticis ministeriorum sit locus.* Et *l. quicunque, C. de hæreticis*: *Vltimo etiam suppicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint.* Hic etiam quæro, sintne iustæ hæc leges Imperatorum, necne? Omnia iustæ sunt, & laudatæ ab Augustino Epist. 48. ad Vincentium, & Epist. 50. ad Bonifacium. An inde licet inferre, Imperatores decernere, Hæreticis, ex eo præcisè, quia hæretici sunt, nec locum, nec vitam concedi posse? Absit. Quid ergo: Imperatores statuisse certam pœnam in hæreticos sui temporis, quæ ex natura rei, nec iure diuino definita & statuta erat.

8. Hæc sufficerent tibi abundè. Sed addo, leges pœnae
Opusc. Tom. III.

nales, siue sint Imperatoriæ, siue Ecclesiasticæ, non obligare ad executionem pœnæ, nisi post sententiam iudicis, ut docet I. Thomas in 2.2. quæst. 62. artic. 3. ad 3. Et colligitur ex cap. cum secundum leges, de Hæreticis in 6. Hinc infero, etiamsi Gregorius decernat, *absolutos esse à debito fidelitatis, qui aliquo pacto obstricti sunt manifestis hæreticis*; non tamen vi illius decreti, re ipsa hæreticos priuari vnu suæ iurisdictiōnis, sed solum post latam à iudice sententiam: Et quamdu sententia lata non est, manere in possessione dominij & iurisdictionis. Nunc autem à tempore Concilij Constantiensis non fertur sententia, nisi in paucissimos, & quidem rarissimè. Vide, quæ in simili casu dixi de pœna amissionis bonorum temporalium, in disput. de fide hæreticis seruanda, c. 8. 9. Nescio, quid amplius à me requiras: Nisi fortè sumi velis exemplum à te ipso. Ergo accipe. Tu scripsisti, Regem Philippum, propter notoriam hæresin, priuandum esse suo regno. Sanxisti ergo hanc legem: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis & totius obsequij, quicunque Philippo Regi in hæresin lapso, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur obstricti.* Hæc tua lex, si verba, si sensum spectes, planè similis est legi, quam Gregorius Pontifex sanciuit. Dic ergo sodes, iustum an iniustum sanciusti? Hoc posterius negabis. Iustum igitur esse vis. An ergo Bataeus definiuit, *Nulli Regi hæretico, ex eo præcisè, quia hæreticus est, seruandam esse fidem?* Hoc quidem semel aut iterum tibi proposui; sed repetendum saepè est, ut tuo exemplo discas, quomodo de aliis iudicandum tibi sit. Si te excusatum vis, cur alios in simili causa accusas? Si agnoscis crimen, prius in te corrige; ac deinde curam in a iōs transfer.

De Sexto V. & Gregorio XIV.

10. Ais, Sextum V. de Henrico Rege Nauarræ, & Prin

Principe Condeo, propter Euangeliū professionem excommunicatis, tanquam hæreticis, sic rescripsisse: *Proceres, feudatarios, vasallos, & populos regnorum, ducatum, principatum, & aliorum Dominiorum, etiam alium superiorem non recognoscentium, ac ceteros omnes, qui illis quomodo cunque iurauerint, ab omni prorsus fidelitatis & obsequij debito absolutos esse, &c.*

ii. Quid hinc infers? An huic tuam cantilenam, *Ergo hæreticis, ex eo præcise, quia hæretici sunt, non est seruadat fides?* Iam saepe dixi, frustra id esse. Sixtus duos tantum Principes, & eos quidē nominatim; affecit hac pœna. An tu illam omnibus communem esse vis? Si Fœderati Hollandiæ, nominatim duos Prætores Petrum & Cornelium, propter crimen defectionis priuarent vslj iurisdictionis; an tu hanc pœnā in omnes extēderes, quotquot sunt aut erunt eiusdē criminis socij? *Pœnae restrin-gendæ, fauores ampliandi sunt: inquit lure consulti.*

12. Quod addis, duos illos Principes propter Euangeliū professionem excōmunicatos esse, falsum est. Propter Caluinismum excommunicati sunt. Caluinistæ nō sunt Euangelici, sed hæretici. Nec Henricus, qui tunc Nauarræ, nunc potentissimus Galliarū Rex est, id diffitetur. Caluinismum deseruit. Pontificiam religionem amplexus est. An tu contendis, ex Euangelico hæreticum factum esse? Dic verbo. Aut tunc hæreticus erat, aut nunc est. Caeve dicas, nunc esse. Fuit ergo; iam non est. An ægrè tulit illam pœnam à Sixto V. impositam? Imò, accepit, tanquam medicinam, & sanatus est. Vtinā tu Regem illum imitareris. Amat Pontificē, amat Cardinales, amat Iesuitas, amat omnes Catholicos. Regina illi Catholica est. Filij & filiæ Catholicæ educantur. *Quid vis amplius? aut quid virges?*

13. Sed fortè malis ipsum Regem de se loquentem audire, quam me de ipso. Bene est. Audi ergo, quæ Pa-

risis in ipsa Regia Lupara coram Senatu Parisiensi, pridie nativitatis Christi, anno 1603. dixerit pro Iesuitis, & de suo erga eos affectu, apud illos, qui multa dixerant & consultauerant de Iesuitis in Gallia non restituendis. Verba eius hæc sunt:

Quod viris è Societate Iesu Possiacum obiicitis, conuenitum; utinam reliquā ita sese, & eo gessissent, atq; vnus duōve ex iis, qui per opportunè eidem interfuerunt; sane res multò melius Catholicis cessissent. Quamobrem & tunc, non eorum ambitio, sed virtus enituit. Et sane obstupesco, dum dispicio, vndenam illis vitium ambitionis affingitis, iis inquam, qui dignitates atque sacerdotia, quæcunque ipsis offeruntur, respūunt; qui q; vouent, se ad eadem nunquam aspiraturos, nec verò aliud in hoc mundo cupiunt, quam omnibus suam gratias prestare operam, qui ea velint vti.

At displicet hoc nomen Iesuitarum. Cur igitur non disiplinant, qui se religiosos Trinitatis nominant? Quod si istos eiusdem esse probitatis, quales sunt Iesuitæ, arbitramini; cur item filias vestras eodem nomine & virtute non estimatis, quali Parisiis extant, quæ filiæ Dei nominantur? Quin etiam, cur vos non iactatis, non minus esse Ordinis Spiritus sancti, quam sunt iidem, qui Ordinis S. Spiritus sunt equites mei? Sanè malim dici Iesuita, quam alio nomine Religiosus.

Sed additis, Sorbona eos damnauit. Sanè quidem; sed eos non nouerat. Qui si ab antiqua Sorbona passi sunt repulsam; iam re melius perspecta, qui sunt nouæ Sorbonæ, ab iisdem Iesuitis excolluntur, quos & ideo magnopere commendant.

Quod autem hactenus permisso, & vt dicitis, per modum prouisionis in Gallia vixere; hanc mihi gloriam Deus reservabat (quam quidem, vt gratiam cœlestem, agnosco) nempe, ut eos statuam atque omnino stabiliam. Itaque posthac Editio & Decreto apud nos erunt. Reges mei prædecessores voluerunt eos admittere. Volo ego eosdem statuere.

De Academia Parisiensi, quæ iis fuerit aduersa, id inde acci

accidit, quod aliis diligentiores fuere, atque aptiores, (Testabatur hoc frequentia studentium, que ad illorum Collegium confluuebat) quodq; in eam nondum erant admissi. At nunc eos non respueret. Iubebo enim, ut admittantur; quod cogemini a me petere, ut efficiam.

Obiicitis; doctiores, qui sunt in vestro Senatu, nil didicisse a Jesuitis. Si doctiores sint seniores, id ipsum fateor: ij enim, antequam Iesuita Gallis invicerent, disciplinis alibi operam dederunt. Sed enim non me latet, alios secus de iis loqui, eosq; adeo, qui vestri sunt ordinis. Et vero ipsi oculis cernimus, eorum absentia relictam esse desertam Academiam vestram, ad eosq; etiam extra regnum nostrum accurrere, Decreta nihil curantes, & penas, quas aduersus eiusmodi homines promulgasti.

Quod Fœderatis adhaerint, id temporum iniuria, non autem ipsis est adscribendum. Certe minore culpa quam alijs, id fecere. Ac certus sum eandem illorum conscientiam cum iis beneficiis iunctam, que erga illos conferam, mihi magis, quam Fœderatis eos esse deuinctorum.

Bona indolis adolescentes (dicas) ad se alliciunt. Ego vero eo magis hoc nomine istos astimo. Nonne nos fortiorum militum delectum habemus? Quod si studiis & commendationibus inter vos locis non esset, anne aliquem vestro cœtu indignum cooptaretis in Senatum? Si Iesuita suos vobis præceptores aut Concionatores traderent ignoratos, eos sine dubio irridereis. At cum ingenio valeant, eos arguitis? Quod sint ad rem attētores, calumnia est. In uniuerso regno, quatacumque collegia obtinuerant, redditus annui eorum omnium non excedebant duodecim sive quindecim aureorum millia. Non ignoro, cum Biturigis & Lugduni septem sive octo in uno quoque collegio Præceptores eorum viuerent, triginta etiam sive quadraginta unumquodque istorum operarios aliuisse. Ceterum si quid erit hac in re animaduertendum, iam id Edicto meo est præcautum.

Voto autem obedientiæ, quo se Pontifici maximo obstrin-
gunt, non adiungentur, ut externis propius adhærent, quam
fieri fidelitatis iuramento, quod mihi præstabunt. Quare nec
aliquid, quod suo Principi naturali aduersetur, attinetabūt.
Porro, votum illud Pontificum eò tantum spectat, cum eorū
opera is, qui Pater est Ecclesiæ, & Pontifex Maximus, uti
velit ad conuertendos infideles. Ac plane liquet, ingentes
Indiarum tractus, totque hereticiorum regiones ad Catholi-
cam fidem per eosdem accessisse, Idque est, quod saepe dixi, si
Hispania suis Iesuitis usus est, cur Gallia Gallis Iesuitis non
utetur? An alii deteriores sumus? Hispaniane Gallis est
amabilior? Quod si Hispania suis est amabilis, cur Gallia
non erit Gallis?

Additis, Iesuitæ ingrediuntur, ut possunt. Ita vero &
alijs faciunt. Quin & ipse, ut potui, in meum regnum in-
gressus sum. Sed & credere & fateri debemus, magnam co-
rum esse patientiam, quam certe admiror. Hac enim, & ipsa
virtute probitate perficiunt omnia.

Neque vero eos minoris astimo, quod suum egregiè co-
lanti institutum. Propriæa enim stabit illorum societas. Que
causa fuit, cur nulla in re leges eorum immutauerim. Quod
si quid nonnullarum conditionum imminui, que non proba-
rentur externis; satius est, ut exteri leges à nobis accipiāt,
quam ut ab iis accipiamus. Ac quicquid huīus rei sit, mei
mecum subditi iam conueniunt.

Quod nonnulli Ecclesiastici Iesuitis aduersantur; scien-
tiā semper odio habuit imperitia. Observavi autem, cum
de iis restituendis loqui cœpi, duo in primis genera hominū
restituisse, hereticos & improbos Ecclesiasticos. Quod quidem
acriorem mihi stimulum ad eos reuocandos addidit.

Quod de Pontifice maximo optimè sentiant, eumque re-
vereantur, id quoque ipse facio. Ac tamen non sum nescius,
nil ab iis amplius de Summi Pontificis potestate dici, doceri-
ve, quam reliqui, Theologi, Catholicaque doceat Ecclesia.

Neque

Neque vero aliquid docent, quo Ecclesiastici mihi non tribuant, quod est tribuendum. Nec unquam inuentus est, qui ab iis necem Regum didicerit. Quare totum hoc, quod illis obiicitur; nihil est. Triginta & amplius anni effluxere, cum in Gallia inuentutem excolunt, centumque Scholasticorum millia ex eorum Collegiis, aut studia absoluunt, aut ad ea, quæ iuris prudentia, sine medu ne sunt, accesserunt. An re istorum aliquis id se didicisse vel audiuisse à Iesuitis fassus est? Addo. Ministri extant hereticorum, qui plures annos apud Iesuitas vixerunt: Interrogate eos, quid de vita Iesuitarum sentiant. Profectò censendum est, eos quam pessimè de iis locuturos, nisi aliam ob causam, certè ut suam de iis emigrationem excusent. Iam vero mihi liquido constat, id fuisse ab iis quaestum; respondisse autem de moribus Iesitarum nihil esse, quod obloqui quisquam possit. Quod vero ad doctrinam attinet, neminem latere, quid doceant. Sanè pauci huic examini se subiicerent; & conscientiam eius opus est esse securam, quid aduersarij sententia stare velit.

De Barerio, qui me voluit interficere tantum abest, ut Iesuita eius confessionem (quemadmodum dicitis) exceperit, ut à Iesuita præmonitus de tota re fuerim: Bareriumque alter Iesuita monuerit, damnationem aeternam incursum, si id unquam attentasset.

De Castello nil unquam cruciatibus & tormentis extorqueri potuit aduersus Varadeum, neque contra alium quemlibet Iesuitam. Quod nisi ita res habet, cur eis pepercistis, nec supplicium de eis sumpsistis, qui & in vestra potestate, & adeò erant in vinculis.

Sed demus (non tamen concedentes) aliquem ipsorum id ausum fuisse. Anne omnes Apostoli ob unum Iudæi pleendi fuerint? aut ego satisfaciā pro latrociniis, criminib[us]que omnibus, quæ posthac commiserint, qui sub me militarunt? Tunc me Deus reddere & humilem, & saluum voluit: quare ei gratias ago. Ipse me docet, ut illatas condonem iniurias,

quod propter eum facio lubens. Quin & quotidie pro meis hostibus oro. Tantum abest ut hæc meminiſſe velim, ad quæ parum Christianè me hortamini. Quod quidem mihi accidit à vobis in actum. Omnes egemus gratia Dei: Hanc eam bono emam pretio, ut mea erga alios gratia non parcam.

De sororis nostra matrimonij dispensatione, iam eius Sanctitas ea concessit: ac scimus Patres Iesuitas negotio isti non fuisse aduersarios. Quod si Hispanus, & Iesuita, & Cardinalis operam mihi sua prestiit, qua benedictionem à nostro Sancto Patre Summo Pontifice consequerer, cum fidem Catholicā sum amplexus; cur meos naturales subditos in suspicionem vocatis? Ex eis noscā, quæ noscēda iudicauero, neque illis aliud, quam quod mihi libuerit, cōmunicabo. Sinite, ut tractem & ducam ipse hanc societatē. Difficiliores & minus aptos ad mentem adduxi. Itaque mee voluntati obtemperate.

14. Credo iam satisfactum tibi esse, Bataue. Audisti Regis verba, mentem, sententiam. Pontificem vocat Patrem Ecclesie. Iesuitarum patrocinium suscepit contra aduersarios. Caluinistas pro hæreticis: Pontificios pro Catholicis agnoscit. Sibi à Deo factam esse gratiā fatetur, quod ex hæretico Catholicus effectus sit. Quid vis amplius? Quod aduers ex Gregorio X I V. nihil discrepat à dictis. Pergo igitur.

D E P A V L O V.

15. De Paulo V. sic scribis; An non & Brenia illi duo Pauli V. Pontificis nuper contra Clementissimum & erga ipsos Pontificios moderatissimum Principem, Iacobum I. magnum Britaniæ Regem, crudeli ingratitudine, & immoderata tyrannidis appetitu emissa, ad subditorum in optimum suum Principem rebelliones ciendas, idem apertissime testentur?

16. Primum, quod ais Iacobū Regem esse clementissimum & moderatissimum in Pontificios: nescio, quomodo intelligi velis. Hoc scio, nō solū parentes ipsius

ipsius fuisse Pontificios, sed etiā totam Guisianam familiam, ex qua Serenissima mater eius originem duxit, Pontificiae religioni esse addic̄tissimā. Addo, Serenissimam matrem, optimam Scotiæ Reginam, iniquissimo iudicio à Calvinistis Angliæ, morte damnatam esse. Causam ergo Rex habet, cur in Pontificios, ex quorū prosapia est, merito sit modera, issimus. Imò causam nō habet, cur ipse Pōtificius nō sit. Nisi fortè Calvinistarū vi & importunitate impeditus, præstare id nō potest.

17. Sed ad rem. Ais duo Breuia Pauli Pōtificis contra hunc Regem esse emissā, quibus subditorum erga optimū Principem rebellio excitatur. Prudenter autē facis (vel potius astutè) quod Breuia illa nō transcribas, ne ex verbis ipsius Pontificis, impudētia tua argui possit. Ut ergo res tota clara sit, ponam hīc, non modo Breuia Apostolica, sed etiā causam, ob quam concepta & emissā sunt. Rex Angliæ anno 1606. coēgit omnes Catholicos, qui in Anglia versantur, ut conceptis verbis præstarent hoc iuramentum, quod sequitur; *Ego A. B. verè & sincerè agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea, coram Deo & mundo, quod supremus Dominus noster Rex Iacobus, est legitimus & verus Rex huius regni, & omniū aliorum maiestatis sue Dominiorum & terrarū. Et quod Papa nec per seipsum, nec per ullā, aliā authoritatē Ecclesia vel sedis Romane, vel per ullā media, cum quibuscunque aliis, aliquam potestatem, nec autoritatem habeat Regem deponendi, &c.* Item, iuro ex corde, quod non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis facta per Papam, contra dictum Regem fidelitatem & obedientiā ipsi præstabo, &c. Præterea, iuro, quod ex corde abhorreo, detestor & abiuro tanquam impiam & hereticam hanc damnabilem doctrinam & propositionem, quod Principes per Papam excommunicati vel deprinunti possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunque deponi aut

occidi. Et ulterius credo & in conscientia mea resoluor, quod nec Papa, nec alius quicunque potestatem habet, me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi: quod iuramentum agnoscō recta ac plena auctoritate esse mihi legitimè ministratum; omnibusque indulgentiis ac dispensationibus in contrarium renuncio, &c. Sic me Deus adiuet.

18. Catholici, quia virtebant hoc iuramentum sine præiudicio fidei Catholicae à se præstari nō posse, fuerant valde perplexi, quid agendum sibi esset. Nam si iurarent agebatur de conscientia; sin minus, de carcere & morte. Intellexit hoc Pontifex, & eodem anno 1606. mense Septembri, misit illis Breue Apostolicū in hæc verba: *Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem, magno animi mœrore nos semper afficerunt tribulationes & calamitates, quas pro reiæ seda Catholica fide iugiter sustinuistis. Sed cum intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum autæ est. Acceptimus namque cōpelli vos, grauiissimis pœnis propositis, tēplā hereticorū adire, cætus eorū frequentare, concionibus illorum interesse. Profecto credimus proculdubio eos, qui tanta constantia atque fortitudine, atrocissimas persecutions, infinitas propemodū miseras hastenus perpetræ sunt, ut immaculare ambularent in lege Domini, nunquā cōmissuros esse, ut coinqumentur cōmunione desertorū diuine legis. Nihilominus zelo pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna sollicitudine, qua de salute animarū vestrarū assidue laboramus, cogimur monere vos atque obiestari, ut nullo pacto ad hereticorū templâ accedatis, aut eorū conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus cōmunicetis, ne Dei iram incurrais. Nō enim licet vobis hac facere sine detrimento diuini cultus, ac vestre salutis. Quemadmodū etiā non potestis, absque euidentissima grauiissimâq; diuini honoris iniuria, obligare vos iuramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audiuitis propositum vobis fuisse prestandum, infra scripti tenoris*

tenoris videlicet; Ego A.B. vere & sincerè agnosco, &c. ut supra. Post iuramenti formam recitatam, pergit Pontifex: Quæ cum ita sint, vobis eis verbis ipsis per p. c. uum esse debet quod huiusmodi iuramentum, salua fide catholica & salute animarum vestrarum, præstari non potest, cum multa contineat, quæ fidei ac salutis aperte aduersantur. Præterea admonemus vos ut ab hoc & similibus iuramentis præstantis omnino caueatis, &c.

19. Ex his verbis Pauli Pontificis, facile aduertis, non esse mentem illius, ut Catholici in Anglia non præstent Regi ciuilem obedientiam & fidelitatem in rebus politicis & sæcularibus, ut tu falsò criminaris; sed ne contra conscientiam suam, & contra professionem fidei Catholicæ, coniungant se hæreticis, & Ecclesiæ Romanae potestatem, iurisdictionem & obedientiam abiurent. An tu hoc reprehendas, Bataue? Si Imperator Rodolphus cogeret omnes, qui sub Imperio viuunt, iurare in professionem fidei Romanæ & Catholicæ; an tu hoc iuramentum præstares? Non opinor. An ideo rebellis essem Imperatori, te Iudice, An Fœderati Hollandiæ, si te per litteras hortarentur, ne tali iuramento te obstringeres rebellionem cierent contra Imperatorem: in causa tua, iudex esto. Accipe, si vis; aliud exemplum. Multi Caluinistæ viuunt Constantinopoli, & ciuilem obedientiam Turcarum Imperatori præstant. Quid putas, Si Imperator eos cogeret ad iurandum Mahometismuni, an rebelles censerentur, si nollent? Imo, impij essent, si iurent. Intelligis, quid velim.

20. Sequitur alterum Breue Apostolicum, quod sic habet; Dilecti filij, salutem & Apostolicā benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui cum satis declarauerimus per litteras nostras, anno supersiore X. Calēd. Ottob. in forma breuis datus, vos rata conscientia præstare non posse iuramentum, quod à vobis tunc exigeatur, & præterea
fricte.

strictè perceperamus, ne ullo modo id præstaretis; nunc dicere audent, huiusmodi litteras de prohibitione iuramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu atque industria: eaque de causa iidem persuadere enituntur, mandata nostra dictis litteris non esse attendenda. Perturbauit sanè nos hic nuncius, coque magis, quia xperti obedientiam vestram (filij nostri vnicē dilecti) qui ut huic sancte sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam pie ac generose nibili fecistis; nunquam suspiciati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium fidem litterarum nostrarum Apostolicarum, ut hoc pretextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verum agnoscimus versutiam atque fraudem aduersarij humanae salutis, cique potius, quam vestre voluntati tribuimus hanc renitentiam. Ea propter iterum ad vos scribere decreuimus, ac denuo vobis significare, litteras nostras Apostolicas anno præterito X. Calend. Octob. datas de prohibitione iuramenti, non solum motu proprio, & ex certa nostra scientia, verum etiam post longam & grauem deliberationem de omnibus, qua in illis continetur, exhibitam fuisse scriptas, & ob id teneri vos illas omnino obseruare, omni interpretatione secus suadente, reieclæ, &c.

21. Hoc Breue, ut vides, nihil aliud continet, quam confirmationem prioris. Vnde sicut prius illud reprehendi non potest; ita neque hoc posterius. Plura de his duobus Breuibus Pauli V. videri possunt apud Matthæum Tortum, Theologum Papiensem, in libello, qui inscribitur; *Respsio Matthai Torti presbyteri & Theologi Papiensis, ad librum inscriptum, Triplici nodo triplex cuneus.* Concludo ex dictis, apud nullum Pontificem extare hoc decretum; *Hæreticis non est seruanda fides.*

A N N O T A T I O.

1. In hac quæstione ostendi, Pontifices, qui à te citati erant, nunquam docuisse, fidem hæreticis seruandam non

non esse: Et quia multa dixeras de Rege Galliæ, ascripsi orationem, quam ipse coram Senatu Parisiensi recitauit. Quid tu ad hæc, Bataue? Primò repetis, quod supra refutavi, eos, qui Pontifici non obediunt, etiam si de cætero Pontificij sint, hæreticos à nobis censeri. Falsum est. Secundò, dicis, inquam, comparationem me instituisse inter Pontificem & ordines Fœderatos, eo quod Pontifex sit Antichristus, Raptor, Tyrannus: Ordines autem Fœderati, sint legum diuinorum ac humanaum defensores. Nimirum, quia tu dicis, credendum est. Tertiò, multa infers ex eo, quod posuisti, Pontificem esse Antichristum. Sed, ut hoc falsum; sic illa vana sunt: Quartò, orationem, quam dixi à Rege Galliæ prolatam esse, non liberè ab eo prolatam, sed per sicas Iesuitarum extortam esse ait; & multis mendaciis refertam. Sic dupli calumnia oneras Christianissimum Regem: & quod timidus fuerit, & quod mendax. Quintò, multa in laudem Regis Angliæ, multa in contemptum Pontificis & Bellarmini aduersi, quæ nihil ad rem faciunt.

2. Hæc obiter attigi. Est aliud, quod virges. Dixeram Sextum V. duos tatum Principes, Nauarræum & Condæum ea pœna affecisse, ut eis non præstaretur obediëtia à subditis. Tu obiicis Bellarminum, quasi is contrarium sentiat. Sic autem ille habet; *Iam supra docuimus, supremum uniuersæ Ecclesiæ Rectorem id iuris habere, ut si princeps ab Ecclesiæ unitate per hæresin vel schisma deficiat, possit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare, & subditos eius à fide & obedientia liberare.* Audi, Bataue. Non satis præsens tibi es. Bellarminus idem dicit, quod ego dixi, nempe, Pontificem posse excommunicare Principes, & eorum subditos à fide & obedientia liberare. An tu hinc colligas, Sextum V. quando duos Principes Nauarræum & Condæum, excommunicauit, non

eos solos, sed eorum quoque subditos eadem pœna affecisse? Ad te redi. Liberare subditos, non est, pœna afficere.

QVÆSTIO XVI.

An Catholici scribant & sentiant, non esse hæreticis seruandam fidem?

I. **A** Is multos ita scribere, & sentire, nominatim Theologos Sorbonistas, Curiam Parlamenti Parisiensis, Curias aliorum parlamētorum, Philippum Regem Hispaniæ, & Iacobum Simancam Episcopum Pacensem. Videamus, an ita sit. Et quidem de Theologis Sorbonistis, de Parisiensi & aliis Parlamentis, ita scribis; *Sic quoque fidem Henrico III. Galliarum Regi Romano Catholico, tanquā hæreticorum fautori, à subditis seruari non debere; facultatum Theologicarum consultationibus constitutum reperitur, in hunc modum;* *Quod populus huins regni solutus & liberatus est à sacramento fidelitatis, & obedientia regi præstata.* *Quam Theologorum insaniam deinceps curia parlamēti Parisiensis, aliaeque perfido Jesuitarum furore fascinatae comprobarunt.* Postquam autem, iuncto per emissarium vestrum Iacobum Clemētem parricidam inclemensissimum, Henrico III. ad Regni Gallici gubernacula, iure successionis, Henricus IV. venit, Sorbonianum Collegium, multò rigidius in eum eandem sententiam repetiuit. Multa hic dicis. 1. Theologos statuisse, populum regni Galliani solutum & liberatum esse à sacramento fidelitatis, & obedientia regi præstata. Id verum est, post latam iudicis sententiam, ut supra dixi. Et vestri Theologi Calviniani idem decernerent, si quis prætor propter legitimam causam à Fœderatis proscriptus esset. Imò tu id decer-
pis de Philippo Rege, antequam sententia lata sit. Nisi

tu fortè hanc authoritatem ferendæ sententiæ tibi usurpas. 2. ais *hanc Theologorum insaniam* à curia Parlamenti Parisiensis, & aliis curiis fuisse comprobatum. Vide, an tu sanus sis, qui & Theologos, & tot prudentissimos ac consultissimos viros & præsides, qui in illis Parlamentis sunt, insanos vocas. 3. addis, Curias illas *perfido Iesuitarum furore fuisse fascinatas*. Nec perfidi, nec furiosi sunt Iesuitæ ut tu cia. nas, non probas. Nec prudentissimi & constantissimi viri, qui in curiis sunt, patiuntur se à perfidis & furiosis fascinari. 4. Iacobum Clemétem vocas *parricidam & emissarium Iesuitarum*. An particida sit, non disputo. Nego Iesuitarum emissarium fuisse. Henricus IV. qui nunc Christianissimus Galliæ Rex est, ab ea infamia nos purgauit, vt supra audisti. Is & optimus, & potentissimus nostræ causæ patronus est. An tu eum ad tribunal tuum vocare vis? 5. Sorbonum Collegium multo rigidiorem sententiam dedisse ais in Henricum IV. Henrici III. successorem. Non reperio, quæ de hac te dixi superiùs. Tu consule. Interim Christianissimus ac Clementissimus Rex contentus est. Utinam & tu sis.

2. De Philippo Hispaniæ Rege sic habes; *Quia tamen tu conuicti & calumniis & cornibus tuis, Recane, fœderatos infectari nō desinis, etiam pactum illud, quod Rex vester Catholicus, Pius ille, scilicet, cūclarum gentium Paren, Philippus II. Hispaniarū, in translatione Belgicarū Provinciarum Archiducibus facta, apposuit, si libet, introspice, ut que supra vos docere & decernere probatum est, non antiquis tantū exemplis, quorum infinitus est numerus, sed recentibus rerū testimoniis confirmetur. Et si, inquit Philippus II. quod Deus prohibeat, aliquis ex suis descendētibus ab hac fide (scilicet Romana) discederet, & incideret in aliquam heresin, postquam à Potifice pro tali declaratus erit, dictarum provinciarū administratione, possessione & proprietate priuati erunt,*

earum

curumque subditi & vasalli non amplius illis tenebuntur
 obire. Quid nunc blaterabis, Beccane, ulterius? nimirum hos
 fidem (quæ relicta abominanda vestra idolomania, & ex-
 pulsis vestris erroribus, Euangelij lucem amplexi sunt) Deo
 fregisse, itaque eam ipsis non deberi, & multò minus frangi
 posse? Dignum patella operculum. Et hic multa garris. Pri-
 mò, affiras me conuiti.s, calumniis & cornibus Fœ-
 deratos insestari. Non ira est. Nihil aliud de Fœderatis
 in tota appendice scripsi, quam hæc pauca verba; Sa-
 nè aut Fœderatos periuros, aut te mendacem esse, necesse est.
 Hoc cum scripsi, supponebam illos periuros non esse,
 sed te mendacem. Nam ad veritatem propositionis di-
 sunctioniæ (qualis illa mea est) sufficit alteram partem
 veram esse, etiam si altera falsa sit. Consule præcepta
 Logicæ. Secundò, Philippum, per ironiam, vocas pium
 cunctarum gentium Parentem. Ausim dicere, magis pium
 fuisse, quam nullus sit Caluinista Batavus, qui illi, tan-
 quam legitimo Domino, rebellis est. Tertiò, Decretum
 Philippi arrodis, quasi Euangelicis Regibus & Princi-
 pibus infaustum. At certè iniustum non est. Faciamus
 Fœderatos Hollandiæ conferre alicui viro nobili, eius-
 que posteris, Præfecturam Frisiae, cum hac moderatio-
 ne; Si quis ex suis descendentibus, ab hac fide; scilicet
 Caluinistica, discederet, & incideret in aliquam heresin,
 postquam à Superintendentे pro tali declaratus erit, supra-
 dicta Frisiae præfectura priuabitur, & subditi Frisiae non
 amplius illi tenebuntur obedire. Quid censes de hoc de-
 creto? Iustum est, inquis: At planè simile est decretum
 Philippi. Vel ergo utrumque, vel neutrum iustum sit,
 necesse est. Nisi tu putas Fœderatos rebelles plus iuris
 habere in Frisiā, quam Regem Philippum in Pro-
 uincias Belgicas, quas patrimonij loco accepit à pa-
 rente suo, Carolo V. Imperatore. Quintò ex decreto
 Philippi vis probare, Catholicos docere, Non esse hæ-
 reticis

reticis seruandam fidem. Ergo similiter ex Fœderatorum decreto colligi poterit, Caluinistas docere, Non esse Catholicis seruandam fidem. Vtrinque pars ratio est. Sextò, fidem Pontificiam vocas abominandam idolomaniam: Caluinistas verò, Euangelijs lucem amplexos esse, ait. At mi homò, Lux Euangelijs per totum orbem diffusa est; Caluinistæ vix in uno vel altero Europæ angulo cogniti sunt.

3. Ex Iacobo Simanca, in Institut. Catholica cap. 46. n. 52. transcribis hæc verba; *Ad hereticorum pænam & odiū pertinet, quod fides illis data seruanda non sit* (ut in Concilio Constantiensi factum) non obstante iuramento. Item; *cum hereticis nullum commercium, pacem nullam, esse posse; ideoq; fidem illis datam, etiam iuramento firmatam, nullo modo seruandam esse*. Vis dicam, Bataue. Vbiique mala fide agis. Iacobus Simanca multo aliter loquitur & sentit, quā tu illi imponis. Disputat eo loco, an fides hereticis seruanda sit? Respondet, seruandam esse in rebus licitis & honestis; alias non idem. Priorem partem tradit his verbis; *Si fides hereticis data esset à Principe, vel publica potestate, exactè seruanda esset; si modo, quod addixisset, non sit de illo genere rerum, quas lex aut inspirata, aut naturalis vetat prestare. Non enim videtur esse vetitum, eorum, quæ ad nature aut gentium ius attinent, habere cum heretico commercium*. Quid clarius dici potuit? Posteriorem tradit his verbis; *Accedit, quod cum hereticis nullum commercium, nec pax vlla Catholicis esse debeat. Quamobrem fides illi data, etiam iuramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarū, contra iura diuina & humana, nullo modo seruanda est. In malis promissis, inquit Isidorus, rescinde fidē: Et iuramentum esse non debet vinculum iniquitatis*. Hic iam apparent tua fraus & impostura. Priori loco dicit Simanca, in rebus licitis, exactè seruandam esse hereticis fidē. Hoc tu dissimulasti. Posteriori dicit, nō esse seruandam

contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra iura diuina & humana. Hanc limitationem tu omisisti. Et adhuc disputas de fide seruanda, qui in citandis authorum sententiis, omnem fidem abiicere ausus es?

A N N O T A T I O.

Quæ in hanc quæstionem scribis, Bataue, mera conuictia sunt in Theologos Parisienses, in Curias & Parlamenta Gallicana, in Regem Hispaniarum, & alios Reges Pontifici adhærentes. Quid tecum hîc agam? Si regero conuictia, tui similis sum: si dissimulo, triumphum canis. Hoc malim. Addis, Simancam & Molanum pro te esse. Iudicet Lector. Batauorum pietatem, iustitiam, & prudentiam mirè extollis. Non inuideo. Quid præterea? Nihil ad rem.

Q V A E S T I O X I X.

An Catholici re ipsa non seruent hæreticis fidem?

1. Disputavi haec tenus de doctrina; nūc de facto Catholicorum disputandum est. Ais ergo Catholicos re ipsa frangere seu violare fidem hæreticis datam. Id probas aliquot exemplis. Primum est, quia Ioanni Hussio datus est saluus conductus ab Imperatore Sigismundo, & tamen saluo conductu non obstante, combustus est in Concilio Constantiensi, ac proinde publica fides illi violata est. Multa de Hussio dixi in disputatione, de fide hæreticis seruanda, cap. 12. Sed quia importunus esse non desinis, paucis repetam.

2. Igitur duobus argumentis probo, Ioanni Hussio non esse violatam fidem. *Vnum est;* Qui dat saluum conductum iure communi, nihil aliud dat, quam securita-

tem contra violentiam iniustum, salua semper iustitia & iuris executione, vt supra q. 15. §. ii. ostensum est. Atqui Sigismundus Imperator dedit Ioanni Hussio saluum conductum iure communi, quod etiam non negas: Ergo nihil aliud dedit, quam securitatem contra violen-
tiā iniustum. Hanc autem praestitit, quia nihil iniuste passus est Hussius. Ergo fidem illi seruauit. Imò com-
bustus est, inquis. Fateor combustum esse; sed non iniuste. Primò, quia Imperator, cùm daret illi saluum conductum, sub pœna capitis prohibuit illi fugam. At Hussius contra hanc prohibitionem fuga elapsus est. Iuste igitur puniri potuit. Secundò, quia retractus à fuga, noluit hæresim abiurare. At leges Imperioriæ pœnam capitis decernunt in hæreticos pertinaces, *I. quicunque, C. de hæreticis.* Nulla ergo iniustitia intercessit.

3. Quid h̄c dicas, Bataue, pro tuo Hussio? De hæresi files, & filendo consentis. De fuga, negas. At probi au-
thores affirmant, Campianus Martyr in rationibus Academicis, Nauclerus generat. 48. Cochleus lib. 2. hi-
storiæ Hussitarum, & alij plures. Imò, ex tuis Caluini-
stis, Laurentius Humfredus in suo volumine, quod contra Campianum scripsit. Is, inquam, non solum fa-
tetur fugam Hussij; sed etiam conatur excusare dupli-
citer. Primò, quia Hussius, inquit, videbat se obseruari
à Patribus, & suspectum haberi; ideoque cœpit de
fuga meditari. Secundò, fugerunt eodem tempore
tres Pontifices, Ioannes, Benedictus, & Eugenius.
Non ergo culpandus Hussius, si & ipse fugerit. Sanè,
si Humfredus putasset, Hussium non fugisse; quid opus
erat hac dupli excusatione? Neutra tamen suffi-
cit. Non prior, quia Patres meritò obseruabant illum,
quem sciebant palam professum esse hæresim in Bo-
hemia; ne forte & Constantiæ virus suum prosemi-

naret. An ideo contra fidem datam fugiendum erat? Nec posterior, quia culpa vnius non potest patrocinari culpæ alterius. Fugerint sanè Pontifices (de quo iam non dispiuto) an propterea licuit Hussio contra conuentum paceta impunè fugere? Non sic, mi homo.

4. At, inquies, in formula Concilij Constantiensis non legitur damnatus esse Hussius propter fugam, sed propter hæresim. Quid tum? Poterat utroque titulo damnari. Patres Concilij iudicabant sufficere crimen hæresis. Vnde, quicquid sit de fuga, iterum concludo, legitimè damnatum esse Hussium, saluo conductu non obstante. Is enim legitimè damnari potest, non obstante saluo conductu, qui legitimè conuincitur de hæresi, quam abiurare non vult, quia saluus conductus, qui communi iure datur, non impedit iustitiā & iuris executionē. Atqui Hussius fuit legitimè conuictus de hæresi, quam abiurare non voluit: Ergo Hussius potuit legitimè damnari, non obstante saluo cōductu. Hic veritate, quo vis, non saluabis Hussium. An negas pertinaces hæreticos puniri posse? At hoc decernunt leges Imperatoriæ. An Hussium negas fuisse pertinacem hæreticū? At pertinaciter docuit multas hæreses, ut ostendi in citata disputatione. An prætendis saluum conductum illi datum? At is via ordinaria, non solet dari, nisi *salua iustitia & iuris executione*, ut fatentur Iureconsulti. Nullam ergo rimam inuenies, qua elaboraris.

5. Alterum argumentum est; Si Hussio fides violata esset, procul dubio, vel ipse aliquando, vel Hiéronymus Pragensis, vel certè Bohemi de hac re fuissent questi. At nemo questus est unquam. Quis ergo credat, fidem illi esse violatam? Sane, Hussius, cùm ad mortem duceretur, multa liberrimè dixit in Ecclesiam Romanam, & ad Christum supremū Iudicem appellauit, ut acta eius, quæ à diuersis scripta sunt, testantur. At de fide

viola

violata, ne verbum quidem fecisse legitur. Similiter Hieronymus Pragensis, qui aliquot diebus post Hus-
sium exustus est, publicè quidem testabatur, Hussium
fuisse virum bonum, iustum, sanctum, & tali morte in-
dignum; sed contra fidem datam aliquid passum esse,
nunquam meminit. Denique Bohemi Nobiles, qui im-
pensè fauebant Hussio, & eius dogmata tuebantur;
cùm postea ad Conciliū Basileense, oblato saluo con-
ductu, vocati essent; missa insigni legatione comparue-
runt. Quis credat hoc facturos fuisse, si de fide Hussio
violata, Catholicos suspectos habuissent?

6. Possim idem confirmare ex Luthero, qui particu-
larem articulum scripsit de Ioanne Hussio, à Leone X:
inter cæteros damnatū; in quo, tametsi mirificè laudet
Hussium à sanctitate & doctrina, nihil tamen attingit
de saluo conductu violato. Ex his omnibus ita conclu-
do, si vel Imperator Catholicus, vel Patres Cōcilij Cō-
stantiensis contra fidem publicam egissent, aliquis sal-
tem ex aduersariis hoc probrum illis obiecisset. At qui
nec Hussius ipse, nec Hieronymus Pragensis, nec Bo-
hemii Nobiles, nec Lutherus, qui omnes fuerūt hostes
Catholicorum, quicquam illis obiecit. Ergo euidēs si-
gnū est, nihil tale accidisse. Quid hīc respōdes Bataue?

7. De Hussio satis Alterum exemplum est de Hiero-
nymo Pragensi, quem etiam aīs contra fidem datam
combustum esse. Sed audi paulisper. Cōsulamus histo-
rias. Ex iis hæc certa sunt. Primo, Hieronymum non
acepisse saluum conductum ab Imperatore Sigismū-
do. Ita Cochleus lib. 2. historiæ Hussitarum, Molanus
lib. 2. de fide hæreticis seruanda cap. 2. & alij. Secundo,
citatum tamen esse à Concilio Constantiensi, oblato
saluo conductu, cum hac expressa clausula; salua sem-
per iustitia, ut habetur in eodem Concilio, sess. 6. & pas-
sim apud alios authores. Tertio, citatum comparuisse,

disputasse, conuictum esse, hæresim abiurasse. Patet ex eodem Concilio sess. 19. vbi ponitur formula abiurationis. Quartò, in hæresim relapsum esse, fugisse, reditum esse, exustum esse, ibidem sess. 21. & apud Cochleum, Molanum, Campianum, & alios. Hinc concludo, non esse illi fidem violatam. Primò, quia datus est illi saluus conductus cum hac clausula: *salua semper iustitia*. Secundò, quia per fugam expirauit saluus conductus. Tertiò, quia in hæresim, quam abiurauerat relapsus est. Hoc tu Bataue, omnia dissimulas.

8. *Terrium exemplum* est de Archiducibus Austriæ, quos aïs contra pacta conuenta & iurata Missam restituisse, & electis Euangelicis, id est, Lutheranis & Calvinistis, Iesuitas admississe. Sic enim aïs in priori tuo libello; *in Gallia, Missa Romana per omnes omnino urbes & pagos remissa & restituta est; quod & per Hungaria & Polonia regna, etiā contra pacta conuenta & iurata, à pace inita, tentatum fuit; in Austria vero superiore, cum tali successu, ut Archiduces pro Baronibus, Nobilibus & aliis subditis Euangelicis obedientibus, qui expulsi sunt, Iesuitas & Nuncios Romanos receperint*. Posui verba tua, ut intelligas te tui immemorem fuisse, quando in posteriori libello scripsisti, me illam particulam, iurata, falsò addidisse. Non addidi falsò, sed ex tuo libello transcripsi. Sed ad rem. Vnde scis, Archiduces Austriæ contra pacta iurata id fecisse? Hic hæres & tergiuersaris. Hoc tandem responsi das, nobis Iesuitis satis constare de hac perfidia, nec opus esse, ut à te instruamur. Sed si hoc satis est; simili modo dicam te millies contra datam fidem egisse. Si quæras, vnde sciam? Eludā simili responso; tibi ipsi satis constare de tua perfidia, nec opus esse, ut à me instituatis. Quanquam adhuc dispar ratio est. Nam tu, cùm homo priuatus sis, audes Archiducibus, qui ex Imperatoria familia sunt, tale probrū, sine teste,

publico scripto obiicere? Et quidem in ipso Imperio,
vbi illi domestici sunt, tu extraneus & peregrinus? Sed
hic Caluinistarum mos & morbus est.

A N N O T A T I O.

Hic agitur potissimum de Ioanne Hussio & Hieronymo Pragensi. Tu planè de illis siles. Et prudenter; quia vides te nihil effecturu. Interim, more tuo, debaccharis in Iesuitas, eosque appellas *impios, regicidas, proditores, veneficos, incendiarios, calumniatores, perfidos, rebelles progeniem viperarū*. Nimirū, Ergo vicit Batauus.

E P I L O G V S.

1. **O** Stendi hactenus, quid de tuis libellis sentient dum sit, Bataue. Et ut compendio repetam, quæ dicta sunt, de his punctis accusari potes. 1. Quod suspectū te reddas, quia tui nominis te pudet. 2. Quod instar litigantis mulierculæ, vbique iracundè te geras. 3. Quod multis conuitiis oneres Regem Hispaniæ, Archiduces Austriæ, & alios Catholicos Principes. 4. Quod petulantissimè debaccheris in Pontificē & Iesuitas. 5. Quod multum verborum habeas, parum rei, in quo genere imitaris forenses rabulas, quorum dux esse potes. 6. Quod falsò alleges Canones & autores, quos nunquam legisti. 7. Quod dixeris, in tribus Conciliis, Tridentino, Constantiensi & Lateranensi, expressè definitū esse, quod fides hæreticis seruanda non sit: Et hoc nunquam probare potueris; & quod amplius est, in ultimo libello, totum hoc punctum penè dissimulaueris. Hæc & similia, Bataue, si emendas, non tuæ solum, sed & omnium Batauorum famæ & existimationi consules, qui vnius ob culpam, omnes in suspicionem veniunt. Et tamen inter illos multi viri boni sunt.
2. Illud præterea à te peto, si posthac in me scriptu-

rus es, ut libelli tui palam prodeant in lucem, cum nomine authoris, Typographi & loci. Sic enim maiori confidentia tecū agam; & vterque totius orbis Christiani arbitrio subiacebit. Et sanè videmini causæ vestræ diffidere, quando suppresso nomine; clam spargitis libellos vestros inter eiusdem rātum factionis homines; & accuratè cauetis, ne in manus Catholicorum deueniant. Idem faciunt Nouatores Angli, qui iam aliquot opuscula dicuntur in mescriptis, quæ nec vidi hactenus, nec videre potui. Nimirum metuant, ne si in lucem veniant, ipsorum opera arguantur, quia mala sunt.



OPUSCULVM V.

DISSIDIUM

ANGLICANVM DE PRIMATV REGIS,

Ad Catholicos in Anglia.



ALVETE illustissimi Domini, inuictissimi Athletæ. Ad vos venio, interpellandi causa. Si molestum non est, audite me paucis, non diu vos tenebo. Ante biennium scripsi duos libellos de

PRIMATV REGIO: Alterum contra Apologiam & Monitoriam Prefationem Serenissimi & Potentissimi Iacobi, Magne Britanniæ Regis: Alterum contra Torturam Torti, seu, contra Sacellatum Regis. Ægrè hoc tulerunt Academicci vestri; & confessim, in causa Regia, bellum mihi indixerunt. Hi præsertim, Guilielmus Tooker, Richardus Thomsonius, Robertus Burhillus, Henricus Salcolbrigiensis. Nec defugio, Quin multa sunt, quæ me redunt

dant alacriorem. Primum, cause aquitas: Tum, vestra fides & constantia. Denique, Aduersariorum inter se dissidia, & intestina dissensiones. De causa, quam defensurus sum, aquitatem, quid attinet, dicere? Pugnaturus sum pro Ecclesia Christi, pro honore & obedientia Praesulium, pro Maiorum exemplo & consuetudine. Et hic, quenquam extimescam? Iam, vestra fides & constantia, quam quotidiani carceres, vincula, supplicia, mortes pro Christo obitae, toti orbi testatissimam faciunt, cui torporem non excutiat: cui calcar & animum non addat. Verè de vobis usurpare possum illud ex Apostolo: Spectaculum facti estis Deo, Angelis & hominibus. Deo, qui intuetur vestra certamina; qui vires suppeditat ad victoriam, & coronam preparat ad triumphum. Angelis, qui mirantur, vos in carne fragili, potentissimos inferorum Principatus non formidare: & simul gaudent, tam gloriosos pugiles, sue custodia commissos esse. Hominibus, qui toto orbe diffusi, vestro exemplo, vestra virtute & patientia, ad similia certamina, pro Christo subeunda, vehementer accenduntur. Porro, dissidia Aduersariorum inter se tanta sunt, tamque distractæ ac dissipatae eorum vires, ut magnopere metuendos esse non putem. Si nescitis, hunc Libellum vobis offero dedicoque in quo, quibus in capitibus ipsi dissentiant, sigillatim explicatum est. Eum, si vacat, legite, & bene de euentu sperate. Interea ad pugnam me parabo: & cum tempus aduenerit, Spectatores vos esse cupio. Valete, & meam interpellationem aequi bonique consulite.

DISSIDIUM ANGLICANVM.

De

PRIMATV REGIO.

PRIMATVS Regius in Ecclesia Anglicana, res noua est. Ortum habuit sub Henrico Octavo; floruit sub Edouardo Sexto & Eliabera;

O S

sabeta;

sabetha; nunc, sub Iacobo, tot dissidiis domesticis lac-
ceratur & discerpitur, ut diu stare non possit. Rectè
Christus in Euangelio: *Omne regnum in se diuisum, de-
solabitur.* Porro, quæ & quanta sint illa dissidia, in his
paucis quæstionibus demonstrandum est:

- I. An Rex Angliae habeat aliquem Primatum in Ecclesia?
- II. An Primatus ille sit Ecclesiasticus & spiritualis?
- III. An Rex ab eo Primatu possit vocari Primas Ecclesiae?
- IV. An ab eodem vocari possit supremum caput Ecclesiae?
- V. An Primatus ille consistat in aliqua potestate, vel in-
risdictione Ecclesiastica?
- VI. An Rex, ratione sui Primatus possit indicere Conci-
ilia, & in iis præsidere?
- VII. An possit leges Ecclesiasticas condere?
- VIII. An beneficia Ecclesiastica conferre?
- IX. An Episcopos creare & deponere?
- X. An contumaces excommunicare?
- XI. An indicem controversiarum agere?
- XII. Unde Rex habeat suum Primatum?
- XIII. An subditos possit cogere ad iuramentum Primatus?

In his quæstionibus extremè dissentunt Aduersa-
rij. Sunt autem hi ferè: Sacellanus in *Tortura Torti*,
Guilielmus Tooker Decanus Lichefeldensis in *Duel-
lo*, seu singulari certamine cum *Martino Becano*. Richar-
dus Thomsonius in *Elencho refutationis Torturæ Torti*.
Robertus Burhillus in *responsione pro Tortura Torti*.
Henricus Salcolbrigiensis in *refutatione examinis Beca-
nici*. Præter hos citabo etiam Nicolaum Sanderum de
schismate Anglicano, Genebrardum in *Chronologia*, Po-
lydorum Virgilium in *historia Anglicana*. Iacobum
Augustum Thuanum in *libris historiarum sui temporis*.
Caluinum in *Commentario supra Prophetam Amos*. Et
si qui alij sint.

QVÆSTIO I.

An Rex Angliae habeat aliquem Primatum
in Ecclesia?

1. Primum dissidium est de nomine *Primatus*. Ple-
rique admittunt hoc nomine. At Richardus Tho-
msonius malit *Suprematum*, quam *Primatum* appellare. Ra-
tio ipsius est, quia *Primatus* significat potestatem eius-
dem ordinis; at Rex in Ecclesia Anglicana non habet
potestatem eiusdem ordinis cum Episcopis & Pastori-
bus, sed altioris ac diuersi ordinis. Ergo non habet Pri-
matum, sed *Suprematum*. Verba Thomsonij p. 33. sunt
haec: *Nos in Anglico nostro idiomate belliores longè sumus,*
quam per inopiam Latini sermonis nobis Latinè esse licuit.
Non enim dicimus, The Kings Primacie, Regis Primatum,
*sed, The Kings Supremacie, Regis Suprematum. Quo vo-
cabulo nos quoque deinceps utemur. Multum enim differunt*
Primatus & Suprematus. Illud enim potestatem eiusdem
ordinis videtur significare, hoc non item.

2. Hinc duo colligimus. *Vnum est*, omnes Anglos, qui
vtiuntur nomine *Primatus*, vel errare, vel impropriè lo-
qui, si Thomsonio credimus. Nam si propriè significet
potestatem eiusdem ordinis, planè sentiunt, Regem
habere potestatem eiusdem ordinis cum Episcopis &
Prælatis Ecclesiæ. At hic, iuxta Thomsonium, error est.
Vel igitur errant, vel impropriè loquuntur.

3. Alterum est, de re significata coniecuram sumi
posse ex voce significante. Vox *Suprematus*, noua, nu-
per inuenta est; incognita antiquis Patribus; inusitata
in Scripturis; orbi Christiano inaudita. Quid porrò
significat? *Supremam* potestatem Regis in Ecclesia.
Et haec igitur noua est. Sanè, si antiqui Patres, tam
Latini,

Latini, quam Græci, agnouissent hanc potestatem, reperissent aliquod saltem vocabulum, quo eam propriè expressissent. Id verò à nemine factum est.

Q V A E S T I O I I .

- *An Primatus ille, quem Rex habet in Ecclesia,
sit Ecclesiasticus & spiritualis?*

1. **H**oc alterum dissidium est. Sub Henrico & Edouardo semper appellatus est Primatus Ecclesiasticus & spiritualis, ut patet ex Sandero, qui sic habet: *Calvinus Henrici Primatum Ecclesiasticum oppugnauit. Item: Episcopus Roffensis, quod Henrici Primatum Ecclesiasticum nollet confiteri, ad mortem producitur. Item: Multi in custodiis propter negatum Ecclesiasticum Regis Primatum detenti. Item: Henricus mandauit, ut filius in fide Catholica educaretur, excepto Primatus Ecclesiastici titulo, quē ei reliquit. Item: Stephanus Vintonensis, Edmundus Londinensis, Cuthberius Dunelmensis, Nicolaus Vigoriensis, & Datus Cicestrensis Episcopi, timide restiterunt pueri Regis Primati spirituali, immo simpliciter subscripserat.*

2. Sub Maria, quæ Edouardo fratti successit, sublatus est hic titulus in Comitiis Londinensis, ut testatur Iacobus Thuanus lib. 9. historiarum sui temporis, his verbis: *Amiquatus iisdem Comitiis, Primatus Ecclesiastici titulus.* At sub Elisabetha iterum restitutus est, ut refert idem author lib. 15.

3. Hoc tempore, sub Iacobo, in contiouersiā vocatur. Aliqui non audent appellare Primatum Ecclesiasticum & spiritalem, sed Primatum quoad Ecclesiastica & spiritualia. Inter quos est Sacellanus Regis in Tortura Torti, pag. 90. ubi sic habet: *Neque verò quoad spiritualia, alium nos Regi Primatum tribuimus, neque quoad temporalia,*

poralia alium Pontifici detrahimus, quam debemus. Prior ille Regibus omni iure; posterior hic Pontifici, nullo iure debetur. Ego, cum primum legerem haec verba Sacellani, putabam illum pro eodem usurpare haec duo, *Primatus spiritualis, &c., Primatus quoad spiritualia.* Et similiter haec duo, *Primatus temporalis, &c., Primatus quoad temporalia.* At defensores & interpres Sacellani, Thomsonius & Burhillus, aliter sentiunt. Sic enim de hac re scribit Burhilus, pag. 55. *Non dicit (Sacellanus) Primum spiritualem, sed Primum quoad spiritualia, deberi Regibus omni iure.* Et pag. 133. in fine: *Etsi enim Regi tribuimus Primum in Ecclesiam, non tamen Primum spiritualem aut Ecclesiasticum ei tribuimus, sed potius Primum quoad res & personas spirituales & Ecclesiasticas.* Et Thomsonius pag. 31. *Non dixit (Sacellanus) Primum Ecclesiasticum aut spiritualem, quasi formaliter intelligat; sed quoad spiritualia, id est, obiectivè & materialiter.* quo sensu idem author, pag. 95. ait: *Diximus Regem gubernare quidem Ecclesiastica, sed non Ecclesiastice.*

4. Igitur, si quæras in Anglia, an Rex habeat Primum Ecclesiasticum, nec ne? Respondebitur hoc modo: Henricus, Edouardus & Elisabetha habuerunt Primum Ecclesiasticum; Iacobus non habet Ecclesiasticum, sed solum quoad Ecclesiastica. Ergo ne minus hic habet, quam illi habuerunt? Sic apparet. Ergo ne tam breui intervallo accusus & imminutus est *Primatus Regis* in Anglia? Ita aiunt. Ergo prope interitum est? Non dubito. Quid causæ? Audi ex triuio: *Quod citò fit, citò perit.* Audi ex sacro codice: *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur, Actor. 5. 38.*

QVÆSTIO III.

An Rex ab hoc Primate posset vocari Primas Ecclesiæ?

1. **H**enricus Salcolbrigiensis simpliciter affirmat. Sic enim scribit p. 140. *Dico Regem Angliae, Ecclesiæ Anglicanae Primatem esse.* Imò, tam certum ac indubitatum hoc esse vult, ut putet peccare contra publicam professionem Anglicanam, qui id neget. Nam pag. 177. sic habet: *Anglia Regem, Anglicana Ecclesiæ Primatem esse, in professione publica Anglicana veritatis sacris literis nixa ponitur.*

2. Tookerus & Burhillus simpliciter negant. Sic enim habet Tookerus pag. 3. *Olere autem malitiam, ac clamitare audaciam tuam illud videtur, cum Regem caput Ecclesiæ, Primatemque configas.* Et Burhillus pag. 133. *Nec Primatem quidem omnino Regem nostrum dicimus; multò verò minus Primatem Ecclesiasticum.*

3. Hinc formo duplex argumentum: *Alterum ex Tookero, in hunc modū: Qui dicit, Regem esse Primatem Ecclesiæ, audax & malitiosus est.* At Hēricus Salcolbrigiensis dicit, *Regem esse Primate Ecclesiæ.* Ergo audax & malitiosus est. *Alterum ex Henrico, hoc modo: Qui negat Regem esse Primatem Ecclesiæ, peccat contra publicam professionem veritatis in Anglia receptæ.* At Tookerus negat, *Regem esse Primatem Ecclesiæ.* Ergo peccat contra publicam professionem veritatis in Angliæ receptæ. Nimirūm, sic mulus mulum scabit.

4. Sed quæsti potest, uter rectius sentiat in hac re, Salcolbrigiensis, qui affirmat, *Regem esse Primatem Ecclesiæ;* an Tookerus, qui negat? Hæc lis pendet ex alia quæstione, an scilicet hæc duo nomina, *Primas,* &

Primatus, sint necessariò connexa seu coniugata? Sal-colbrigensis putat, necessariò cōnexa esse. Igitur; quia semel dixit, Regem habere Primum Ecclesiæ, consequenter affirmat, Regem esse Primum Ecclesiæ. Valet enim apud ipsum hoc argumentum à coniugatis: *Rex habet Primum. Ergo: Rex Primas est. Sicut & istud: Sacellanus habet Episcopatum. Ergo Episcopus est.*

1. Tookerus contra sentit. Nam pagina 6. disertè ait, Regem habere quidem Primum Ecclesiæ, non tamen esse Primum Ecclesiæ. Et è contrario, Archiepiscopum Cantuariensem non habere Primum Ecclesiæ; sed tamen esse Primum Ecclesiæ. Igitur negat has duas consequentias à coniugatis. 1. *Rex habet Primum. Ergo Primas est.* 2. *Archiepiscopus est Primas. Ergo Primum habet.* Fortè & has negaret. 1. *Sacellanus habet Episcopatum. Ergo Episcopus est.* 2. *Tookerus Decanus est. Ergo Decanatum habet.*

Q V A E S T I O I V .

An Rex à suo primatu posſit vocari supremum Caput Ecclesiæ.

1. **H**ic titulus primū usurpari cœpit ab Henrico Octauo, vt testantur passim authores, tam aduersarij, quam nostri. Sic enim scribit Iacobus Thuanus lib. 1. historiarum sui temporis: *Henricus, post diuortium, se caput Ecclesiæ constituit.* Et Polydorus Virgilius lib. 27. historiæ Anglicanæ: *Interea, post diuortium, habetur Concilium Londini, in quo Ecclesia Anglicana formā potestatis nullis ante temporibus visam induit.* Henricus enim Rex, Caput ipsius Ecclesiæ constituitur. Et Genebrardus lib. 4. Chronologiæ: *Henricus anno 1534. in publicis Comitiis, se caput Ecclesia Anglicana appellavit.* Et Nicol. Sād. in schismate

mate Anglicano: Ex qua dicendi formula primam occasio-
nem sumptam aiunt, ut Rex supremum caput Ecclesie An-
glicana dicereatur. Item: Proponebatur eis noua Comitiorum
decreta, & iubebantur iure iurando affirmare, Regem supre-
num Ecclesie esse caput. Et Caluinus in c. 7. Amos Pro-
phetæ: Qui tantopere extulerunt Henricum Regem An-
glie, certè fuerunt homines inconsiderati. Dederunt enim illi
summam rerum omnium potestatē; & hoc me graniter
semper vulnerauit. Erant enim blasphemi, cum vocarent eum
summum caput Ecclesie sub Christo.

2. Eodem titulo usus est Edouardus Henrici filius &
successor, ut patet ex Rescripto illius ad Thomam
Crammerum, Archiepiscopum Cantuariensem, quod
sic incipit: *Edouardus, Dei gratia, Angliae, Franciae, & Hy-
berniae Rex, supremum in terris Ecclesie Anglicane & Hy-
berniae, tam in causis spiritualibus, quam temporalibus, Ca-
put, Reuerendo Thoma Cantuariensi Archiepiscopo salutem.*
Eundem titulum tribuit illi Crammerus in Rescripto
ad Episcopos sibi subiectos, ubi sic habet: *Thomas, per-
missione diuina, Cantuariensis Archiepiscopus, per Illustrissi-
mum in Christo Principem Edouardum Regem Sextum,
supremum in terris Caput Ecclesie Anglicane & Hyberni-
ae, sufficienter & legitime authorizatus, tibi Edmundo Lon-
dinensi Episcopo, & omnibus fratribus Coepiscopis, vice &
nomine Regiae Maiestatis, quibus in hac parte fungimur,
mandamus, ut imagines ex Ecclesiis, cuiusque Diocesis, tol-
lantur. Et Nicolaus Sanderus in schismate Anglicano:*
Quam primum visum est, Henrici Octavi mortem diuulgare,
*statim Edouardus Henrici filius, nonum aetatis annum
agens, Rex Angliae proclamat, & summum Ecclesie An-
glicane in terris Caput, proxime secundum Christum
constituitur.*

3. Elisabetha, tametsi foemina esset, non tamen pu-
tavit, inferiorem se esse patre & fratre, in hac re. Itaque

& ipsa supremum Ecclesiæ Anglicanæ Caput appellata est. Sic enim de ea scribit Iacobus Thuanus lib. 15. historiarum sui temporis: *Elisabetha, recepto à patre & fratre titulo, Ecclesiæ caput per Angliam cœpit appellari.*

4. At hoc tempore, sub Iacobo, periclitatur hic titulus. Admittit quidē illum Sacellanus in Tortura Torti; sed Tookerus & Burhillus repudiant. Verba Tookeri, quæ paulò ante citauit, sunt hæc: *Oleare autem malitiam, & clamitare audaciam tuam videtur illud, cùm Regem Caput Ecclesiæ Primateq; confingas.* Similiter Burhillus, pag. 133. reprehendit quendam, tanquam *Petulcum, & Audaculum*, quod dixisset, Regem esse *Caput, Pastorem & Primatem Episcoporum.*

5. In hoc dissidio, quid agat Rex? Si admittit titulum supremi *Capitis Ecclesiæ in Anglia*, murmurabunt Tookerus & Burhillus: si respuit, quid dicet Sacellanus? Forte soproxi hæc lis poterit, si Rex, ut Sacellano dedit Episcopatum Eliensem, ita Tookero & Burhillo duos similes largiatur. Tunc facile, ne ingrati videātur, concedent Regi hunc titulum, & multò ampliorem.

QVÆSTIO V.

*An Primatus Regis consistat in aliqua potestate
vel iurisdictione Ecclesiastica.*

1. **H**ic magnum inter Anglos dissidium est. Nec facile intelligetur, nisi præmissa distinctione. Igitur potestas Ecclesiastica triplex est, ut docent Theologi. Una ordinis; altera iurisdictionis interioris; tertia iurisdictionis exterioris. Ad primam spectat, Sacra menta confiscere & ministrare: ad secundam, regere Ecclesiam in foro conscientiæ: ad tertiam, regere eandem in foro externo. Certum est, Regem, ratione Primatus,

non habere potestatem ordinis. Hoc fatetur Tookerius pag. 14. cum ait: *Reges non habent potestatem administrandi Sacra menta.* Certum quoque, non habere iurisdictionem fori conscientiae. Et hoc fatetur, pag. 63. *Omnis, inquit, iurisdictio in foro interiori, Sacerdotum est, nulla Regum.*

2. Tota controvërsia cūt an habeat Rex iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. Hic litigant Angli. Aliqui affirmant; alij negant; alij distinguunt. Affirmat Tookerius pag. 305. his verbis: *Qui habet plenissimā & amplissimam iurisdictionem in foro exteriore, potest eandē dare & auferre. Rex eam habet. Ergo potest eandē dare & auferre. Totum hoc liquet ex veteri & novo Testamento.* Et Henricus Salcolbrigiensis, pag. 140. *Reges sacro oleo vniuersiti; capaces sunt iurisdictionis spiritualis.* Et ibidem ex legibus Anglicanis: *Rex est persona mixta, utpote, qui & Ecclesiasticam & temporalem iurisdictionē habet, & quidem supremam.* Et pag. 144. *Per leges Ecclesiasticas in hoc regno approbatas, unus Sacerdos duo beneficia habere non potest, nec Bastardus sacris initiari.* Verum Rex Ecclesiastica potestate & iurisdictione, quam habet, in utroque dispensare potest.

3. Negat Thomsonius & Burhillus. Et quidē Thomsonius, pag. 80. sic scribit: *Primatus Ecclesia non est definiendus per iurisdictionem Ecclesiasticam, sed per gubernationem supremam.* Et pag. 95. *Diximus Regem gubernare quidem Ecclesiastica, sed non Ecclesiastice, quia scilicet non habet iurisdictionem Ecclesiasticam, sed dūtaxat temporalem.* Burhillus vero, pag. 234. concedit hanc propositionem negatiuam: *Rex nullam habet iurisdictionem Ecclesiasticam, nec in foro interiori, nec in exteriori.*

4. Distinguuit Episcopus Eliensis, apud Tookerum pag. 305. his verbis: *Habet Rex omnem iurisdictionem spiritualē in foro exteriori, exceptis quibusdam cœsuris.* Igitu ad

ad hanc quæstionem, an Rex, quatenus est Primas seu caput Ecclesiæ, habeat aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam seu spiritualem fori exterioris, sic respondendum est. Primò, cum Tookero & Salcolbrigensi: *Habet amplissimam plenissimam supremam.* Secundò, cum Episcopo Eleni: *Habet aliquam, non omnem.* Tertiò, cū Burhillo & Thomsonio: *Nam nullam penitus habet.*

Q V A E S T I O V I .

*An Rex propria authoritate possit Synodos
inducere*

1. **S**equitur dissidium de officiis Primatus Regij. Sunt autem sex officia, de quibus disputari potest. Primum, Indictio Synodorum. Secundum, sanctio legum Ecclesiasticarum. Tertium, collatio beneficiorum. Quartum, creatio & depositio Episcoporum. Quintum, excommunicatio. Sextum, controversiarum decisio. Est ergo quæstio, an haec officia pertineant ad Primatum Regis? Dicam de singulis ordine.

2. Primò queritur, An Rex, ratione sui Primatus, possit propria authoritate conuocare Synodos, & in iis præsidere? Hoc certò persuasum fuit tempore Hericī, Edouardi, & Elisabethæ. Nam sub Iacobo controvenerit. Affirmat Salcolbrigensis, pag. 121. his verbis: *Christiani principes in regnis suis cum laude, propria authoritate Synodos conuocarunt, Constitutiones condiderunt, causas audierunt & cognoverunt.* Et pag. 146. *Rex Anglie potest Synodos indicere omnium Ordinum œcumenicas, & in iisdem præsidere.* Et pag. 155. *Reges Angliae suprema sua autoritate, de iure, Synodos conuocarunt.*

3. Tookerus in hoc punto varius est, & nunc sibi
P 2 ipſi,

ipſi, nunc aliis contradicit. Hoc patet ex variis eius testimoniis. Primum habetur, pag. 37. vbi ſic ait: *A quibus magis & quū est indici Concilia, quam ab illis, penes quos ſemper fuit authoritas ea congregandi?* Cūm autem communiter triplex poni soleat Conciliū, Generale, Prouinciale, & Diœcesanum; Concilium generale ſolius Papa iuſſu celebrari vultis. Sed nego, illud, niſi ab Imperatoribus & Regibus ſimul consentientibus hodie indici debet: Prouinciale à Metropolitanō, cum ſuis Suffraganeis: Diœcesanum ab Epifcopo, cum Curatis, Recltoribus & Clericis Diœceſeos. Ex hoc testimonio colligitur, Regem Angliae nullum Concilium propria authoritate poſſe indicere. Nō Generale, quia hoc pertinet ad communem conſenſum Regum & Imperatorum. Nec Prouinciale, quia hoc pertinet ad Metropolitanum. Nec Diœcesanum, quia hoc pertinet ad Epifcopum. Quid ergo reliquum eſt Regi?

4. Alterum habetur pag. 41. his verbis: *Abundē liquet ex Conciliis ipſis & historia Ecclesiastica, Prouincialia Concilia & Nationalia ab Imperatoribus ac Regibus fuſſe congregata.* Hoc planè pugnat cum præcedente. Ibi aſſeritur, Concilia Prouincialia indici à Metropolitanis: hīc, à Regibus & Imperatoribus. Ibi, diſtinguitur triplex tantum Concilium, Generale, Prouinciale, Diœcesanum: hīc additur quartum, Nationale.

5. Tertium habetur pagina 42. vbi proponit hanc quæſtionem: *Quo igitur iure tantam ſibi potestatem arroga Pontifex ſolus? Nū diuino?* Et paulò post ſubdit: *Erat Apostolorum omnium, non unius tantummodo, & indicere Concilium, & ſtatuere cum verborum ſolennitate; Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Quasi dicat; iure diuino, non ſolus Petrus, ſed omnes Apoſtoli, pari potestate, indixerūt Concilium Hierofolymitanum, & ſanciuerunt legem de ſanguine & ſuffocato: Ergo ſimiliter, iure diuino, non ſolus Pontifex, ſed omnes Epifcopi, pari potestate, debent

debent indicere Concilium, & sancire leges Ecclesiasticas. Sanè, si ita est, omnino sequitur, potestatem indicendi Concilia, non ad Reges & Principes seculares; sed ad Apostolos & eorum successores, iure diuino pertinere.

6. *Quartum* habetur, pag. 63. vbi ait: *Mixtum autem ius, & resultans ex utroque, & iure Regio & Episcopali, est legum sanctio, & Synodorum indictio, & praesidendi in iis prerogativa, & controversiarum decisio, aliorumq[ue] actuum, qui his finitimi sunt, exercitiū: quæ ferè ab origine Primatus Regij descendunt, & communicantur Sacerdotibus. Hoc iterum pugnat cum præcedente. Ibi dicitur, indictiōrem Synodorum, iure diuino, ad Apostolos pertinere; Hic dicitur primariō pertinere ad Reges, & ab illis ad Episcopos deriuari. Hæc non cohærent.*

QVÆSTIO VII.

An Rex possit leges Ecclesiasticas condere?

1. **C**onstat, Henricum Octauum, tum per se, tum per Vicarium suum generalem, id fecisse. De Henrico sic scribit Sanderus in schismate Anglicano: *His diebus, vigilissimus hic Ecclesiæ Pastor Henricus, quo in posterum sciretur, quæ cui ritè nupta esset, legem ediderat perpetuam de nuptiis, Comitorum etiam auctoritate firmatam, qua statuebatur, ut si quæ persona in Leuitico non prohibita, solo consensu, per verba de presenti, matrimonium, nulla carnis copula subsecuta, contraxerint; et vero amba postea, vel earum altera, nuptiis cum altera persona in Leuitico non prohibita contractis, carnali copula easdem consummauerint; hæ posteriores, quas firmasset copula, non priores illæ, quas solius consensus statuisset, ratae atque legitime haberentur: adeò, ut cum olim iuris gentium fuisset regula, Nuptias non concubitus, sed consensus*

facit; iam deinceps Henrici regula esse coepit. Nuptias non consensus, sed concubitus facit. Et tamen ipse legislator, contra suam ipsius regulam, uxore Annam Cliensem, cuius nuptias, non solo consensu, sed septem etiam mensum concubitu firmauerat, eo solum praetextu reiecit, ipsaq; viuente alia superinduxit, quod alteri, nescio cui, cōsensum antea prabuisse fingeretur. Huius ergo legis tantopere postea puduit ipsos Protestantes, ut mortuo Henrico, eam ipsi reuocauerint, atq; irritam fecerint.

2. De Vicario autem generali, sic habet: Septembri mense, auctoritate sua Vicaria, Canones quosdam Ecclesiasticos, quos Injunctiones vocabat, sigillo Vicariatus sui munitos, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & reliquo Clero prescripsit, in quibus, praeter cetera, iubebantur Parochi sub gravissimis paenit, ut orationem Dominicam cum salutatione Angelica, Symbolum item fidei, & decem Decalogi precepta, aliaq; huiusmodi, Anglice in posterum in Ecclesias docerent.

3. Angli, qui hoc tempore scribunt de Primatu Regio, non consentiunt in hoc punto. Nam aliqui dicunt, sanctionem legum Ecclesiasticarum, iure dinino, pertinere ad Episcopos; alij ad Reges & Imperatores. Priorrem partem docet Tookerus, pag. 42. vbi ait, Apostolos in Concilio Hierosolymitano sanciuuisse hanc legem Ecclesiasticam: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, nisi haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato.* Et hoc fecisse eos iure diuino. Posteriorem docet Thomsonius, pag. 80. vbi dicit, Episcopos & Concilia non posse condere ullam legem Ecclesiasticam, quae habeat vim legis, nisi accidente auctoritate Regis vel Imperatoris. Verba eius sunt haec: *Decreta Conciliorum & Patrum Ecclesiasticis censuris, & eorumque tantum stetissent, nisi legum vim Cesarea aura ipsis afflasset.*

¶ Hic iam patet dissidium. Nam illa lex Ecclesiastica, quam Apostoli condiderunt, habuit sine dubio vim legis. Hoc enim colligitur ex illis verbis: *Visum est, nihil ultra imponere vobis oneris, nisi haec necessaria.* Hanc autem vim non habuit ab afflatu auræ Cælareæ, quia neque Tiberius, neque Pilatus, neque Herodes, neque ullus aliis Princeps seculari, qui tunc vixerit, afflauit illi vim legis; sed habuit ab ipsis Apostolis. Ipsi enim auctoritate & potestate Apostolica, quam a Christo acceperant, legem illam sanxerunt & promulgauit. Eandem potestatem nunc habent Episcopi, non Reges aut Imperatores.

QVÆSTIO VIII.

An Rex propria auctoritate possit conferre beneficia Ecclesiastica?

1. **A**ffirmat Henricus Salcolbrigiensis, pag. 121. His verbis: *Christiani Principes in suis regnis, cum laude, propria auctoritate, beneficia cotulerunt.* Et pag. 150. *Audin Iesuita, non modo collationes beneficiorum ad Angliae Reges spectare, sed ad eosdem illos spectare, uti Ecclesias Anglicanae Primate, vel supremos Ordinarios?* Et pag. 142. *Rex ratione supremæ sue Ecclesiastice iurisdictionis, presentabit ad liberas Capellas.*

2. Negat Tookerus, pag. 36. vbi de Regibus Angliae sic loquitur: *Beneficia autem curata, vel non curata, non conferunt omnino in quempia, maiora minoraque: multo minus dignitates Ecclesiasticas, sive Episcopatus, sive Archiepiscopatus, per uniuersum ambitum regni sui.* Eorum certè collatio vel institutio est, quorum est destitutio, id est, Episcoporum coprourinalium, qui potestate habent personas ipsas sacrari. Hoc habet iuris Regia Maiestas, quod minor & subordinata potestas habet; ius, inquam, nominandi & presentandi apud nos.

3. En triplex dissidium inter hos duos authores, & quidem in re quotidiana & vulgari. Primum est; Henricus dicit, collationem beneficiorum spectare ad Reges Angliae, quatenus sunt Primates Ecclesiae Anglicanae: Tookerus contra, non ad Reges, sed ad Episcopos pertinere. Alterum: Henricus dicit, Reges propria auctoritate sepè contulisse beneficia: Tookerus, nunquam conferre aut contulisse. Tertium; Henricus dicit, Reges, ratione supremæ iurisdictionis Ecclesiasticae, presentare ad beneficia: Tookerus, Reges in hac re non habere plus iuris, quam subditos & inferiores. *Hoc, inquit, juris habet Regia maiestas, quod minor & subordinata potestas habet.* Vtri credat Rex Iacobus, si pingue beneficium, aut Archiepiscopatus conferendus sit?

QVÆSTIO IX.

An Rex possit Episcopos creare & deponere?

1. Affirmat Henricus Salcolbrigensis, pag. 121. *Christiani, inquit, Principes in suis regnis, cum laude, propria auctoritate Episcopos crearunt & deposuerunt.* Et pag. 144. *Rex Anglie Archidiacono Richmundia Episcopalem cocessit iurisdictionem.* Et pag. 155. *Reges Angliae, suprema sua auctoritate, de iure, atque cum laude omnium ordinum, Episcopos elegerunt, ac proin deponere potuerunt.* Et pag. 167. *Constat Christianos Principes cum laude Episcopos elegisse & deposuisse etiam Romanos.*
2. Negat Tookerus, loco citato. Ibi enim duo requirit, ad constitueretur seu creandum Episcopum. 1. Consecrationem personæ. 2. Episcopatum. Addit, Regem neutrum praestare posse. Nec enim posse conferre illa beneficia, multò minus Episcopatum aut Archiepiscopatum: nec habere potestate in sacrandi personas.

Vnde

Vnde etiam alibi fatetur, tantum abesse, ut Rex Iacobus possit Episcopos creare & deponere; ut potius agnoscat se illorum alumnū & discipulum. Sic enim scribit pag. 311. Serenissimus ac pientissimus Rex noster Jacobus non habet quicquam antiquius & honorificentius, quam ut cum Valentianino filium se Ecclesiae profiteatur, & cum Theodorico Italiae Regi se alumnū Ecclesiae, & discipulum Archiepiscoporum suorum & Episcoporum, liberenter recognoscat.

3. Hoc dissidium magni momenti est. Nam si Rex non potest creare seu constituere Episcopos, ut ait Tookerus; planè sequitur, Thomam Crammerū, qui à Rege creatus est Archiepiscopus Cantuariensis, non fuisse verum, sed falsum Episcopum: non Pastorem, sed prædonem: nō per ostium intrasse in ouile ouium, sed aliunde ascendisse. Ex quo rursum tria sequuntur.
 I. Omnes alios Episcopos, qui postea, vel à Crammero, vel à Rege creati sunt, fuisse similes Crammero.
 II. Quidquid ab iis authoritate & iurisdictione Episcopali factum est, nullius roboris & momenti esse.
 III. Eosdem teneri ad restitutionem omnium prouentuum, quos ratione Episcopatum acceperunt.
 Quid hic consilij capiendum? Videant Academicī.

Q V A E S T I O X.

An Rex possit subditos contumaces excommunicare?

I. **H**ic Angli redigunt Regem suum ad communem ordinem: Et quæ prius illi concederant, videntur h̄ic reuocare. Aiunt, Regem nō posse quemquam suorum subditorum excommunicare; posse tamen ab iis excommunicari, & ex Ecclesia Anglicana,

cuius supremum caput est, expelli. Priorem partē tradit Tookerus, pag. 15. his verbis: *Rex non habet potestatem distringendi gladium spiritualem, vel quempiam excommunicandi.* Et Sacellanus, pag. 151. *Nos Principi censurę potestatē nō facimus.* Et Thomsonius, pag. 83. *Excommunicare nullo modo ad Suprematum Ecclesiae pertinet.* Et pag. 84. *Omnis sicutem Regem excommunicandi potestatē nullam habere.*

2. Posteriorem tradit Burhillus, pag. 137. cùm ait: *Quod Ambrosio licuit in Theodosium, idem & aliis in Regem, simili de causa, liceat, id est, sicut Ambrosio Episcopo licuit excōmunicare Theodosiū Imperatorem, ita & nostris Episcopis licet excōmunicare Iacobū Regē, si similiter peccet.* Et pag. 242. *Supremus Ecclesie gubernator, nempe Rex, potest eiici ex Ecclesia.* Et pag. 267. *Rex, et si iustissime excommunicatus, non amittit Primum.*

3. Non video, quomodo hæc cohærat cum iis, quæ hactenus tributa sunt Règi. Tributum illi est, quòd sit Primas, & supremum caput Ecclesiae Anglicanæ; quòd sit supra omnes personas, tam Ecclesiasticas, quam laicas, in suo regno; quod habeat supremā, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam, nō minus quam politicam & temporalem. Et tamen cùm tantus sit, non potest quenquam suorum subditorum, nec laicum, nec Ecclesiasticum, quantumvis rebellem & contumacem, excommunicare? Imo, cum tantus sit, potest à suis subditis excommunicari, & eiici ex Ecclesia Anglicana, cuius supremum caput est? Non capio hoc mysterium.

4. Addam tria argumenta, quæ augebunt difficultatem. *Primum est;* Qui habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in aliquo regno, potest exercere omnes actus, qui pertinent ad iurisdictionem Ecclesiasticam illius regni; sed Rex habet

habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in tegno Angliae, ut fatentur Tookerus & Salcolbrigiensis. Ergo potest exercere omnes actus pertinentes ad iurisdictionem Ecclesiasticam regni Angliae. Ergo etiam potest excommunicare. Nam excommunicatio, quae per sententiam fit, Ecclesiastice iurisdictionis actus est. Vel contra, si vis: Qui non potest exercere omnes actus Ecclesiastice iurisdictionis in aliquo regno, non habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in illo regno; sed Rex Angliae non potest exercere omnes actus Ecclesiastice iurisdictionis in suo regno, quia non potest quenquam excommunicare. Ergo non habet supremam, amplissimam & plenissimam iurisdictionem Ecclesiasticam in suo regno.

5. Alterum est; Qui alteri dat potestatem excommunicandi, is sine dubio habet potestatem excommunicandi, quia nemo potest alteri dare, quod ipse non habet: sed Rex Angliae dat Episcopis potestatem excommunicandi. Ergo ipse habet potestatem excōmunicandi. Minor probatur ex Tookero, pag. 304. ubi fatetur, Episcopos omnem iurisdictionē Ecclesiasticā fori exterioris accipere à Rege. At potestas excōmunicandi pertinet ad iurisdictionē fori exterioris, ut expressè docet Sacellanus, pag. 41. & Tookerus, pag. 305. cùm ait: *Rex habet omnem iurisdictionem spiritualem in foro exteriori, exceptis quibusdam censuris.* Excipit autem excōmunicationem. Vbi iterum notanda est contradic̄tio Tookeri. Nam censuras, inter quas est excōmunicatio, referunt ad iurisdictionem fori exterioris. Recte quidem. Sed duo addit, quae pugnant. 1. Regem dare Episcopis omnem iurisdictionem fori exterioris. 2. Regem non habere omnem iurisdictionem fori exterioris.

6. Tertium est; Qui alicui alteri subiectus est in iurisdictione

risdictione Ecclesiastica fori exterioris , non habet supremam , plenissimam , & amplissimam iurisdictionem Ecclesiasticā fori exterioris, sed Rex alicui alteri, nempe Episcopo subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica fori exterioris, quia potest ab eo per sententiam excommunicari , & ex Ecclesia eiici, ut fatetur Burhillus: Ergo nō habet supremam, plenissimam & amplissimam iurisdictionem Ecclesiasticā fori exterioris. Vel, si maiis, cōtra. Qui nulli alteri subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica, non potest ab vlo per sententiā excommunicari: sed Rex, si habet supremam iurisdictionem Ecclesiasticam, nulli alteri subiectus est in iurisdictione Ecclesiastica: Ergo non potest ab vlo per sententiam excommunicari. Aduertis, opinor, hæc non cohærente.

QVÆSTIO X I.

*An Rex sit Index omnium controuersiarum
in Ecclesia?*

1. **C**ontrouersiæ, quæ oriuntur in Ecclesia , sunt duplices: aliæ circa fidem & religionem ; aliæ circa res alias Ecclesiasticas. Est ergo prior quæstio , an Rex, ratione sui Primatus, sit supremus iudex omnium controuersiarū, quæ pertinent ad fidem & religionem? Affirmat Hentricus Salcolbrigensis , p. 163. his verbis: *Si luce clarius est, Christianos Principes, cum laude, controuersias fidei diiudicasse & diremisse, etiam in uniuersalibus octo Conciliis, id est, Niceno I. Constantinopolitano I. Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II. Constantinopolitano III. Niceno II. Constantinopolitano IV. in quibus variæ controuersiæ fidei diiudicatae & direptæ sunt; præsertim de diuinitate Christi, contra Arium; de diuinitate Spiritus sancti, contra Macedonium;*

donium ; de vna Christi persona , contra Nestorium; de duabus in Christo naturis, cōtra Eutychen & Dioscorum: & sic deinceps. Has omnes controuersias , ait Salcolbrigensis , ab Imperatoribus & principibus saecularibus diiudicatas ac diremptas esse.

2. Contrarium asserit Tookerus, qui nullo modo vult Reges aut Imperatores esse iudices controuersiarum fidei. Sic enim habet p. 3. *Oltre autem malitiam ac clamitare audaciam tuam illud videtur, cum Regem caput Ecclesiae Primateque confingas, omniumque causarum & controuersiarum, quae ad eadem & religionem pertinent, Iudicem tribuas.* Et p. 50. *Rex in suo regno, omnibus superior sit, nulli subditus: Fidei iudex ne appelletur quidem.* Et p. 3.13. *Reges Christiani non sunt fidei ac religionis iudices.*

3. Igitur, si in Anglia oriatur dissensio de aliquo punto fidei ac religionis, ut v. g. de reali præsentia Christi in Eucharistia ; quid facerent Academicci ? quid ciues, quid reliqui subditi ? An adirent Regem tanquam iudicem, & ab eo sententiā peterent ? Non faceret Tookerus. An alium iudicem postularēt ? An alium non ferret Salcolbrigensis. Quid ergo futurum esset ? Id planè, quod haec tenus factū est in dissensione de Primatu Regio. Semper litigat Angli de hoc Primatu : nūquam finiri lis potest. Quid causæ ? quia diversi diuersa sentiunt, & certum iudicem, qui litem dirimat, reperire non possunt ; vel potius, non volunt. Hæc hæreticorum proprietas est.

4. *Posterior questio;* An Rex sit iudex omnium controuersiarum, quæ alias res Ecclesiasticas concernunt ? Affirmat Salcolbrigensis, p. 165. cum ait: *Audin controuersias Episcopales ab Imperatore diremptas?* Quid sentiat Tookerus, non satis constat. Aliquando videtur affirmare, ut p. 24. *Nemini, inquit, dubium est, quin in primi- tiva Ecclesia, de rebus & personis Ecclesiasticis, ius dicerent Imperatores.* At p. 13. videtur negare: *Non est princeps, in- quid,*

quit, supra res, sed supra personas. Et pag. 49. Rex in suo regno supremus est, non supra res, sed supra homines. Vbique dissidium.

Q V A E S T I O X I I .

Vnde, & quo titulo Rex habeat Primum Ecclesia?

1. **S**ensus est, an Rex ex eo præcisè, quia Rex est, an ex eo potius, quia Rex Christianus est, habeat Primum Ecclesiæ? Priorem partem videtur amplecti Thomsonius, p. 78: cum ait: *Omnes Principes, etiam Paganis, obiectiue habent supremam potestatem in omnes omnino personas suorum subditorum, & generatim in res ipsas, siue ciuitates, siue sacrae, ut in cultu diuino & religione procuranda, saltem quoad modum & exercitium.* Et p. 94. *Primatus est Regium bonum, quo censura tolli non potest. Nec est absurdum, Regem velut ethnicum, esse Primum Ecclesiæ.* Et ibidem: *Rex ethnicus, cum Christo iniciatur, non acquirit Primum de novo. Cui consentit Burhillus, p. 251. Rex, inquit, titulus Regis temporalis, potest sibi vendicare & assumere Primum Ecclesiæ.* Et p. 267. *Rex, et si iustissime excommunicatus, non amittit Primum in rebus Ecclesiasticis.*

2. Contrarium docet Sacellanus in Tortura Torti, p. 39. ubi afferit, Primum Ecclesiæ conuenire Regi, non quia Rex, sed quia Rex Christianus est; id est que Reges ethnicos non habere Primum Ecclesiæ, quamdiu ethnici sunt, sed cum accipere, quando fiunt Christiani; & rursum amittere, quando excommunicantur. Verba eius sunt hæc: *An non Regi ethnico prestare fidem fas? Imo nefas non prestare. In ethnico enim est vera potestas temporalis, id est sine ordine ad potestatem Ecclesiasticam.* Et paulò post: *Rex qui uis, cum de ethnico, Christianus fit, non perdit*

terre

terrenum ius, sed acquiriri ius nouum. Itidem, cum de Christiano sit sicut ethnicus, vigore sententiae amittit nouum ius, quod acquisinerat, sed retinet terrenum ius in temporalibus, quod fuerat illi proprium priusquam Christianus ficeret.

3. Exsententia Thomsonij & Burhilli sequitur, omnes Reges, siue Christiani, siue Ethnici, siue cuiuscunque sectae ac religionis sint, habere Primum Ecclesiae in suis regnis. Igitur, omnes Anglos & Scotos, qui viuunt Constantinopoli, subiectos esse Imperatori Turcarum in rebus Ecclesiasticis; qui in Hispania, subiectos esse Philippo Regi; qui Romæ, Pontifici; & sic deinceps. Quid ergo facient, si Turcarum Imperator iubeat eos faciunt Alcoranum sequi; si Rex Hispanie, ad Missam audiendam adigat; si Pontifex ad orandum pro defunctis hortetur; si Rex gentilis ad idololatriam impellat? An parebunt imperio? At contra conscientiam. An non parebunt? Sic actum est de Primo Ecclesiae. Dicent fortè, se parituros, ubi visum est. Ergone subditi erunt iudices suorum Regum? Ergone Catholici in Anglia poterunt usurpare hanc vocem: *Audi Rex, in hoc puncto visum est parere tuo imperio, in isto non est?*

Q V A E S T I O X I I I .

An Rex possit cogere suos subditos ad iuramentum Primatus?

1. **H**AETenus actum est de dissidio Anglorum circa naturam, officia, & originem Primatus Regij. Nunc superest quæstio practica, quæ proxime conscientiam attingit, an scilicet Rex possit cogere suos subditos, ut sub iuramento affirment, se agnoscerre Primum Regium, de quo dictum est? Vel, se agnoscer Regem, tanquam Primatem & supremum caput

caput Ecclesiæ Anglicanæ, cui tanquam Primi & supremo capiti velint fidelitatem polliceri, non minus in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus, quam in politicis & temporalibus. Habet autem duo puncta hæc quæstio. *Vnum est*, an Rex Angliæ de facto exigat, vel exigerit tale iuramentum à subditis? *Alterum*, an si exigat, subditi in conscientia reneantur illud præstare? De utroque seorsim dicam.

PRIVS PVNCTVM.

2. Igitur prius punctum est, an Rex Angliæ exigat vel aliquando exigerit tale iuramentum à suis subditis? Constat, Henricum Octauum exegisse. Sic enim scribit Nicolaus Saderus in Schismate Anglicano: *Laurentius Cachus, Prior Cœnobij Dancastrensis, unà cum tribus Monachis, & duobus Laicis, Egidio Horro, & Clemēte Philpotto, quod nollent Ecclesiasticum terreni Regis Primum iurato confiteri, exclusi è terris, ad cœlestem æterni Regis gloriam transmissi sunt.* Et iterum: *Proponebantur eis noua Comitiorum decreta & iubebantur iure iurando affirmare, Regem Ecclesiæ supremum esse caput.*

3. Henricum imitata est Elisabetha; parentem filia. Et quidem formula iuramenti, quod exigit, est huiusmodi: *Ego A. B. prorsus testificor & declaro in conscientia mea, Reginam esse solam supremam gubernatricem, & istius Regni Angliae, & aliorum omnium sue Maiestatis dominiorum & regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus, & quod nemo externus Princeps, persona, Prælatus, status, vel Potentatus, aut facto aut iure habet aliquam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præminentiam, vel autoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno.* Ideoque planè renuntio & repudio omnes forinsecas iurisdictiones, potestates, superioritates atque authoritates.

4. Idem nunc facit Jacobus Rex; qui non uno tan-

tum,-

tum, sed dupli iuramento obstringit suos subditos: altero Primatus; altero fidélitatis. Prius sic incipit: Ego A.B. palam testor, & ex conscientia mea declaro quod Majestas Regia, unicus est supremus Gubernator huius Regni, omniumque aliorum sue Maiestatis dominiorum & territoriorum, tam in omnibus spiritualibus sine Ecclesiasticis rebus & causis, quam in temporalibus. Et quod nullus extraneus Princeps, persona, Prælatus, statutus aut potentatus, habeat aut habere debet ullam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præminentiam vel autoritatem Ecclesiasticam sine spiritualem intra hoc regnum, &c. Posteriorius sic incipit: Ego A.B. verè & sincrè agnoscō, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea, coram Deo & Mundo, quod supremus Dominus noster Rex Iacobus, &c.

5. Hoc utrumque iuramentū integrē habetur in Apologia Regis: Et in utroq; exigitur à subditis, ut palā profiteantur & agnoscent, Regē Iacobū esse supremū gubernatō ac Dōminū totius Angliæ, nō solū in rebus politicis ac temporalibus, sed etiā in ecclesiasticis & spiritualibus: Et quod nec Papa, nec quiuis aliis extraneus habeat ullā potestate, aut iurisdictionē in Ecclesia Anglicana. Porro prius iuramentū primō introductum est ab Hérico Octauo, ut facetus Iacobus in Apologia, his verbis: Sub Henrico Octauo primū introductū est iuramentū Primatus sub eoque Thomas Morus & Roffensis supplicio affecti; idque partim ob eam causam, quod iuramentū illud recusarēt. Ab eo deinceps omnes mei predecessores, quotquot sunt hanc religionem amplexi, idem sibi, aut non multo secus asservuerunt. Posteriorius à Iacobo excogitatum est.

ALTERVM PVNC TVM.

6. Estergo quæstio, an omnes subditi, qui in Anglia sunt, teneantur in conscientia præstare utrumque hoc iuramentum, quotiescumque Rex illud exigit? an

Opusc. Tom. III.

Q

po

potius debeant carceres, tormenta, & mortem ipsam sustinere, quam id praestent? Catholici nihil dubitant de priori. Certum fixumque illis est, vitam potius amittere cum glorioissimis Martyribus 1. Thoma Moro & Episcopo Roffensi, quam Primum Regium astruere, & Pontificium abiurare. De posteriori, ante paucos annos, non nihil dubitatum est. Nam aliqui ex Catholicis, quia non tatis videbant vim & scopum illius iuramenti, aliquantis per hesitarunt, an salua conscientia iurare possent, nec ne. Quæ tamen dubitatio non diu durauit, sed confessim à Paulo V. Pontifice Maximo, & Cardinali Bellarmino sublata est. Nam Pontifex misit duo Brevia Apostolica ad Catholicos in Angliam; & Bellarmi^{nus} scripsit Epistolam ad Bla-
cuellum Archipresbyterū de hac ipsa re. Vterq; negat, salua conscientia, id fieri posse. Et ratio illorum est, quia nemo salua conscientia, potest abnegare fidē Catholicā: sed qui praestaret iuramentum à Rege propositū, abnegaret fidem Catholicā, nō quidem generatim, sed tamē quoad aliquem eius articulum; Ergo nemo, salua conscientia, praestare potest hoc iuramentum.

7. Hanc rationem, quæ sanè optima est, admittunt Catholicī; non idem Aduersarij, Ego, in gratiam Catholicōrum, qui in Anglia sunt, statui duas alias adferre, praesertim contra iuramentum Primatus, quæ ne ab aduersariis quidem repudiari poterunt. Prima est hæc; Nemo in conscientia tenetur affirmare sub iuramento, quod vel apertè falsum, vel certè dubium est: At, quod Rex, sit Primas & supremum Caput Ecclesiæ, cui non solum in temporalibus, sed etiam in ecclesiasticis parendum sit, vel apertè falsum, vel certè dubium est. Ergo nemo in conscientia tenetur hoc affirmare sub iuramento. Maior per se nota est, quia ne affirmare quidem licet, quod vel falsum, vel dubium est;

est ; multò minus , sub iuramento affirmare. Minor probatur , quia tam apud Caluinistas , quām apud Catholicos , appetè falsum censemur , quod Rex sit Primas & supremum caput Ecclesiæ . Apud Anglos verò , qui Regi adhærent , in dubium vocatur. Nam ex illis , alij affirmant , alij negant hæc puncta , quæ sequuntur. 1. *Rex est Primas Ecclesiæ.* 2. *Rex est supremū Caput Ecclesiæ.* 3. *Rex habet Primatum Ecclesiasticum.* 4. *Rex habet potestatem & iurisdictionem ecclesiasticam.* 5. *Rex potest propria auctoritate convocare Synodos , & in iis præsidere.* 6. *Potest conferre beneficia ecclesiastica.* 7. *Potest creare & deponere Episcopos.* 8. *Est iudex controversiarū fidei.* Sanè , si hæc & similia puncta , apud ipsos Anglos , qui Regi fauent , incerta sunt , cum ab aliis negentur , ab illis affirmantur ; totum Primatum incertum esse , necesse est. Quæ ergo temeritas & imprudentia est , obligare velle Catholicos in conscientia , ut iurati affirment id , quod ipsi falsum , alij dubium esse censemur ?

8. Articulatius dicam , quod dixi. Iuramentum Primatus Regij continet tot partes , quot sunt , vel putantur esse officia Primatus Regij. Sunt autem , vel putantur esse varia officia , ut supra visum est , nempe , convocare Synodos , sancire leges Ecclesiasticas , conferre beneficia , creare Episcopos , fidei controversias dirimere. Igitur , variae sunt partes iuramenti Primatus Regij. Ex illis , hanc unam seorsim accipiamus : *Ego A.B. in conscientia mea iuro , me fidelem & obsequentem fore Regi , quotiescumque propria auctoritate creabit Episcopos , quos vult , & deponet ab officio , quos vult.* Si hæc pars exigatur ab omnibus , qui in Anglia sunt , quid futurum putamus ? An omnes , etiam illi , qui Regi adhærent , iurati sunt ? Faciant , qui volent ; Tookerus certè , si vir constans est , facturus non est. Negat enim creationem & depositionem Episcoporum ad Regem pertinere.

nere. Etsi is factus non est, qui alioqui agnoscit Primatum Regium (saltē verbo) quomodo Catholici compellentur, ut faciant, qui illum penitus ignorat? Quod dixi de hac parte, de reliquis similiter dicendum est.

9. Altera ratio est hæc: Iacobus Rex sæpe protestatur. se non plus iuris védicare sibi in Ecclesiam, quam olim fecerunt Reges in veteri Testamento; ac proinde Primatum suū insdem terminis definiri, quibus olim in veteri Testamento definiebatur. Atqui Reges in veteri Testamento non poterant subditos suos cogere ad huiusmodi iuramentum: *Ego A.B. palā testor, & ex conscientia mea declaro, quod Ioroboā est unicus supremus Gubernator huius regni Israëlitici, tā in spiritualibus, quā in temporalibus.* Et quod nullus extraneus habet aut habere debet ullā iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præminentiam, vel autoritatem in hoc regno. Ergo nec Iacobus Rex potest cogere subditos suos ad simile iuramentum. Maior patet ex Apologia Regis. Minorem sic declaro. Post mortem Salomonis, regnum in duas partes, Deo disponente, diuisum est: quartū altera decem tribus, altera duas cōpletebatur. Igitur duo deinceps erāt regna distincta, duo Reges, quorum alter ab altero non pēdebat in regimine temporali. Alter vocabatur Rex Israël; alter Rex Iuda. Vtque habebat suos successores. Primi post diuisionem factam, fuerunt Ieroboam Rex Israël, & Roboam Rex Iuda. In utroque regno erāt Leuitæ & Sacerdotes. At summus Pontifex non poterat simul in utroque commorari, sed in altero tantum, ac potissimum in regno Iuda. Nihilominus præerat omnibus Leuitis ac Sacerdotibus, qui in utroque regno versabantur. Nec Ieroboam poterat legitimè dicere suis Leuitis ac Sacerdotibus: *Nolite obtemperare summo Pontifici, qui habitat in regno Iuda; mihi soli obedite; ab illius iurisdictione & potestate excepti estis.* Et si dixisset, sine dubio peccasset.

set. Si ergo Ieroboā Rex nō potuit Leuitas & Sacerdotes sui regni eximere à iurisdictione & potestate extranei Pontificis ; quo ipse id facit Iacobus Rex Angliæ p̄fertim cū afferat, se non plus iuris vendicare sibi in Ecclesiā, quām Reges veteris Testamēti sibi vēdicarūt.

E P I L O G V S.

1. **Q**uæ hactenus dicta sunt, ad tria capita possunt reuocari. Primum est, Primum Regis in Ecclesia, rem esse nouam, quæ ab Henrico Octavo p̄mū introducta est, nec alibi hactenus, quām in regno Angliæ usurpata. Alterum, totelle dissensiones Anglorum circa hunc Primum, ut, quid sit, & quam vim habeat, certò inter ipsos constare non possit. Tertium, iuramentum huius Primatus, nec exigi à Regi, nec à subditis p̄fēsti posse.

2. Hinc aliae tres quæstiones, quæ circa subditos moueri poterant, facile dissoluentur. Sunt enim tria subditorum genera in Anglia. 1. Henriciani, (ut aliqui eos vocant) qui & agnoscunt, & iurant Primum Regium. 2. Puritani, seu puri Caluinistæ, qui non quidem agnoscunt, sed tamen iurant. 3. Catholici, qui nec agnoscunt, nec iurant.

3. Est ergo prima quæstio, quid dicendum sit de Henricianis, qui & agnoscunt, & iurant Primum Regis : Respondeo : Illi stulte & inconsideratè agunt. Ratio est, quia, ut supra dixi, stultum ac temerarium est, rem dubiam & incertam iuramento confirmare. At Primatus Regis, res planè dubia & incerta est apud Henricianos, ut patet ex illorum dissidiis, quæ hactenus explicata sunt. Ergo eiusmodi Primum iuramento confirmare, stultum ac temerarium est.

4. Altera quæstio, quid dicendum de Puritanis seu

puris Caluinistis, qui quidem non agnoscunt Primum Regis, sed tamen, si iubeantur, iurant? *Respondeo:* Sunt periuri & politici. Ratio est, quia aliud sentiunt, aliud iuramento affirmant. Sentiunt cum Caluino, Reges & Principes saeculares non habere Primatum in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, sed solum in temporalibus; & tamen cum Henricianis, Regi, tanquam Primi & supremo Capiti Ecclesiae Anglicanæ, sub iuramento fidelitatem promittunt; Hoc autem faciunt ad externam pacem & politiam conseruandam, quæ pluris ab illis, quā fides & religio aestimatur; Ideoque Politici potius, quam Christiani appellandi sunt. De quibus verè dixit Iacobus Rex, se plus fidei in effervescientibus, quam in isto hominum genere reperisse.

5. *Tertia quaestio*, quid dicendum de Catholicis, qui nec agnoscunt Primum Regis, nec iuramento confirmant? *Respondeo:* Sunt homines recti, qui coram Deo ambulant in veritate: simplices, qui, quod corde sentiunt, ore profitentur: cordati, qui cum Eleazaro mori malint, quā vel externo signo in rem illicitam consentire: similes Apostolis, qui Deo magis, quā hominibus obedire satagunt: similes Martyribus Ecclesiae primitiæ, qui liberè coram persecutoribus profitentur, se esse, quod sunt.

6. At miseri sunt, inquires; Si enim recusent iuramentum, coguntur subire carceres, tormenta, supplicia. Sanè, non ideo miseri, sed beati. Sic enim docuit nos Christus in Euangelio, Matth. 5. 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* At durum est, pati. Quomodo durum, quod cum gaudio & delectatione fit? Audi, quid de Apostolis dictum sit, Actor. 5. 41. *Iabant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habitus sunt pro nomine Iesu continuellæ pati.* Audi, quid Apostolus de sciplo dicat,

2. Cor. 4. Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.
 7. Vnde hoc gaudium? Ex duplice dono Spiritus sancti, spe & charitate. Spes futuræ gloriæ facit nos lætos & erectos in aduersitatibus. Rom. 8. 18. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et Roman. 12. 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Et Hebr. 10. 34. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.

8. Nec minor vis charitatis. Rom. 8. 35. Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

9. Accedunt exempla Christi & aliorum Sanctorum, quæ etiam magnam vim habent ad excitandos & corroborandos Catholicorum animos, ut libenter patiantur in hac vita carceres, vincula, tormenta, mortem ipsam. 1. Pet. 2. 20. Si bene facientes, patienter sustinetis; hec est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inuenitus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem indicanti se iniuste.

10. Et Hebr. 11. 36. Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati

sunt, in occidente gladij mortui sunt : circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus ; in solitudinibus errantes in montibus & speluncis, & in cavernis terra.

11. Et iterum c. 12. 1. Ideoque & nos per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, a deficientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra sedis Dei sedet. Recogitate enim cum, qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis.

12. Et 2. Corinth. 11. 23. In laboribus plurimis, in carcerebus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Indeis quinquies, quadragenas una minus accepi. Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sape periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & erumma, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.

13. Et rursum c. 12. 9. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placebo miseri in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tum potens sum.

14. His & similibus sacrarum litterarum testimoniosis muniti fuerunt Thomas Morus & Episcopus Roffensis, quando potius morte oppetere, quam impio iuramento se obstringere voluerunt : His alij, qui eos in gloriose certamine secuti sunt : His denique, qui nunc in Anglia carceres occupant, catenis alligantur, possessionibus exuuntur, suo sanguine purpurantur.

SANCTVS CYPRIANVS
Epistola 9.

Pretiosa mors hæc est , quæ emit immortalitatem precio sanguinis sui.

Et in fine Epistolæ.

O beatam Ecclesiam nostram, quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Erat antea in operibus fratrum candida : nunc facta est in Martyrum cruento purpurea.

Et Epistola 24.

Quid gloriosius aut fælicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere , quam inter ipsos carnifices in territum confiteri Dominum Deum? quam inter sauentia secularis potestatis tormenta, etiam extorto, & excruciato, & excarnificato corpore, Christum Dei Filium, et si recedente, sed tamen libero spiritu confiteri ? quam relicto Mundo cœlum petisse? quam desertis hominibus, inter Angelos stare? quam collegam passionis cum Christo, in Christi nomine factum esse?

Q 5 **Opus**

OPVS CVLVM VI.

DVELLVM

MARTINI BECANI,

CVM GUILIELMO TOOKERO,

De Primatu Regis Angliæ.



Rovocatvs me ad Duellum, Tookere, in causa Regia : & Primatum Serenissimi Regis Iacobi, quem exiguo libello nuper oppugnauis, singulare certamine contra me tueri ac propugnare vis. Non defugio. Video autem triplici armorum genere instructum te esse, fastu, conuictiis, eloquentia. Fastum & arrogantiam in eo maxime ostendis, quod magnificè de te ipso sentias ac loquaris; de me contemptim. In qua re imitaris Daretum Virgilianum, qui cum Entello cestibus depugnaturus, mirè iactabat se in omnem partem. Sic plane tu facis: Mea, inquis, partes sunt, ut districto gladio stem in acie hac argumentationis, & mucrone petam latera ac transuerberem. Et iterum: Neque video, cur in isto certamine, Theologus Mataeologum, Orthodoxus Iesuitam, Decanus Becanum perbellè possit pertundere. Benè habet Tookere; pertunde me, si potes; & districto gladio pete hoc latus. Non fugiam.

2. Conuitia, quibus me proscindis, obuia sunt. Vocas me Terra filium, Emissarium Satanae, incendiarium, sanguinarium, nihil nisi mactationem ac cædem Principum meditantem ac impie docentem, garrulum, rusticum, importunum, inaercundum, iracundum in oculis, asperum in voce, ranunculum in luto & cœno procreatum, curiosum stolidum.

dum. Videris de industria, hæc verborum emblemata comportasse, ut disertus apparetes. Sed ego ista contentio. Nec me feris, sed aërem verberas.

3. Eloquentiam tuam non culpo, sed laudo. Utinam cum pari modestia & eruditione coniuncta esset. Nec tamen nego, quin alicubi modestus & eruditus sis. Hic certè, ubi malæ causæ patronus es, eloquens esse potes, eruditus esse non potes. Si quid tamen adferes, quod laude dignum iudicabitur, non dissimulabo.

4. Hæc igitur, Tookere, tua atma sunt. Ego istis pugnare non didici. Soleo abstinere à fastu, conuictiis, grandiloquentia; & rem, de qua disceptatio est, modestè, breuiter ac nudè proponere & examinare. Et sic tecum nunc agam. Audi igitur. Disceptamus de Primatu Regis in Ecclesia Anglicana. Ego in meo libello, quem de hac re scripsi ante biennium, conatus sum ostendere, eiusmodi Primum nullo iure ac titulo deberi Regi. Tu, in tuo Duello, contrarium statuis: & quæ à me dicta sunt, putas refutari abs te posse. An ita sit, disquirendum nunc est. Nec commodius id fieri potest, quam si repetam singula libelli mei capita; & singulis scorsim subiiciam breuem **Commentarium**, in quo discutiantur ea, quæ à te in contrarium adferuntur. Igitur libellus meus sic incipit.

LIBEL



LIBELLVS

MARTINI BECANI,

De Primatu Regis Angliae

SERENISSIMVS ac Potentissimus Rex Angliae Jacobus in sua *Apologia pro iuramento fidelitatis, &c. in monitoria Prefatione ad Imperatorem, Reges & Principes*, conatur ostendere, se in Anglia, & vnumquaque Regem in suo regno, esse caput seu Primate Ecclesiae; Episcopos & Pontificem non modo in temporalibus, sed etiam in Ecclesiasticis rebus, inferiores esse Regem ac Principe seculari. Hunc Regis Primum confirmat Sacellanus ipsius in libro, qui inscribitur *Tortuosa Tortis Iure, an iniuria deinceps inquirendum est.*

2. Sed ne confusio oriatur, status controverxiæ prius explicandus, & certa ab incertis secernenda sunt. Ac primò, non disceptamus de Primatu in temporalibus. Illum quisquer Rex in suo regno legitime habeat. De Primatu Ecclesiae, seu de potestate Ecclesiastica, totalis est. Solet autem distinguiri triplex potestas Ecclesiastica. Una ordinis; altera iurisdictionis interioris; tertia iurisdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacraenta conficienda & ministranda. Secunda, ad regendum populum Christianum in foro conscientiæ. Tertia, ad eundem populum regendum in foro exteriori. Igitur ad potestatem ordinis spectat, Baptismum & sacros Ordines conferre, Eucharistiam confidere & ministrare, Chrisma & oleum infirmorum benedicere. Ad potestatem iurisdictionis interioris, ius dicere in foro conscientiæ, id est, absoluere

uere vel ligare. Ad potestatem iurisdictionis exterio-
ris Synodum conuocare , & in ea præsidere , constitu-
tiones condere , causas audire & cognoscere , contro-
uersias dirimere , beneficia conferre , ministros Eccle-
siæ constituere , delinquentes excommunicare. Vno
verbo , omnium causarum & controversiarum , quæ
ad fidem & religionem pertinent , Iudicem agere.

3. Quando ergo queritur , an Rex Angliæ in suo re-
gno habeat Primum Ecclesiæ , debet sic intelligi , an
habeat triplicem illam potestatem excellentiori mo-
do , quam Episcopi & Pontifex ? Vel quod idem est , an
in triplici illa potestate , supra Episcopos & Pontifi-
cem collocandus sit ?

4. Duo certa sunt ; uiam in controvërsia . Primo ,
certum est , Regem non vindicare sibi potestatem or-
dinis ; & multo minus in ea superiorē esse Episcopis
& Pontifice , Non enim ordinatus & consecratus est
ad Sacra menta conficienda & ministranda , ut per se
constat . Nec in hoc genere supra Episcopos & Ponti-
ficem collocari vult . Nouit enim , quid in simili causa
dictum sit Oziæ Regi , 2. Paralip. 26.18. *Non est tui officij*
Ozia , ut adoleas incensum Domino sed Sacerdotū , qui con-
secrati sunt ad huiuscmodi ministerium .

5. Secundo , æquè certum est , non habere potesta-
tem iurisdictionis interioris , quæ in absoluendo & li-
gando consistit . Non enim Regibus , sed Apostolis &
Sacerdotibus dictum est : *Accipite Spiritum sanctum , quo-*
rum remiseritis peccata , remissa sunt eis , & quorum retinue-
ritis , retenta sunt .

6. Tora ergo controvërsia versatur circa potestatem
iurisdictionis exterioris , an eam Rex habeat in suo re-
gno , & quidem supra Episcopos & Pontificem ? id est ,
an Rex sit supremus iudex Ecclesiasticus , qui sua au-
thoritate à nullo alio in terris dependente , possit con-
uocare

uocare Synodos, iis præsidere, controuersias circa fidem & religionem dirimere, beneficia conferre, Episcopos constituere & deponere, & similes actus religionis exercere? Hoc enim est, habere Primatum in Ecclesia, quoad gubernationem exteriorem. Ut autem distinctè examinetur hæc quæstio, hoc ordine procedendum est.

- I. An Rex iure naturali habeat Primatum Ecclesia?
 - II. An iure diuino veteris Testamenti?
 - III. An iure diuino noui Testamenti?
 - IV. An iure ciuili vel canonico?
 - V. An consensu doctorum hominum?
 - VI. An titulo præscriptionis?
 - VII. An secundum principia sua doctrinae?
 - VIII. Si Rex non habet Primatum Ecclesiae, quodnam illius officium circa Ecclesiam sit?
-

C O M M E N T A R I V S.

1. In primo aditu, hæc mihi obiicis, Tookere; quod nec Regem Angliæ, nec Sacellanum eius, appellam eo nomine, quo debui; quod indignis modis lacessam Regem; quod solitus sim Regibus maledicere, & Pontifici adulari, quod sim curiosus in aliena Republica & Ecclesia; quod non intelligam statum quæstionis de Primate Regis; quod nullum seruem ordinem ac methodum; quod multa dicam, nihil probem. Singula expendamus.

2. Primum ergo obiicis, quod Regem Angliæ non appellam eo nomine, quo debui. Sic enim scribis in Duello tuo, pagina 2. *Quem (Regem Iacobum) utinam honoris causa, & virtutum suarum admirabilitate, nominasse, sicut debuisses.* Respondeo. Ego plus honoris illi tribui, quam tu. Vocavi illum *Serenissimum & Potentissimum Regem,*

Regem, tu: *Clarissimum* appellas. Nisi plus sit in Anglia, *Clarissimum* vocari, quām *Serenissimum & Potentissimum*; quōd sanē vix credam. Sed fortē hoc te malē habet, quōd *Anglia*, non *Britannia* Regem appellarim. At, si hoc peccatum est, nō ego dūtaxat, sed vos Angli quoque culpādi estis. Nam vester Henricus Salcolbrigien-sis in suo libello, qui inscribitur, *Refutatio examinis Be-canici: rārō Britannia, sāpē Anglia Regem vocat. Deinde, nescis Tookere, quōd Philosophis notum & usitatum est, sāpē à principali parte sumi denominationē?* Britānia vestra tres partes complectitur, Angliam, Scotiām, Hyberniam. Inter eas præcipua est Anglia. Igitur Regē vestrum, qui & Angliæ, & Scotiæ, & Hyberniae, uno verbo, totius Britaniæ Rex est, non malē Angliæ Regem appellaui. An non Rex Philippus, multorum regnorū Dominus est? Plurium sanē, quām vester Rex. Et tamen non ægrē fert, Hispaniæ Regem se appellari. *Quid tu ergo vitio mihi vertis, quōd, ut alterū Hispaniæ, sic alterum Angliæ Regem nominarim? Uſus sic obtutus.* Nec tamen velim esse tam pertinax, quin alium tibi illi tribuam, si ita visum illi sit.

3. Secundo obiicis, quōd nec *Sacellum* debito honore prosecutus sim. Sic enim habes pagina 3. *Quem tu vocas Sacellum, nos omni laude dignissimum, Episcopum Eliensem dicimus: At quem virum? doctissimum fortissimumque Ecclesiæ Heroem, omni literatura abundantissimum, qui propter multiplicem ac reconditiōē Theologie cognitionem, apud nos περιγλωττό, utpote, qui literis Latinis, Gracis, Hebraicis, Chaldaicis, ac Arabicis instruictissimus sit, iure merito appellatur.* Respondeo. Non sciui esse Episcopum Eliensem. Nec tunc erat, cūm scripsi. Si interea Episcopatum adeptus est, non inuideo. Possum tamen dubitare, an ideo Episcopus vocari debeat. Et sanē, tu me facis dubitare. Scribis enim pag. 6. non semper valere

valere argumentum à coniugatis; & negas hanc consequentiam: *Rex Angliae habet Primum Ecclesiae Anglicanae, Ergo est Primus Ecclesiae Anglicanae.* Igitur scrupulum mihi iniicis, quid de hac simili consequentia dicturus essem, *Sacellanus habet Episcopatum Eliensem: Ergo est Episcopus Eliensis.* Itemque de hac, *Tookerius habet Decanatum Ecclesiae Lichefeldensis: Ergo est Decanus Ecclesiae Lichefeldensis.* Quod addis, Sacellatum esse virum magnæ eruditionis, & quinque linguarū peritissimum, non video, quid ad tē faciat. Nisi fortè adulandi gratia, id dictū à te sit. Sed tamen, qui tot linguas calleat, utinā vel vna verū loqueretur. Et cū Græcè instructissimus sit, cur & te, & Typographum non monuit ut pro barbara voce ποντεγλαστι, veram ac germanam ποντεγλαστι, substitueretis?

4. *Tertio obiicis*, quod indignis modis laceſſam Regem Angliae. Sic enim scribis in dedicatoria Epistola: *Audax negotium, hominem priuatum, personam publicam & sacrosanctam terræ filium, eundemque Iesuitam & emissarium Satanae, clarissimum, doctissimumque Regem, vntum Domini indignis modis laceſſere.* Quid est indignius, quem plurimas contumelias iniuriasque imponere optimo Regi, perinde ac si ageret cum Juliano Atheo, & Constantio Ariano: Respondō. Quod me terræ filium & Emissarium Satanae appellas, lubens tibi ignosco. Facis, ut Calvinistæ solent. Hoc miror, quod dicas, me indignis modis Regem laceſſere, & plurimas contumelias ac iniurias illi imponere. Ab hoc vitio puto me esse alienissimum. Et, si vñquam alias, maximè in hoc libello, quem tu oppugnas, modestiam sectatus sum. Nec opus est longa probatione. Lector, quisquis est, iudicet. Fateor, in Praefatione libelli me scripsi; sicut olim Juliano & constantio Imperatoribus in causa fiduci opposuerunt se Patres; ita nunc scripsi.

Jacobo

Iacobo Regi in simili casu resistere nos posse. Sed hæc contumelia aut iniuria non est. Vera contumelia est. cum vos scribitis, Pontifici, tanquam Antichristo, resistendum esse.

5. *Quarto obiicis*, quod solitus sim maledicere Regibus, & Pontifici adulari. Sic enim aīs in epistola dedicatoria: *Adduco ad excellentiā vestram hoc meum Duelum, siue singulare certamen, cum Martino Becano Iesuita, Professore Moguntino, Regibus obrectare ac maledicere, Pontificibus verò Romanis assentari, eorumque tribunalia adulari, & Lambere solito.* Respondeo: Vtrumque falsum est. Imò, si modum loquendi spectes, plus honoris Regi Angliæ, quam Pontifici videat tribuere. Regem, ut dixi, voco *Serenissimum & Potentissimum*. Pontificem, nonnisi Pontificem aut Papam appello, si ne alio verborum splendore. Tu potius in hoc genere pecas. Nam si Pontifici calumniosè maledicis, & filio Regis immodicè assentaris. Illum vocas *Antichristum* hunc, *Decus & delicias humani generis, Principem orbis terrarum maximum, Catholice religionis propugnatorum acerrimum*.

6. *Quinto obiicis*, quòd sim curiosus in aliena Republica & Ecclesia, Sic enim habes in eadem Epistola: *Iesuita hic Primate Regio derepente factus est inimicus: curiosus in aliena Republica & Ecclesia.* Respondeo. Si ideo curiosum me dicis in aliena Ecclesia, quia oppugno Primum Anglicanum, cum in Anglia natus non sim; tu certè non minus curiosus es, qui oppugnas Primum Romanum, cum Romæ natus non sis. An & Regem tuum curiosum esse dixeris; Nam & ille Primum Romanū oppugnare, & Imperatorem nostrū, aliosque Reges & Principes, ad eū deserendum bortari ausus est. Sed audi Tookere. Non curiosi, sed Christiani hominis officiū est, oppugnare hæreses &

ertores, in quamecumque Rempublicam vel Ecclesiam irreperirent. Hoc Apostoli, hoc antiqui Patres, hoc moderni scriptores faciunt. Cur mihi idem non liceat?

7. *Sexto obiicis*, quod disputem de primatu Regis, & tamen non intelligam, quid sit Primatus. Sic enim habet in Epistola dedicatoria: *Iesuita hic nescit, de quibus affirmat, ius & fas, legemque Primatus in regno Britannia penitus ignorat, nec in singulis magis sapit, quam beta.* Respondeo: Primatus Ecclesiæ duplex est: alter verus, qui iure diuino debetur Pôtifici, non solum in regno Britannia, sed etiam in toto orbe Christiano: alter fictus, qui humana præsuptione tribuitur vestro Regi. Prior primatus est antiquissimus, cuius ignorantiam obiicere mihi non potes. Consistit enim, ut dixi, in suprema potestate & iurisdictione, qua Pôtifex gubernat Ecclesiæ in foro exteriori: & officia eius sunt, quæ supra recitavi. Huiusmodi autem Primatum non conuenire vestro Regi, in hoc libello demonstratum à me est. Posterior Primatus, res planè noua, & nuper sub Henrico Octavo excogitata primùm est: nec usquam ferè, nisi in Anglia usurpatur. Huius vim ac naturam, si ignorem, mirum non est. Vos ipsi, qui in Anglia estis, ignoratis. Hoc aperte patet ex vestro dissidio. Dissidetis enim in his punctis. 1. An Primatus vestri Regis sit Ecclesiasticus & spiritualis? Thomsonius & Burhillus negant; alij affirmant. 2. An Rex ab hoc Primatu vocari possit Primas Ecclesiæ? Tu negas; Henricus Salcolbrigensis affirmat. 3. An ab eodem Primatu vocari possit supremum Caput Ecclesiæ Anglicanæ? Tu iterum negas; multi alij affirmant. 4. An Primatus Regis consistat in aliqua iurisdictione Ecclesiastica? Tu affirmas cum Henrico; Thomsonius & Burhillus negant. 5. An ad Primatum Regis pertineat, conuocare Synodos, sancire leges Ecclesiasticas, conferre

ferre beneficia, creare & deponere Episcopos controverbias dirimere. Hic, quot capita apud vos; tot sensus. Hæc omnia fusius explicandi in alio libello, qui inscribitur, *Dissidium Anglicanum, de Primatu Regis*. Cum ergo inter vos non possit certò constare, quam vim habeat Primatus Regis in Anglia, ubi educati estis; qua fronte audes mihi obiicere, quod ignorem illius vim & energiam? *Medice curate ipsum*,

8. *Septimo obiicis*, quod nullum seruem ordinem ac methodum. Sic enim habes in Due'lo, pag. 35. *Veruntamen ut ad ea, que abs te proposita, nullo tamen ordine, nulla methodo disposita vel disquisita sunt, renuntiamur, &c.* Respondeo. Duo à me proposita sunt in hoc libello. 1. Hæc quæstio, an Rex Angliæ legitimè habeat Primatum in Ecclesia? In ea tractanda seruauit hunc ordinem. 2. an habeat Primatum iure naturali. 3. an iure diuino veteris Testamenti. 4. an iure diuino noui Testamenti. 5. an consensu doctorum hominum. 6. an titulo præscriptionis. 7. an secundum principia suæ doctrinæ. Quid tibi nunc displicet in hoc ordine? Deinde proposita sunt à me officia Primatus Ecclesiastici, nimirum hæc; conuocare Synodos, in iis præsidere, constitutiones condere, causas audire & cognoscere, controversias dirimere, beneficia conferre, ministros Ecclesiæ constituere, delinquentes excommunicare. Et quid hic culpa est? An debebam de singulis seorsim disputare? Fuisse superuacancū. Satis erat ostendere, hæc officia nec iure naturali, nec iure diuino, aut humano, nec titulo præscriptionis, nec aliquomodo, cōuenire Regi Angliæ; quod etiā à me factū est. Sitamē desideras peculiarē Tractatū de his omnibus & singulis poteris videre *Dissidium Anglicanum de Primatu Regis*: ibi inuenies & erubesces.

9. *Otiamo obiicis*, quod multa dicam, nihil probem.

Sic enim ait in Epistola dedicatoria : Iesuita hic multa allegat, nihil probat: varia argumentorum, ut armorum, generacolligit ac cōportat, Syllogismos, Enthymemata, Dilemma, quibus oppugnat clarissimi Regis nostri ius Primatus in Ecclesia. Veruntamen in arcem causæ non innudit nullum locum expugnat, ne proficit hylum. Respondeo. Videris mihi declamare, Tookere : tot genera Phrasium colligis & cōportas. An ego aliquid effecerim vel expugnauerim meis argumentis, paulò post, cum ad singula libelli mei capita venerimus, facile apparebit. Sed tamē, si nihil effeci vel expugnaui, vt tu quidē obiicis, quid necesse fuit tantum virum, quantus tu in oculis tuis es, in me refutando tātoperē desudare? quid opus erat, districto gladio, vt tu loqueris, stare in hac acie argumentationis?

C A P V T . I.

An Rex iure naturali habeat Primatum Ecclesiae?

1. **N**e ipse quidem ausit hoc affirmare. Et ratio est neuidens. Nam status politicus seu ciuilis ex natura rei distinctus est ab Ecclesiastico seu spirituali: Ergo ex natura rei habet distinctum tribunal & iudicium: Ergo iure naturali necesse non est, vt qui praeſt vni, praeſit etiam alteri. Ergo Rex ex eo praeſisè, quia iurisdictionem habet in tribunali politico, non habet etiā ex natura rei in Ecclesiastico. Sicut vicissim, Episcopus, qui habet iurisdictionem in foro Ecclesiastico, nō habet ex natura rei in temporali. Nihil certius. Ut tamē res melius explicetur, adiungendæ sunt duæ cōclusiones.

2. *Prior conclusio.* In Republica Christiana duplex est potestas publica. Vna temporalis seu politica, altera spiritualis, seu Ecclesiastica. Ratio est, quia duplex finis Christiano homini propositus est, ad quem debet pertingere. Vnus naturalis, qui est pax & tranquillitas Reipub.

Reipub. alter supernaturalis, qui est æterna beatitudo. Ad hos fines debet peruenire per diuersa media, quæ sint illis proportionata. Huiusmodi autem media innenire & præscribere communitati, non est cuiusvis, sed eius, qui supra alios potestatē habet. Itaque duplex debet esse potestas publica, vna temporalis seu politica, quæ præscribat media necessaria ad finē naturalē: altera Ecclesiastica seu spiritualis, quæ præscribat media necessaria ad finem supernaturalē. Loquor autem de potestate publica, ut excludam priuatam, qualis est parentum in filios; virorum in uxores, & dominorum in seruos.

3. *Posterior Conclusio.* Hæ duæ potestates publicæ in multis differunt, ut facile ex dictis colligi potest. Primo, ex parte finis & mediorum; quia politica respicit finem & media naturalia; Ecclesiastica verò, supernaturalia. Secundò, ex parte causæ efficientis, quia politica potest alicui tribui, vel immediatè à Deo, quo pacto tributa est Mosi, Iosuë, Saüili, Davidi: vel à communitate, quo pacto tribuitur Regi Poloniæ, qui eligitur à Senatu: vel iure successionis, quo pacto in Hispania, Gallia, Anglia, filij succedunt parentibus in regimine: vel iure belli, quo pacto Rex unius regni, laceritus à Rege alterius regni, potest iusto bello se vindicare, & regnum illius intiadere. Secus est de potestate Ecclesiastica. Cum enim supernaturalis sit, non potest tribui, nisi à solo Deo, præsertim si sermo sit de suprema, de qua hic agimus. Tertiò, differunt ratione dignitatis. Nam Ecclesiastica nobilior & excellentior est, quam politica. Vnde Innocentius 3.c. *Solite, de Majoritate & obedientia*, comparat has duas potestates duobus luminaribus firmamenti, Soli & Lunæ. Et dicit, Ecclesiasticam esse luminate maius, quod præst diei spiritualium; politicam, luminate minus, quod præst nocti temporalium. Et hoc indicat Christus, cum

ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* quasi dicat Potestas seu iurisdictio temporalis est de hoc mundo: at spiritualis seu Ecclesiastica est de cœlo. Ergo nobilior est. Et Chrysost. hom. 4. de verbis Isaiae: *Hoc regnum illo maius est.* Regi ea, quæ hic sunt, commissa sunt: *Sacerdoti cœlestia.*

4. Ex dictis duo colligimus. Vnum est, quod hæ duæ potestates ex natura rei distinctæ sint, & ab invicem separari possint. Nulla enim potest esse naturalis connexio inter potestatē naturalem & supernaturalem. Vnde si homo creatus esset à Deo in statu puræ naturæ, & ad solum finem naturalem (quod fieri potuit) nulla fuisset potestas supernaturalis seu Ecclesiastica, qualis nūc est: ac proinde ciuilis seu politica fuisset re ipsa separata ab Ecclesiastica. Nunc etiam in statu gratiæ, in quo vtraq; potestas locū habet, una fuit in Christo sine alia. Nam Christus habuit Primatū in Ecclesia, non tamen in Republica ciiali & temporali, saltem quo ad ysum.

5. Alterum est, quod hæ duæ potestates, cum ex natura rei distinctæ & separatae sint, non nisi iure diuino, vel humano coniungi possint. Igitur deinceps inquirendum est, an Rex Angliæ, qui titulo successionis habet supremam potestatem politicam in suo regno, habeat simul coniunctam potestatem Ecclesiasticam aliquo iure positivo, siue diuino, siue humano.

C O M M E N T A R I V S

1. **H**ic, ut tuis verbis utar, Toockere, partim eminus, partim *cominus* aggredi me vis. Adsum, ut excipiam tuos ictus. Quid ergo eminus? Primum ex Isidoro & D. Thoma, transcribis definitionem iuris naturalis, gentium & ciuilis. Nihil me lædis. Poteras plura alia transcribere. Deinde, prolixè probas ex Aristotele, Platone, S. Augustino, & Ioanne Dredeno, consen-

consentaneum esse iuri naturali , seu recte rationi , vt vxor marito , filius parenti , subditus superiori honorem deferat. Quis hoc nescit? Mox subdis; Sed ista eminus; iam cominus congregari. Benè est, congregere cominus : nam eminus non successit.

2. Cominus sic pugnas , vt pleraque probes , quæ à me dicta sunt ; pauca improbes ; quædam otiosa , & nonnulla etiam pugnantia adferas. Singula persequar Ac primum , fateris verum esse , quod initio capit is dixi , statum politicum ex natura rei distinctum esse ab Ecclesiastico , & habere distinctum iudicem ac tribunal; nec Regem ex eo præcisè , quia iurisdictionem habet in tribunali politico , habere etiam in Ecclesiastico. Sic enim scribis pag. 56. Cum syllabatim ista dixeris (nempe quæ iam posui) habes ex nostris neminem tibi contradicentem. Gaudeo sanè. Nec hoc duelli , sed pacis symbolum est. Et si ita pergis , nō ferties me , sed iuuabis.

3. Secundò , fateris verum esse , quod in prima conclusione dixi de duplice potestate publica ; una ciuili , altera Ecclesiastica : & similiter , quod in secunda dixi , Ecclesiasticam ciuili nobiliorem esse: denique , quod in fine capit is dixi , alteram ab altera separari posse. Verbatua sunt hæc , pag. 56. Due sunt potestates publicæ ; altera ciuili , altera spiritualis: duo sunt tribunalia , alterū status politici , alterū Ecclesiastice politiae. Et pag. 66. Potestas Ecclesiastica , ratione regiminis animarum , edificationis Ecclesiæ , consummationis Sanctorum , omnibus numeris solatiij & perfectionis absoluitor est quacunque potestate ciuili. Et pag. 78. Ille ambae potestates aliquando coniunctæ , aliquando separate fuerunt , quod ex pluribus exemplis liquet ,

4. Præterea , vltro concedis , diuersa esse officia Sacerdotum & Regum. Nam Sacerdotum est , inquis , fundare , plantare , irrigare & stabilire Ecclesiæ; Regum est , easdem dicare & gladio defendere. Illi , curam

animatorum habent; hi corporum. Illi gladium spiritualem distringunt; hi corporalem.

5. Hactenus mecum sentis, Tookere, & pacificus es. Nunc arma corripis. Sed ioco an serio? Videamus. Dux in secunda conclusione, duas illas potestates differre ex parte causæ efficientis: Et quidem Ecclesiasticam, præsentim supremam, immediatè esse à solo Deo; ciuilem verò, vel à Deo, vel à communitate, vel ex iure successionis, vel aliunde. Hic videris à me dissentire. Nam pag. 57. sic scribis: *Ex quo autem principio tam regalis, quam sacerdotalis potestas, tanquam a suo fonte derivetur ac dimanet, breuiter perpendendum est. Potestates, quæ sunt, à Deo sunt; & non est potestas, nisi à Deo. Si his verbis me oppugnas, facile tibi occurram. Fatebor omnem potestatem esse à Deo, vel mediatè, vel immidiatè. Nec habebis, quod obiicias. Nam eodem modo respondes ad similem obiectionem, cap. 7. pag. 304.*

6. Dux ibidem, easdem duas potestates differre ex parte finis; eo quod ciuilis respiciat finem naturalem, Ecclesiastica supernaturalem. Et hoc videris improbare. pag. 65. cum ait: *An non summa potestas Ecclesiastica, quæ est Sacerdotum in foro interiore, & suprema potestas Regum in foro exteriore, salutem animarum potissimum intueri?* Audi Tookere. Si potestas ciuilis spectetur præcise secundum se, non extendit se, nisi ad finem naturalem. Et hoc efficaciter conuinci potest ex eo, quod sub finem capit is notaui. Nam si homo creatus esset in statu puræ naturæ, quod fieri potuit, non fuisset ordinatus ad finem supernaturalem, qui consistit in clara Dei visione, qua nunc perficiuntur Sancti in celo; sed ad finem naturalem, qui consistit in naturali contemplatione Dei, quatenus author naturæ est. Neque hoc potes negare, si Theologus es. Nostri enim distinguere duplē beatitudinem; alteram naturalem, de qua

qua disputat Aristoteles in Ethicis; alteram supernaturalem, de qua passim agunt Scholastici. Similiter, Deum dupliciter spectari posse. Primo, ut est author naturae; & sic esse finem naturalem, ad quem homo tendit in statu purae naturae. Secundo, ut est author gratiae; & sic esse finem supernaturalē, ad quem homo tendit in statu gratiae, in quo iam sumus.

7. Hinc facilè diluitur tua obiectio. Cum enim dicis, potestatē ciuilem spectare salutē animarū, id dupliciter intelligi potest. Primo, de naturali salute animarū; & sic verum est. Secundo, de supernaturali salute animarū; & sic distinguendum est. Si enim ciuilis potestas spectetur præcisè in se, non attingit supernaturalē salutem animarū; potest tamen attingere, quatenus potestati Ecclesiasticae, in hoc statu gratiae, subordinata est.

8. Puto satisfactū tibi nunc esse. Imo, iam sponte arma deponis; & quasi ex prælio fatigatus, incipis otiosè et oblectare, & coram Spectatoribus, ne dilabantur, ludicra quædā spectacula exhibere. Quæ illa? Ex Aristotele proponis duo schemata Dialectica, quæ singula constant quatuor propositionibus, in hunc modum:

Omnis potestas est à Deo. *Nulla potestas est à Deo.*

Aliqua potestas est à Deo. *Aliqua potestas non est à Deo.*

Omnis potestas in foro exteriori Ecclesia est à Deo. *Nulla potestas in foro exteriori Ecclesia est à Deo.*

Aliqua potestas in foro exteriori Ecclesia est à Deo. *Aliqua potestas in foro exteriori Ecclesia non est à Deo.*

9. In utroque schemate mirè te recreas. Sed quod sum? An putas Spectatoribus hoc modo te satisfactum? Erras Toockere. Venerunt spectare robustum pugilem, non morionem, & sanè, res ipsa, de qua agimus, non ludicra, sed seria est. Alioqui, si ludendum esset, reponeret tibi vicissim vel Arborē Porphyrianam, vel certè schema aliquod ex Modalibus. Quid verò existimas dicturum Rēgem, cum intelliget te, qui defensor ipsius esse vis, relicta causa regia, his lusibus occupari?

10. Sed vide obsecro, quid fiat. Dū ita securus es, implicas te aliquot contradictionibus. Ex iis paucas accipe. Ais pag. 63. inductionē Synodorum, sanctionē legum, & similia, esse iuris mixti id est resultatis ex iure Regio & Episcopali, habere tamē suam originē à Primatu Regio, & ab eo cōmunicari Episcopis & sacerdotibus. Verba tua sunt hæc: *Mixtum autē ius & resultās ex utrōq; & iure regio & Episcopali, est legū sanctio, & synodorum indiclio, & præsidendi in iis prærogatiis, & controversiarū decisio, & beneficiorum collatio, & Episcoporum constitutio & depositio, que ferè ab origine Primatus regij descendunt & cōmunicantur Sacerdotibus.*

11. At alibi negas hæc omnia. Nam pag. 42. doces, inductionem Synodorum, & sanctionem legum ecclesiasticarum, iure diuino, pertinere ad Apostolos. Rutherford pag. 313. de iudice controversiarum sic scribis: *Reges Christiani non sunt fidei ac religionis indices. Similiter, de collatione beneficiorum, pag. 36. Beneficia autem curata vel non curata, non conferunt Reges omnino in quempiam multo minus dignitates ecclesiasticas, siue Episcopatus siue Archiepiscopatus. Eorum certè collatio vel institutio est, quorum est substitutio; id est, Episcoporum comprovincialium, qui potestatem habent personas ipsas sacrandi.* Hæc una contradic̄tio est. Audi alteram.

12. Ais pag. 66. potestatem ecclesiasticam perfectio-

rem

rem esse quacunque ciuili. Paulò ante citauit tua verba. At mox contrarium affirmas, cum subdis : *Potestas ecclesiastica non præfulget ciuili, potestatis eminentia, Quasi dicas ; Ciuilis eminentior est, quam Ecclesiastica. At quomodo eminentior? an perfectione?* Hoc iam negasti. An amplitudine? Hoc falsū est. Nam suprema potestas ecclesiastica extēdit se ad omnes homines, etiam ad Reges & Imperatores. Omnes ei suibēcti sunt.

13. Ut verbo repetam, quæ dicta sunt, sic accipe Tookere. Eminus pugnando, nihil effecisti. Cominus, primū quidem fuisti pacificus; tūm frigide luctatus es; deinde, otiosè te oblectasti; postremò, contradicitionibus te implicuisti. Et sic finis duelli circa hoc caput.

C A P V T II.

An Rex Habeat Primatum Ecclesie, iure diuino veteris Testamenti?

1. **H**oc ipse omnino videtur velle. Sic enim habet in sua Apologia, pag. 155. Sub veteri Testamento Reges haud dubio gubernatores erant Ecclesie infra fines suos: corruptelas purgauere: abusus fustulere: arcam ad constitutum quietis locum perduxere: arce deportāde ipsi præsultauere: Templo edificauere: edificatū dedicauere: & sua præsētia opus consecrationis cohonestarūt: librū legis, tenebris crutū populo recitari fecerūt: fœdus inter Dcū populumq; rediniegrarūt: confregere serpentē aeneum, quamvis & diserto Dei mandato eretū & Christū Dominum suo modo figurātem: idola omnia Deosque falsos exterminauere, reformationes publicas instituere, conuocatis eo fine & congregatis promiscuè sacerdotibus & laicis: ex auctorauerunt summum Pontificem, aliūque in eius locū subrogauerunt. In summa, cuncta moderati sunt, quæ ad ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuerunt

runt. Nec verò tituli & nota, quibus insigniuntur, honora-
rie, ab his eorum actionibus discordant. Vocantur enim filii
Altissimi, imò Dij, & Vncti Domini, in Dei solio sedentes.
Famuli Dei, imò Angeli Dei, facti iuxta cor Dei, Lumina
Israëlis, Nutriti Ecclesiæ. Hucusque Rex.

2. Ex quibus verbis construi potest hoc argumen-
tum; Reges veteris Testamenti, iure diuino habebant
Primatum Ecclesiæ: ergo & Reges noui Testamenti.
Vel sic potius; Reges veteris Testamenti, iure diuino
habebant Primatum Ecclesiæ: at hoc ius non est abro-
gatum, sed adhuc manet. Ergo eodē iure gaudent Re-
ges noui Testamēti. At duplex peccatum in hoc sylo-
gismo committitur. Nā & maior, & minor propositio
falsa est. Negamus, in veteri Testamēto fuisse ius diu-
num de Primatu Regis in Ecclesia. Et, si fuisset, nega-
mus adhuc durare, & non abrogatum esse. Vtrumque
breuiter explicandum est per sequentes conclusiones.

3. *Prima Conclusio.* Ius diuinum veteris Testamenti
continetur lege Mosaica. Sunt autem triplicia precep-
ta legis Mosaicæ, moralia, ceremonialia, iudicialia, ut
docet D. Tho. in 1. 2. q. 99. att. 2. & seqq. Et colligitur
ex illo Deut. 5. 31. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ce-
remonias, atque iudicia.* Et Deut. 6. 1. *Hæc sunt precepta &
ceremonia, atq[ue] iudicia, que mandauit Dominus Deus ve-
ster, ut docerem vos.* Et Rom. 7. 12. *Lex quidem sancta, &
mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Vbi Apostolus
mandatum legis vocat sanctum, propter ceremonialia:
iustum, propter iudicialia: bonum, propter moralia, ut
explicat D. Tho. loco citato, art. 4. Ratio huius conclu-
sionis est, quia omnis Respublica benè instituta, con-
tinet tria præceptorum genera: quorum alia ad priua-
tos singulorum ciuium mores: alia ad publicam reli-
gionem, & cultum Dei: alia ad communem politiam,
& temporalem gubernationem pertinent.

4. *Secunda Conclusio.* Præcepta moralia summatim continentur in decem præceptis Decalogi, vt docet D.Tho.in 1.2.q.100.art.3. Et quidem tria priora respi- ciunt cultum diuinum; reliqua, iustitiam cum proximo seruandam. Deus enim colitur tribus modis. 1. per fidelitatem, adhærendo soli vero Deo, & non haben- do Deos alienos. 2. per reuerentiam, non assumendo nomen Dei in vanum. 3. per famulatum, colendo sab- bathum. Et ita constituuntur tria prima præcepta De- calogi. Cum proximo autem seruatur iustitia, si & pa- rentes honoremus, & alios non lædamus, neque ore, neque opere, neque corde. Et hæc est summa reliquo- rum præceptorū Decalogi. *Dices*, in Decalogo habetur præceptum de sabbatho sanctificando, quod non est morale, sed ceremoniale. *Respondeo*. Est morale, quoad substantiam; ceremoniale, quoad determinationem certi temporis. Nam ratio naturalis dicit, Deo deberi aliquem famulatum, cùm ipse sit Dominus omnium. Quando autem præstandus sit illi famulatus, pendet ex libera ipsius determinatione.

5. *Tertia Conclusio.* Præcepta ceremonialia, quæ præ- scribunt certas ceremonias pertinentes ad religionem, nihil aliud sunt, quam quædā determinationes eorum præceptorū Decalogi, quæ ad diuinū cultum referun- tur, vt docet D.Tho.q.101.ar.1. Vnde sequitur, tot esse genera præceptorū ceremonialium, quot sunt genera eorum, quæ ad cultū diuinum pertinent. Hæc autem sunt quatuor. 1. sacrificia, vt holocaustū, hostia, pacifica, & hostia pro peccato. 2. Sacramēta, partim communia omnibus, vt Circūcisio, esus Agni Paschalis, Purifica- tiones à quibusdā exterioribus immunditiis, expiatio- nes à peccatis partim propria Sacerdotibus, vt confe- cratio Sacerdotū, Esus panū propositionis & aliorum, quæ erant vīsibus Sacerdotū deputata, ablutio manū ac pedū, & ratiō pilorum. 3. Instrumēta diuini cultus, vt

Tabernaculū, Templū, Arca fœderis, propitiatorium,
cādelabru, mēsa, duplex altare; vasa, vestes sacerdotales,
& similia. 4. obseruant, legales, quibus ex decreto Dei,
populus Iudaorū discernebatur ab aliis gentibus, vt
certus usus ciboru & vestiu, ac solēnitates festoru. Cir-
ca hęc 4. rerū genera versantur præcepta ceremonialia.

6. *Quarta Conclusio.* Præcepta iudicialia, quæ præ-
scribunt certā formam conseruādi iustitiam inter ho-
mines, nihil aliud sunt, quā determinationes quædam
eorū præceptorū Decalogi, quæ ad iustitiā & politiam
humanam conseruandam spectant, vt docet D. Tho. q.
104. ar. 1. Vnde etiā sequitur, tot esse genera præcepto-
rum iudicialiū, quot sunt genera hominum, inter quos
iustitia seruari debet. Ea autem sunt quadruplicia. Nam
quædā præscribunt certum ordinē iustitiae inter Prin-
cipem & populū: quædam inter ipsos populares inter
se: quædam inter populum & extraneos: quædam de-
niq; inter domesticos eiusdē familie, vt inter Parentes
& filios; inter maritum & vxorem; inter seruum &
Dominum v.g. Pro Principe datur præcepta, quomo-
do creandus sit, & se gerere debeat in officio. Pro po-
pularibus, præcepta emptionis, venditionis, & aliorum
contraētū. Circa extraneos, de bello gerendo, de
susceptione peregrinorum & aduenarum. Denique
circa domesticos, de seruis, de vxoribus, de filiis.

5. *Quinta Conclusio.* Inter hęc triplicia præcepta, tri-
plex potissimum discrimen est. Primum, quod mora-
lia per se contineantur in Decalogo; reliqua extra De-
calogum. Alterum, quod moralia sint iuris naturalis;
reliqua positui. Tertium, quod moralia non sint abro-
gata à Christo, sed melius explicata, Matt. 5. At reliqua
abrogata sunt, iuxta illud Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ*
usque ad Ioannē. Et Gal. 3. 24. *Lex paedagogus noster fuit*
in Christo, ut ex fide iustificemur: at ubi venit fides, iam non
sumus

sumus sub pedagogo. Et Heb. 7.12. Translato sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat. Et infra v.18. Reprobatio fit praecedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et ratio est, quia lex Mosaica fuit umbra legis Euangelicæ, teste Apostolo, Col. 2.16. & Heb. 10.1. At umbra cessat, accedente lumine: Ergo veniente lege Euangelica, necesse fuit abrogari Mosaiam.

8. Ex dictis sic concludo: Si Rex Angliæ, iure divino veteris Testamenti habet Primatum Ecclesiæ; vel illud ius diuinū continetur in lege morali, vel in ceremoniali, vel in iudiciali. Certū est non cōtineti in morali. Nā moralis lex generatim cōprehenditur decē præceptis Decalogi, vt dictum est. At in toto Decalogo nulla sit mentio Primatus Regis in Ecclesia. Ergo ius diuinū de primatu Ecclesiæ nō potest fundari in lege morali. Sed neque in ceremoniali vel iudiciali fundari potest, duplii de causa. Primò, quia vtraq; lex per Christū abrogata est: Ergo tametsi Reges in veteri Testamēto, iure divino habuissent Primatū Ecclesiæ; non tamē sequeretur, Reges in nouo Testamento gaudere eodē iure, cūm iam penitus abrogatum sit. Et hoc patet in similibus exemplis. Nam in veteri Testamento iure diuino statutum erat, vt esset vnum templum, in quo omnes adorarēt, vt omnes sacerdotes & ministri Ecclesiæ asfumerentur ex sola tribu Leui, vt eorū sacrificia essent cruenta ex animalibus: vt Iudices & Reges eligerētur à Deo, nō à populo. At hæc omnia iam abrogata sunt. Ergo quæ iure diuino statuta erant in veteri Testamēto, non amplius eodem iure debent censeri statuta in nouo Testamento. Vnde sicut hæc consequentia non valet: Omnes ministri Ecclesiæ erāt olim in eadē tribu: Ergo & nunc ita fieri debet. Sic neque valet ista: Omnes Reges habebāt olim primatum Ecclesiæ. Ergo etiam nunc habent.

9. Addo, nunquam in veteri Testamento, diuino iure concessum fuisse Regibus primatum Ecclesiæ. Hoc si probauero, corruit totū fundamentū Regalis Hierarchiæ. Probo autem efficaciter tribus rationibus. Prima est, quia totum Ius, quod Deus disposuit circa Reges veteris Testamenti, habetur Deut. 17. 14. his verbis: Cū ingressus fueris terrā, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eā & dixeris, Constituam super me Regem sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumq; fuerit constitutus, nō multiplicabit sibi equos, nec reducat populum in Ægyptum equitatus numero subleuatus, præsertim cum Dominus preceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Nō habebit uxores plurimas, quæ allicitant animam eius, neq; argenti & auri immensa pondera. Postquā autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuterono. legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vita sue, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neq; declinet in partem dexterā vel sinistrā, ut longo tempore regnet ipse & filius eius super Israël. Habes hic totam dispositionē iuris diuini circa Reges veteris Testamenti. Atqui nulla fit mentio Primatus Ecclesiæ. Solām explicantur hæ paucæ conditiones. Prima, ut Rex eligatur à Deo. Secunda, ut ex populo Iudæorum, non ex gentibus assumatur. Tertia, ut non multiplicet equos, nec reducat populum in Ægyptū. Quarta, ut nō habeat plurimas uxores, præsertim alienigenas, quæ allicitant illum ad idololatriam, sicut accidit Salomonis. Quinta, ut nō colligat immensas diuitias, quia ex illarū cupiditate solent Reges ad tyrannidem decli-

declinare, & iustitiam derelinquere. Sexta, ut à Sacerdotibus accipiat præcepta legis Mosaicæ; eaque describat, & diligenter obseruet. Cur autem à Sacerdotibus? quia illorum est iudicare, quæ circa legem & religionem sunt. Septima, ut moderate se gerat erga alios, & non eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos. Multò minus supra Sacerdotes, Episcopos & Pontifices. Octaua, ut sectetur iustitiam, & non declinet ad dextram vel sinistram; quod solet euenire, vel ex fauore & acceptione personarum, vel ex spe lucri, & vilitatis, vel ex odio seu alia peruersa affectione.

10. Ex his omnibus ita cōcludo: Quicquid de Regia electione, officio & potestate statutum est iure diuino veteris Testamenti, hoc continetur in supradictis conditionib. Atqui in illis nihil habetur de Primatu Regis in rebus Ecclesiasticis: Ergo Primatus Regis in rebus Ecclesiasticis non est de iure diuino veteris Testamēti.

II. Loquor autem de Iure diuino, quia constat in veteri Testamēto fuisse duplex ins Regium, Alterum diuinum, quod iam explicatū est, & de quo solo hīc agimus: alterum usurpatum seu tyrannicum, quod describitur 1. Reg. 8:10. his verbis: *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se Regem, & ait: Hoc erit ius Regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & procuratores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguetarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiā vestros & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei*

serui. Et clamabis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem. His, inquam, verbis non describitur ius Regis, quod a Deo concessum est, sed quod a tyran-
nis soleat usurpati, ut recte docet D. Thom. in 2. q. 105.
ar. 1. ad 5. & fatetur Caluinus lib. 4. inst. c. viii. §. 26. Et de
hoc iure loquitur Christus Matth. 20. 25. & Luc. 22. 25.
Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.

12. Hinc etiam patet, quare Samuel aegre tulerit, quod Iudei petuerint sibi Regem dari; quia nimis petebat Regem, qui more gentilium, non qui iure diuino, eos gubernaret, ut aperte colligitur ex illo 1. Reg. 8. 4. Congregati ergo uniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelē in Ramatha. Dixeruntq; ei: Ecce, tu scnuisti, & filij tui non ambulat in viis tuis: cōstitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut & uniuersae habent nationes, &c. Haec tenus prima ratio.

13. Secunda est, Ipsi met Reges veteris Testamenti ingenuè fassi sunt, se non habere Primatū Ecclesiae, sed sacerdotes: Ergo manifestum est, non ipsos, sed sacerdotes habuisse. Antecedens patet, quia Iosaphat Rex, qui sanè fuit optimus, & officij sui minimè ignatus, de Regis & sacerdotis potestate sic ait, 2. Paral. 19. II. *Amarias sacerdos & p̄tifex uester, in his, quæ ad Deū pertinent, pr̄sidabit.* Porro Zabadius filius Ismaël, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinet. Quid clarius? Hęc duo hic opponuntur; Pr̄sidere in his, quæ ad Deū pertinent: Et, pr̄sidere his, quæ ad officium Regis pertinēt. Illud prius conuenit Sacerdoti seu P̄tifici; hoc posterius, Vicario Regis. Atqui Primatū habere in Ecclesia, est vnum ex iis, quæ ad Deū pertinent. Ergo conuenit Pontifici, non Regi, aut Vicario Regis.

14. Tertiaria: Ille censetur habere Primatū Ecclesiae a Deo, qui in rebus ad legem diuinam, & eius interpretationem pertinentibus, constitutus est supremus iudex,

iudex, cui oporteat obedire, ut supra explicatum est: Atque non Rex, sed Sacerdos constitutus est talis iudex a Deo: Ergo non Rex, sed Sacerdos habet primatum Ecclesiae a Deo. Minor patet ex illo Deut. 17.8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspiceris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepra. Et iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Indicem, qui fuerit illo tempore: queresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus; & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille. Hic tria notanda sunt. Primum, quod sermo sit de controversiis legalibus, quae difficultatem habent, & in utramque partem ab inferioribus Iudicibus trahuntur. Alterum, quod huiusmodi controversiae non ad Regem, sed ad summum Sacerdotem, tanquam ad legitimum Iudicem deferenda sint. Tertium, quod sub pena mortis oporteat acquisire sententiam Sacerdotis. At si Rex esset supra Sacerdotem a Deo constitutus, non opus esset stare iudicio Sacerdotis, sed liceret ad Regem, tanquam ad superiorem iudicem prouocare. At hoc non licet. Non ergo Rex, sed Sacerdos est supremus iudex controversiarum legalium a Deo constitutus.

15. Huc spectat illud Aggæi, 2.12. *Hac dicit Dominus: Interroga Sacerdotes legem: Non Regem.* Et Malach. 1.7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requiriunt ex ore eius: Non ex ore Regis, sed Sacerdotis.* Et quare? Causa mox additur, quia Angelus Domini exercituum est, quasi dicat, Sacerdos est nuntius seu interpres divinæ voluntatis. Igitur a Sacerdote petendum est, quid Deus fieri a nobis,

bis, vel circa nos velit. Quod clariū explicatur Num.
27.21. Pro Iosue, si quid agendum erit. Eleazar sacerdos cō-
 sulat Dominum. Ad verbum eius egredietur & ingredietur
 ipse, & omnes filij Israēl cum eo, & cetera multitudo. Eodē
 pertinet illud Leuit. 10.8. *Dixit quoque Dominus ad Aa-*
non: V inum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, &
filiij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ut ha-
beatis scientiam discernendi inter sanctum & prophānum,
inter pollutum & mundum; doceatisq; filios Israēl omnia le-
gitima mea. Hic vides, non Regum, sed Sacerdotum es-
se, discernere inter sanctum & prophānum, & legem
Dei docere ac interpretari. Vnde sicut Azarias Ponti-
flex ad Oziam Regem dixit 2. Paral. 26.18. Non est tui
officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum,
qui consecrati sunt ad huiuscmodi ministerium: sic etiam
potuisset dicere: Non est tui officij Ozia, ut discernas inter
sancium & prophānum, sed Sacerdotum, qui ad hoc ministe-
rium à Deo constituti sunt. Et consequenter; Non est tui
officij Rex, ut gubernes Ecclesiam, sed Sacerdotū, qui
bus iure diuino id commissum est. Rursus, sicut Ozias
Rex contra Imperium Pontificis volens adolere incē-
sum, lepra percussus est: sic etiam, qui vellet sibi arro-
gare Primatū Ecclesiæ, eadē pœna haud indignus esset.
16. Ostendi haec tenus: Regē Angliæ nihil præsidij pro
 suo Primatu stabiliendo habere posse ex veteri Testa-
 mento, dupli de causa. Primo, quia Reges in veteri
 Testamento non habuerunt primatum Ecclesiæ iure
 diuino, sed Sacerdotes, ut tribus rationibus iam pro-
 batum est. Secundo, etiam si habuissent, non tamen se-
 queretur, etiam Christianos Reges habere, cùm ius ve-
 teris Testamenti abrogatum sit. Contra hanc posterio-
 rem partem nihil opponit Rex Angliæ. Contra priorē
 verò multa obiicit, non ex iure, sed ex facto petita, ut
 supra vidimus, quæ sigillatim discutienda sunt.

1. Obiectio , ex facto Regis Iosaphat.

17. **R** Educam omnes obiectiones Regis Angliae ad formam syllogisticam, ut facilius earum vis appareat. *Prima est hæc : Quicunque constituit Leuitas & Sacerdotes in aliqua ciuitate, habet Primatum Ecclesiæ. At qui Rex Iosaphat constituit Leuitas & Sacerdotes in Ierusalem : Ergo habuit Primatum Ecclesiæ. Minor patet ex illo 2. Paral. 19. 8. In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum, &c.*

18. *Respondeo. Si textus integrè citaretur, multò fortius argumentum fieret contra Regem, quām pro Rege. Textus enim sic habet: In Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarū ex Israël, ut iudiciū & causam Domini iudicaret habitatoribus eius. Precepit q̄z eis, dicens: Omne causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorū, qui habitant in urbibus suis, ostendite eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autē Sacerdos & Pōtiffex vester, in his, quæ ad Deū pertinēt, præsidebit. Porro Zabadias filius Ismaël, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. In quo textu tria notanda sunt. Primò, quod Iosaphat Rex, non solū Leuitas & Sacerdotes ; sed etiam Principes familiarum constituerit in Ierusalem. Secundò, quod illos omnes in eum finem constituerit, ut essent Iudices controuersiarum, quæ in populo oriri solent. Tertiò, quod in controuersiis Ecclesiasticis, quæ ad Deum pertinent, Sacerdotes constituti sint Iudices ; in ciilibus vero, quæ ad officium Regis spectant, Principes familiarum. Hinc sumo tale argumentum contra Regem Angliae; Sacerdotes iure diuino constituti sunt supremi Iudices omnium controuersiarum, quæ ad Deum & religionem pertinēt: Ergo Sacerdotes iure diuino tenent Pri-*

matum Ecclesiæ. Item; Ea, quæ ad Deum pertinent di-
stincta sunt ab iis, quæ pertinet ad officiū Regis: Ergo
Rex, ex officio suo, non potest immiscere se iis, quæ ad
Deum pertinent: Ergo non tenet Primalatum Ecclesiæ.

19. Argumentum contrarium facile soluitur. Non enim Iosaphat Rex constituit, id est, creavit & con-
seccavit Sacerdotes, quia hoc ad officium eius nō per-
tinebat; sed ex iis, qui iam antea creati & consecrati
erant, certos delegit, qui iudicium Domini exercecerent
in Hierusalem: sicut etiam certos delegerat, qui in aliis
ciuitatibus populum docerent, ut habetur 2. Paralip.
17.7. Vbi notandum est, tria spectari posse in ministris
Ecclesiæ veteris Testamenti. 1. Electionem seu desig-
nationem personæ. 2. Consecrationem. 3. Applica-
tionem ad certum usum seu exercitium. Electio seu de-
signatio non fiebat à Rege, sed à Deo, qui solam tri-
bum Leui ad ministerium sacrum deputauerat. Con-
secratio verò commissa erat Aaroni, tanquam summo
Sacerdoti, & eius successoribus. Applicatio verò ad
certum officium poterat fieri à Rege; sicut etiam nunc
fieri potest. Quo pacto Rex Angliæ diceretur in suo
regno constituere Iesuitas & Sacerdotes, si ex iis iam
antea ordinatis & consecratis, quosdam aliunde eu-
caret, quorum alij conciones ad populum haberent,
alij confessiones acciperent, alij aliis ministeriis depu-
tarentur. Et hoc passim apud Catholicos in usu est.
Nemo tamen propterea censet, eos Principes, qui hoc
modo Iesuitas ad se vocat, Primalatum Ecclesiæ tenere.

*II. Obiectio, ex facto Davidis &
aliorum Regum.*

20. **S**ecunda Obiectio est hæc: Qui tollunt abusus
& corruptelas Ecclesiasticas, habet Primalatum
in

in Ecclesia: Reges veteris Testamenti sustulerunt abusus & corruptelas Ecclesiasticas: Ergo habuerunt Primum in Ecclesia. Minorem probat Sacellanus Regis Angliae dupliciter. Primo ex illis verbis 2. Reg. 5.6.
Et abiit Rex & omnes viri, qui erant cum eo, in Hierusalem, ad Iesum habitatem terrae, dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cacos & clados, dicentes; Non ingredietur David huc. Ex quibus verbis sic argumentatur: Ad Regem Dauidem spectabat, de templo cæcum & claudum tollere. Ergo ad eum spectabat, omnes abusus tollere. *Non enim abusus aliunde existunt, quam vel de insitia, quod ceci sint homines; vel de incuria, quod in officio clandident.* Secundo probat exemplo aliorum Regum, qui in Scriptura reprehenduntur, quod Excelsa non sustulerint. At non reprehenderentur, nisi ad eorum officium pertineret, Excelsa tollere. Quid autem aliud est tollere Excelsa, quam tollere abusus & corruptelas?

21. Respondeo 1. generatim cum distinctione. Nam aliud est, indicare seu decernere, quænam sint corruptelas & abusus in religione: aliud vero, corruptelas & abusus, quando certò constat tales esse, tollere & exterminare. Prius pertinet ad officium summi Sacerdotis, ut supra dictum est. Posterius non modo Regi, sed etiam cuilibet patrifamilias concessum est. Quilibet enim in sua domo potest ea emendare, quæ certò constant, per abusum irreplisse. Utrumque ostendo exemplis noui Testamenti. Inter Christianos queri solet, an sit abusus seu corruptela, habere & colere imagines, inuocare sanctos, pro defunctis orare, plura possidere beneficia Ecclesiastica, voto castitatis se obstringere, certis diebus à carnibus abstinere: de his iudicare, non pertinet ad Principes sacerulares, sed ad Praelatos Ecclesiæ. At postquam res iudicata est, quilibet

Rex in suo regno, quilibet Magistratus in sua ciuitate, quilibet paterfamilias in sua domo, potest executionem praestare. Idem factum est in veteri Testamento. Deus saepe per Prophetas ostendit, displicere sibi, quod populus adoleret in Excelsis. Itaque diuinus constabat, abusum seu corruptelam esse. Rex in suo regno poterat tollere hunc abusum. Imò tenebatur. Nec ideo tamen Primatum habebat in Ecclesia. Non magis, quam si Deus per Prophetas ostenderet, conubia fidelium cum gentilibus sibi displicere; & quisque paterfamilias in sua domo, si quid in hoc genere peccatum esset, in posterum emendaret. An ideo Primitum teneret in rebus ad religionem pertinentibus? Nequaquam: Sed executor esset voluntatis diuinæ. Cur autem potius Reges, quam Sacerdotes in veteri Testamento reprehensi sint, quod excelsa non tollerent; ideo factum est, quia populus Iudeorum propter durtitatem cordis, non curabat exhortationes & monita Sacerdotum ac Prophetarum: nec aliter, quam vi & authoritate Regis, ab errore sinebant se reuocari. Itaque si Rex in hac re negligentior esset, meritò à Deo reprehendebatur. Hoc generatio*n*.

22. Duo in particulari explicanda sunt. Alterum, de abusuadolendi & sacrificandi in Excelsis. Alterum, de cæcis & claudis eiiciendis. Quod ad prius attinet, tria certa sunt. Primum est, quod ab egressu filiorum Israël ex Ægypto, transacti fuerint 480. anni, antequā templum à Salomone adificaretur, ut patet ex illo 3. Reg. 6.1. Factum est ergo quadringentesimo & octuagesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, adificari cœpit domus Domino. Secundum est, quod toto illo tempore, secundum legem ordinariam, iussi sint Israëlitæ offerre sacrificia in eo loco, in quo esset tabernaculum fœderis cum Arca, ut habetur Leuit. 17.4. Porro tabernaculum cum

cum Arca non semper mansit eodem loco. Nam pri-
mis 40. annis fuit cum populo in deserto. Postea, cum
terrā promissionis ingressi essent, & eam pacificè pos-
siderent, positum fuit in Silo ; Iuxta illud Iosue 18.1.
*Congr. gatiq, sunt omnes filij Israël in Silo, ibi q, fixerunt
tabernaculū testimonij, & fuit eis terra subiecta.* Inde se-
paratim arca, separatim tabernaculum, in diuersa loca
translata sunt. Arca quidem in eum locum, in quo Is-
raëlitæ bello vieti sunt à Philistinis, vltimo anno Heli
Sacerdotis, 1.Reg.4.3. Tunc enim & capta est à Phi-
listinis, 1.Reg.4.11. & asportata in Azotum, 1.Reg.5.1.
Et mansit in eorum regione septem mensibus, 1.Reg.
6.1. Deinde remissa est ab illis in urbem Bethsames,
1.Reg.6.12. Postea Cariathiarim , 1.Reg.7.1. Ibique
mansit, donec Dauid, confirmato iam regno, supēr Iu-
dā & Israël, reduxit eam ex Cariathiarim, 1.Paral.13.6.
mansitque in domo Obededom Gethæi tribus mensi-
bus, 1.Paral.15.25. Tabernaculum autem ex Silo (licet
de tēpore non satis constet) translatū fuit in Nobe ci-
uitatem Sacerdotū, ubi erat, cùm Dauid fugiebat Sau-
lem, 1.Reg.21.1. Inde venit in Gabaon, urbem Tribus
Benjamin, 1.Paral.21.29. Ibi autem mansit, donec cum
Area illatum est à Salomone in templum, 3.Reg.8.4.
23. Tertium est, quod ab eo tempore, quo perfectū
fuit Templum Salomonis, non alibi, quam in Templo
licuerit offerre sacrificia, secundum legem ordinariā,
ut patet ex illo Deut.12.13. *Cave ne offeras holocausta tua
in omni loco, quē videris; sed in eo, quem elegerit Dominus.*
Et cap.26.1. *Cumq, intraueris terrā, quam Dominus Deus
tuus tibi datus est possidendā, tolles de cūclis frugibus tuis
primitias, pergesq, ad locum, quē Dominus Deus tuus ele-
gerit, ut ibi inuocetur nōmē eius, accedesq, ad Sacerdotē, qui
fuerit in diebus illis, &c.* Dixi, secundū legem ordinariā,
quia tam antq, quam post Templi ædificationem, lice-

bat ex speciali Dei dispensatione, etiam alibi, quam in Tabernaculo vel Templo sacrificare. Hoc modo Samuel immolauit in Ramatha & in Galgalis, 1. Reg. 7. 17. & cap. 11. 14. David in area Ornata Iebusaei, 1. Paral. 21. 26. Elias in monte Carmeli, 3. Reg. 18. 19.

24. Ex his omnibus sequitur nunquam licuisse, secundum legem ordinariam, immolare vel adolere in Excelsis, ubi non esset tabernaculum: Et hunc fuisse abusum, quem Deus reprehendit saepe in Scripturis, ut 3. Reg. 3. 3. *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in preceptis David patris sui, excepto, quod in Excelsis immolabat, & accendebat thymiama.* Et 3. Reg. 22. 43. *Fecitque Iosaphat, quod reatum erat in conspectu Domini.* Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in Excelsis. Loquor autem de Excelsis, ubi non esset Tabernaculum, quia in Excelso Gabaon, ubi erat Tabernaculum, licebat immolare, 3. Reg. 3. 4. *Abiit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat Excelsum maximum, id est, præferebatur omnibus excelsis, quod in eo esset Tabernaculum a Mose factum, ut patet 1. Paral. 21. 29.* Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moses in deserto, & altare holocaustorum ea tempestate erat in Excelso Gabaon. Et 2. Paral. 1. 3. *Et abiit cum uniuersa multitudine in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moses famulus Dei in solitudine.* Vbi obiter notandum est, fuisse duo tabernacula. Vnum a Mose factum, de quo haec tenus dixi. Alterum a Davide, quod ipse tetendit in Hierusalem, quando eo deduxit arcam fœderis, de quo 2. Paral. 1. 4. *Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim in locum, quem preparauerat ei, & ubi fixerat illi Tabernaculum, hoc est, in Hierusalem.* Et 3. Reg. 1. 50. *Adonias autem timens Salomonem, surrexit & abiit, tenuitque cornu Altaris.* Et cap. 2. 18. *Fugit ergo Joab in Tabernaculum Domini & apprehendit cornu Altaris.* Hec non

non possunt intelligi de tabernaculo à Mose factō, quia illud eo tempore erat in Gabaon, vt supra dictum est. Debet ergo intelligi de Tabernaculo à Dauide factō, quod erat in Ierusalē. Vide Abulensē l.3. Reg. c.1.q.41.
25. Hactenus de abusu adulendi in Excelsis. Quod ad factum Davidis attinet, qui dicitur, cæcos & claudos eieisse, parum, vel nihil ad rem facit. Historia sic habet: Intellexerat David diuino instinctu, vt ex Psalmis colligitur, Ierusalem fore templi ac regni Iudeorum sedem, ac proinde cum exercitu eo profectus est, & à Iebusæis, qui eam colebant, ditionem illius postulauit. At illi responderunt: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos,* dicentes: *Non ingreditur David huc.* Porro quid cæcorum & claudorum nomine intellegendum sit, variæ sunt authorum interpretationes. Nam aliqui putant, fuisse tantum statuas seu imagines, alij verò homines. Statuas quidem tripliciter. Primo, vt per eas super muros positas significati fuerint homines otiosi, quasi dicat, Etiam nobis nihil agentibus intrare non poteris, tam scilicet munita vrbs nostra est. Secundo, vt per eas significata fuerint ædium fastigia, quibus illæ affixa essent, quasi dicat: Nisi transensis ædium nostrarum fastigiis, non ingredieris. Tertio, vt fuerint duæ imagines, quarum altera repræsentauerit Isaac cæcutientem, altera Iacob claudicantem: Et haec duæ propterea fuerint ad muros seu portas ciuitatis affixa, vt significarent, Iudeis non licere bello infestare Iebusæos, eo quod parentes eorum, Isaac & Iacob, percussissent olim fœdus pacis cum Rege Abimelech, cuius posteri erant Iebusæi; interposito etiam iuramento, quod in ore illarum imaginum descripsum erat. Hæc Rabinorum sententia est; sed falsa. Primo, quia illud fœdus cum Rege Abimelech non est initum à Iacob, sed ab Abraham, vt habetur Genes. 21.

22. Eodem tempore dixit Abimelech ad Abraham. Deus tecum est in uniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi & posteris meis. Dixitque Abraham: Ego iurabo. Et infra: Percusseruntque ambo fœdus. Secundò, quia si Iebusæi voluissent peccare animum Dauidis. & militum eius, pér aspectum seu memoriam Isaac & Iacob; non debuissent eos in forma cæci & claudi (quæ potius ad contemptum & derisum spectabat) sed in alia decentiori & augustiori tepræsentare. Tertiò, quia illa verba, quæ sequuntur in textu, cæcos & claudos, odiētes animam Dauid; nullo modo possunt accommodari Isaac & Iacob; neque præ se ferunt desiderium pacis, sed odij potius ac contentionis.

26. Alij ergo rectius sentiunt, fuisse veros homines, quod etiam tripliciter intelligi potest. Primò, quod fuerint ipsi met Iebusæi, qui dixerint Dauidi: *Nisi abstuleris cæcos & claudos*: id est, nisi nos abstuleris, quos tu conuitio militari cæcos & claudos appellasti, non ingredieris huc. Secundò, quod fuerint cæci & claudi, non corpore, sed animo, id est peccatores & flagitiosi. Tertiò, quod fuerint verè cæci & claudi, quos in contemptum Dauidis posuerint Iebusæi in mœnibus, quasi dicat; *Nostra civitas tā firma & munita est, ut non egeat aliis defensoribus, quam his cæcis & claudis, qui sufficierunt poterunt eam contra tuum exercitum tueri ac propugnare.* Hæc est vera explicatio huius loci, quam sequitur Ioseph. lib. 7. c. 2. Theodoret. q. 16. 17. Glossa interlinearis, Abulensi. q. 7. & plures alij. Simile quid legimus contigisse in vrbe Tyro, quæ cum esset fortissima, ciues in contemptum obsidétium, posuerunt Pygmæos in mœnibus quasi illi abundè sufficerent ad eius defensionem, nec indigeret alio propugnatore. De his loquitur Ezechiel Propheta c. 27. 11. *Sed & Pygmaei, qui erant in turribus tuis (ō Tyre) pharetras suas suspenderant* in

in muris tuis per gyrum, &c.

27. Ex hac autem dispositione, quæ sine dubio litteralis & germana est, non potest colligi, Dauid auferendo cæcos & claudos, voluisse ostendere, quod abusus & corruptelas Ecclesiæ esset ablaturus, ut fingit Sacellanus Regis Angliæ. Credo ne quidē in mentem illi hoc venisse, cùm ea res gesta est. Sed, et si id facere voluisset, non ideo se queretur, habuisse illū Primatum Ecclesiæ, quia, vt supra dixi, quibus paterfamilias potest tollere abusus & corruptelas, quando certò conitat tales esse.

III. Obiectio, ex facto eiusdem Dauidis.

28. **T**ertia obiectio est hæc; Qui perducit Arcam fœderis ad constitutum quietis locum, & Arcæ deportandæ præsultat, tenet Primatum Ecclesiæ. Atqui Rex Dauid perduxit Arcam ad constitutum quietis locum. 1. Paral. 13. 12. & Arcæ deportandæ præsultauit, 2. Reg. 6. 14. Ergo habuit Primatum Ecclesiæ. Hoc argumentum magni facit Sacellanus Regis, & vim facit in eo, quod Dauid saltauerit ante, nō post Arcam. Nam *hoc ipso*, inquit, significauit se Primatum tenere in negotio Arcæ deportandæ. Mira hominis subtilitas. Cur non similiter vim facit in eo, quod boues Arcam præcesserint, non secuti sint?

29. Ut autem magis appareat huius argumēti vanitas, tria notanda sunt. Primum est, quod in arca Domini fuerint hæc tria, *Vrna aurea habens manna, & Virga Aarón, que fronduerat, & tabula Testamenti*, ut expressè testatur Apost. Hebr. 9. 4. Alterum, quod hæc Arca, præser-tim quoad manna, quod in ea custodiebatur, fuerit typus seu figura nostræ Eucharistiæ. Ratio autem figuræ consistit in his: Primò, Manna datum est Israëlitis peregrinantibus in deserto, ut possent ad terram promissionis peruenire. Secundò, habuit omnem saporem suavitatis

uitatis corporalis (Sapient. 15. 10.) Tertiò fuit eibus de cœlo missus (Ioan. 6. 31.) Quartò fuit expositum dubitationi (Psalm. 77. 32. & contradictioni (Numer. 21. 5.) Quintò, licet alij plus, alij minus colligerent, eandem tamen mensuram postea habebant, (Exodi 16. 18.) Hæc omnia accommodantur Eucharistiæ. 1. quia datur Christianis in deserto huius vitæ peregrinantibus, ut possint ad vitâ æternam peruenire. 2. continet omnem saporē suavitatis spiritualis. 3. est cibus de cœlo missus. 4. exposita est dubitationi Capharnaitarū, & contradictioni Caluinistarum. 5. siue sub magna, siue sub parua hostia sumatur, æquè prodest sumentibus.

3Q. Tertium est, quod hæc tria distinguenda sint. 1. Arcam ædificare. 2. eam deducere, comitari, vel præcedere. 3. eandem portare vel attingere. Arcam ædificauit Bezeliel de tribu Iuda, & Oolias de tribu Dan, Exodi 31. 2. Arcam deduxerunt, & ante eam luserunt, non solus Rex, sed etiā populus, ut patet ex illo, 1 Reg. 4. 4. Misit populus in Silo, & tulerunt inde arcam foederis Domini exercituum, sedentis super Cherubin. Et 2. Reg. 6. 5. David autem & omnis Israël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis. Et inf. v. 15. David & omnis dominus Israël ducebant Arcam Testamenti Domini in Iubilo. Et 3. Reg. 8. 5. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israël gradiebatur cum illo ante arcā. At nemini licebit eam tangere, propter sanctitatem (quam & aliunde, & ex eo habebat, quod figura esset Eucharistiæ) nisi solis Sacerdotibus. Hinc Oza, quod eam tangere præsumplisset, cum Sacerdos nō esset, morte à Deo punitus est. 2. Reg. 6. 6. Imò ne Leuitis quidem hoc licuit. Nam ut patet Num. 4. iubebantur Sacerdotes velo arcam obuoluerre, & vectes per annulos arcæ transmittere, ne Leuitæ, qui illam portaturi essent, eam attingerent.

31. Ex his patet, quam fruolum sit argumentum Sacellani

cellani Regis, quando sic infert; Rex David deduxit & præcessit Arcam Domini: Ergo habuit Primatum Ecclesiæ. Cur non similiter infert; Omnis multitudo Israël gradiebatur ante Arcam: Ergo habuit Primatum Ecclesiæ? Vel sic; Pueri Christiani præcedunt Eucharistiam, quando publicè in processione deportatur; Ergo babent Primatum Ecclesiæ Ineptè omnia Potius sic oportebat argumentari; Non licuit Regibus, sed solis Sacerdotibus attingere Arcam Domini: Ergo Sacerdotes præferentur Regibus, in iis, quæ ad Deum & religionem pertinent.

IV. Obiectio, desumpta ex facto Salomonis Regis.

32. Quarta obiectio est talis: Qui ædificat templum, & Deo dedicat, tenet primatum Ecclesiæ: Atqui Rex Salomon ædificauit Templum, & Deo dedicauit, 1. Paralip. 28. 6. Et 2. Paral. 6. 10. Ergo Rex Salomon tenuit Primatum Ecclesiæ: hoc argumentum sic vrget Sacellanus: *Dedicare Deo templo, actus est primarius, neque cuiusquam, nisi cuius partes in Religione prima. At templum à Salomone dedicatum est. Ergo.*

33. Non video hic plus subtilitatis, quam in præcedenti argomento. Ut hoc ostendam, tria notanda sunt. Primum est, quod templum Hierosolymitanum de quo agimus, ter dedicatum sit. Primo à Salomone, 3. Reg. 8. 1. Secundo ab iis, qui è captiuitate Babylonica reuersi sunt, 1. Esdræ 6. 16. Tertio à Machabæis, cum post prophanationem esset iterum renouatum & sanctificatum, 1. Machabæorum 4. 36. Alterum est, quod dedicare rem aliquam Deo, si vim nominis species, nihil aliud sit, quam dicare illam cultui diuino, seu offerre, & destinare illam ad colendum Deum. Hoc modo (Exod. 35.) dicuntur Israëlitæ,

tam

tam viri, quam fœminæ, hyacinthum, purpuram, byfsum, coccum, pilos caprarum, pelles arietum, metalla & ligna certim dedicasse Deo; id est, obtulisse ad cultum diuinum. Eodem sensu Salomon dicitur templum Deo dedicasse, id est, diuino cultui dicasse seu mancipasse. Hinc non magis colligi potest Primatus Salomonis, qui ligna & lapides, quam fœminarū, quæ aurum, purpuram, & hyacinthum Deo dedicarunt. Tertium est, quod in hac templi dedicatione à Salomone facta variae ceremoniæ usurpatæ fuerint cum solenni lætitia. Nam primò, postquam templum ædificatum est, congregati sunt Israëlitæ ad Regem Salomonem in Ierusalem. 2. Sacerdotes intulerunt Arcam, tabernaculum, & omnia vasa sanctuarij in Templum. 3. Deus, ut ostenderet sibi placere, quod agebant, nebula impleuit templum. 4. Salomon gratiis Deo actis, multa precatus est, & præsertim, ut quicunque essent oraturi Deum in templo isto, exaudirentur. 5. Finita hæc oratione, victimæ & sacrificia Deo oblata sunt. 6. Iterum secuta est benedictio seu gratiarum actio; ac tandem octauo die, populus ad sua cum gaudio dimissus est. Hæc omnia habentur 3. Reg. 8.

34. Neque hinc colligi potest Primatus Salomonis, quod sic ostendo. Tria hominum genera spectari hic debent. 1. Salomon. 2. Sacerdotes. 3. Populus. Quid quisque horum fecit in hac dedicatione? Salomon oravit, & gratias Deo egit. Sacerdotes portarunt Arcā, tabernaculum, vasa sanctuarij, & obtulerunt sacrificia. Populus interfuit, & gratiis Deo actis, lætatus est. Si quid ergo pro primatu Salomonis colligendum est, sic colligi debet. Quicunque in templo recens ædificato, orat Deum, ut in eo exaudiantur preces & vota supplicantium, is tenet Primatum Ecclesiæ: At qui Salomon in templo à se recens ædificato oravit Deum,

vt in eo exaudirentur preces & vota supplicantium; Ergo tenuit Primate Ecclesiæ. At maior propositio aper-
tè falsa est. Quasi nemo, nisi qui supremam iurisdictio-
nem in Ecclesia habet, eo modo, quo Salomon, orare
possit. Multi mercatores, suis sumptibus, templo in ho-
norem Dei crexerunt, & quotidie erigunt. An non li-
ceat ipsis orare, vt Deus accepta ea habeat, & preces
seruorum suorum in iis exaudiat? Omnino sanè. Imò,
plerique clerci, quoties dedicatio alicuius templi oc-
currit, solent orare hoc modo: *Deus qui nobis per singu-
los annos huius S. Templi tui consecrationis reparas diem, &
sacris semper mysteriis representas in columnis; exaudi preces
populi tui, & praesta, ut quisquis hoc templum beneficia peti-
turus ingreditur, cum ea se impetrasset latetur. Per Dominum
noscum Iesum Christum filium tuum, &c.* Itémque hoc
modo: *Deus qui inuisibiliter omnia contines, templum hoc
potentia tuae inhabitationis illustra, & concede, ut omnes, qui
huc deprecatur conueniunt, ex quacunque tribulatione ad
te clamauerint, consolationis tuae beneficia consequantur. Per
Dominum nostrum, &c.* An hinc inferas, singulos clericos,
qui sic orant, supremos esse prælatos in Ecclesia?
Nihil minus.

35. Plus dicam. Faciamus in aliqua diœcesi Anglica-
na templum incendio perire, vel ab hostibus deuastari;
Episcopus suis sumptibus curet restaurari. Conuocet
deinde populum sibi subiectum: Inferat vas a sacra:
Oret Deum, ut ratum habeat hoc obsequium, & pre-
ces subditorum exaudiat: Offerat sacrificium: Benè pre-
cetur populo, & gratiis Deo actis, dimitiat vnumquæ-
que cum gaudio. Quid? An dices hunc Episcopum es-
se Primate Ecclesiæ? Si est, quid de Rege fiet? Si non
est, quid minus fecit, quam Salomon? Imò totum id
præstítit, quod Salomon & Sacerdotes simul.

*V. Obiectio, desumpta ex facto eiusdem Regis
Salomonis.*

36. **Q**uinta obiectio est talis; Qui deponit summū sacerdotem ab officio, & alium illi subrogat, necessariò habet iurisdictionem supra summū Sacerdotem: At qui Salomon Rex depositus Abiathar summū Sacerdotem ab officio, & subrogauit illi Sadoc. 3.Reg.2.27. Ergo Salomon Rex habuit iurisdictionem supra summū Sacerdotem. Hoc est præcipuum argumentem pro primatu Regis. Sed sanè parui momenti. Ac primum sic retorqueri potest: Qui deponit Regem ab officio, & alium illi subrogat, necessariò habet iurisdictionem supra Regem: Atqui Ioiada summus sacerdos, non solum depositus, sed etiam occidit Athaliā reginam, & Ioas in eius locum subrogauit. 4.Reg.11. Ergo Ioiada summus Sacerdos habuit iurisdictionem supra Regem.

37. Sed ad rem. Hæc obiectio duo supponit. Vnum, quod Salomon, quando depositus Sacerdotem ab officio, usus sit potestate regia. Alterum, quod recte ac legitimè ea usus sit. At neutrum probari potest. Imò gravissimi Authores constanter docent, non regia, sed prophetica potestate usum esse; nec ordinaria via, sed ex peculiari Dei instinctu fecisse, quod fecit. Ita Cardinalis Bellarminus, Iacobus Gretserus, & plures alij. Et videtur colligi posse ex illis verbis, 3.Reg.2.27. Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. quasi dicat, Olim tempore Heli Sacerdotis prædictum fuit à Deo per Samuelem Prophetam, fore aliquando; ut officium Sacerdotale auferatur à familia Heli, propter peccata filiorum eius, 1.Reg.2.31. Ut ergo hæc prophetia impleretur, Salomon diuino instinctu,

ctu , tanquam verus Propheta abstulit sacerdotium ab Abiathar, qui erat ex familia Heli.

38. Quod si ita est facile appareat, nullius momenti esse obiectionē Regis Angliæ. Nam nihil aliud ex facto Salomonis colligi poterit ; quam Prophetas accipere aliquando extraordinariam potestatem à Deo etiam supra Sacerdotes, quod nihil ad rem facit. Non enim disputamus de Potestate Prophetarum, sed Regū. Nec status controversia est , an Prophetæ ex peculiari Dei instinctu possint aliquando punire Sacerdotes ; sed an Reges ordinaria sua potestate possint id facere ? **Hec** valde distincta sunt. Et alterum cum altero minime connexum est. Non enim sequitur ; Salomon Rex peculiari Dei instinctu , submouit Abiathar Sacerdotem ab officio sacerdotali : Ergo Iacobus Rex, ordinaria sua potestate potest idem facere. Non magis, quam si dicā : Nathan ex peculiari Dei instinctu reprehendit Davidē Regem : ergo quilibet subditus in Anglia potest ordinaria via reprehendere Iacobum Regem.

39. Sed demus (quod tamen probari non potest) Salomonem in submouendo Sacerdote, usum esse potestate regia , quid quæso hinc efficitur contra nos ? Nihil sane, nisi prius constet, legitimè ea usum esse. Hoc autem nec in Scripturis sacris disertè exprimitur ; nec ex iis euidenter deduci potest. Alind enim est, factum aliquius recenseri ; aliud, probari seu commendari. Legimus quidem in Scriptura, Baziam gladio & præcipito se ipsum occidisse. Legimus, à Saüle sacerdotes Domini, ab Abimelech septuaginta fratres; ab Athalia, semen regium; ab aliis alios interfectos esse. At non legimus, hæc omnia iustè ac legitimè contigisse. Idem dico de Salomone. Legimus, ab eo depositum esse Abiathar sacerdotem. At nō legimus, rectè ac legitimè id factū esse. Vel ergo probandū est Regi Angliæ, factū esse legitimè; vel nihil cōtra nos cōcludit

40. *Dicit forte, Abiathar grauiter peccauerat contra Salomonem Regem; ac proinde dignus erat, qui puniatur. Potuit ergo Salomon auctoritate regia illum punire.* Respondeo. Non sequitur. Esto enim; peccauerit Abiathar propter iniquam conſpirationem , & dignus propterea fuerit, qui officio submoueretur. An ideo à Salomone submoueri legitime potuit? Id minimè cōsequens est. Non enim quilibet reus à quolibet puniri potest, sed ab eo dūtaxat, qui in illum habeat legitimam potestatem ac iurisdictionem. Hanc autem habuisse Reges Iudeorum in Sacerdotes, nō dum probatum est. Imò ex ipsis Iudeis contrarium probari potest, Semper enim persuasum ipsis fuit Reges non habere ullam iurisdictionem in eos, qui ministerio digno deputati sunt. Hoc satis colligitur ex illo, 1. Reg. 22. 16.

Dixit Rex Saul: morte morieris Abimelech, tu & omnis dominus Patris tui. Et ait Rex emissariis, qui circumstabant eū; Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini; nam manus eorum cum David est. Noluerunt autem servi Regis extenderre manus suas in Sacerdotes Domini. Ex quibus verbis patet, Regem Saulem mandasse suis famulis, ut interficerent Sacerdotes Domini, eò quod cōspitassent cū Davide cōtra ipsum Regē. Porro famulos Regis, qui erāt Iudei, & optimè norant eminentiam Sacerdotū supra Reges, non voluisse id facere, etiā si Rex mandasset. Nā certò persuasum illis erat, nō posse Regem legitimè id mādere, nec Sacerdotes imperio Regis subiacere. Quod etiam aduertens Rex, homini Barbaro ac gentili imperauit, ut quod famuli facere renuisserint, ipse imperterritus exequeretur. Quod etiam factum est. Subiungitur enim in textu: Et ait Rex ad Doēg. Cōuertere tu, & irru in Sacerdotes. Cōuersusq; Doēg Idumeus irruit in Sacerdotes.

41. Hinc ita concludo: Saul & Salomō fuerunt pates in potestate regia, nec plus iuris habuit Salomō in Sacerdotes,

cérdoṭes ; quām Saul , ex ea p̄cēsē parte. quia Reges erant. Atqui Saul, qua Rex, non habuit legitimā potestatē pūniendi Sacerdotes: ergo nec Salomon. Maior per se nota est. Minor patet ex dictis, quia famuli Saulis non recusassent imperiū sui Regis, si putassent illum habere legitimam potestatē in Sacerdotes. Libenter enim parebant illi in persecundo Dauide. Quōd ergo nollent parere in occidēdis sacerdotibus , qui adh̄erebāt Dauidi; non aliunde prouenire potuit, quām quod putarent , Regem habere potestatē in Dauidem, non autem in Sacerdotes. Idem ergo de Salomone, quā Rex erat, statuendum est. Si enim Sauli nō licuit punire Sacerdotes Domini; nec Salomoni potuit liceat. Vterque enim, qua Rex, pari potestate fuit præditus.

42. *Dices*; Non rectē hoc sequitur. Fuit enim aliunde, dispar causa utriusque. Nam Sacerdotes à Saule interfici erant innocentēs. Abiathar autem , quem Salomon pūniuit , erat reus læsæ maiestatis. *Quis* porro nescit , aliud esse , interficere innocentēs , quōd fecit Saul; aliud, pūnire reos, quod fecit Salomon ? Esto igitur; non rectē ac legitimē fecerit Saul; rectē; tamen ac legitimē fecit Salomon. *Respondeo*. Hæc disparitas non obstat. Tametsi enim Sacerdotes qui iubebantur interfici à Saule , re ipsa fuerint innocentēs ; nihilominus famuli Saulis, putabant esse nocentes, ac reos læsæ maiestatis : Nec tamen putabant licere Regi , etiam nocentes Sacerdotes interficere. Hoc inde cōstat; quia parebant Regi in persecundo Dauide, ut dictum est: & ideō parebant , quōd existimarent Dauidem iniūstē aspirare ad regnū, ac proinde læsæ maiestatis reum esse. Alias sanè non parituri. Cum ergo audissent à Saule Sacerdotes adhæriter Dauidi, quid aliud suspiciari poterant , quām eos etiam nocentes ac reos esse? Et tamen obtemperabant Sauli in prosecundo Da-

vide, non autem in necandis Sacerdotibus. Nec alia de causa, quam quod verè putarent, Regē habere potestatem puniendi & coērcendi laicos, nō autē Sacerdotes.

43. Ex his abundē satisfactum est argumento Regis; quod, ut compendio reperā, quæ dicta sunt, duplicitē formari potest. Primo, in hunc modū; *Salomon potesta-
te prophetica legitimè puniuit Sacerdotē: Ergo Rex Iacobus
potestate regia, idem prestare potest.* Secundo sic; *Salomon
potestate regia legitimè puniuit Sacerdotem: Ergo Rex Iaco-
bus idem prestare potest.* In priori forma negatur conse-
quentia; in posteriori, antecedens. Nec à Rege Angliæ
vnquam probari poterit.

*-sol rīmīq; homol; 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.
auilba. VI. Obiectio, ex facto Iosiae Regis.*

44. Extra obiectio est hēc. Qui librū legis è tenebris
serutū, populo recitari facit, & fœdus inter Deū
populūmq; redintegrat, habet primatū Ecclesiæ: Vtrū-
que fecit Rex Iosias, 4. Reg. 22. & 23. Ergo habuit Pri-
matum Ecclesiæ. Hoc argumentū vrget Sacellanus Re-
gis in hunc modū: *Libro reperto, indexit Rex conuentum,
in eo iubet recitari librum, recitato fœdus nouum init cū Do-
mino, populum quoq; ad fœdus adiuravit. Tum præcipit ipsi
Pontifici, reliquisq; secundi ordinis Sacerdotibus, ut eiiciat è
templo, atq; exurant vasa omnia, que Baali sacra fuerant,
ut excelsa demoliantur. Mandauit post de Paschate nouafa-
ciendo, denique de religione tota in integrum reformanda.*

45. Multæ sunt partes huius argumenti. Prima, quod
Rex, reperto libro legis Mosaicæ, conuocarit popu-
lum, vt eum illi prælegeret. Fateor; Sed Helcias
Pontifex, qui librum repererat, eo fine miserat Regi, vt
id faceret. Secunda, quod Rex iussit recitari librum
Legis. Esto. Etiam fœminæ apud aduersarios legunt
Biblia, aut ab ancillis recitari iubent. Tertia, quod re-
citato libro, fœdus nouum inierit cum Deo, id est,
quod

quod promiserit Deo , se velle custodire omnia præcepta, quæ scripta erant in libro Legis. An non cuilibet, etiam priuato homini, hoc licitum est ? Optatim sanè, singulos Christianos ita affectos esse, ut inito cù Deo fædere, promitterent, se legem seruatus. Quarta, quòd populum hortatus sit, ut idem præstaret. At hoc non soli Regi, sed cuilibet concionatori licitū est apud suos auditores. Nisi quòd aduersarij dicant, Legem seruatu impossibilem esse; In quo multum discrepant à Iosia, quem tantopere laudant. Quinta, quòd præceperit Pontifici & Sacerdotibus secundi ordinis, ut proiicerent de templo Dei omnia vasa, quæ facta fuerunt Baal, & aliis falsis Diis. Meritò sancte; quia hoc ad illos pertinebat. Nec tam præcepit, quām eos officij sui commonuit. Sexta, quòd mandauerit Pascha celebrari, quòd diu fuerat intermissum. At à Deo præceptum erat, ut celebraretur. Poterat ergo Rex vrgere executionem. Septima, quòd totam religionem iusserit in integrum reformari. Bonum factum. Nec tamen iudicium de reformatione , sed executio ad Regem pertinebat; iudicio reseruato Sacerdotibus.

VII. Obiectio ex facto Ezechiae Regis.

46. **S**eptima obiectio; Ezechias Rex confregit serpentem æneum, quamvis & diserto Dei manda-to erectum, & Christum Dominum suo modo figurantem, 4. Reg. 18. 4. Ergo tenuit Primatū in Ecclesia. Hic duo dicenda sunt. 1. Ex qua causa vel occasione id fecerit Ezechihas. 2. Qua autoritate fecerit. De priori, sic res habet. Serpens æneus ab initio, in bonū usum erectus fuit mandato Dei iuxta illud Numer. 21. 8. *Locutus est Dominus ad Moysen: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspicerit eū, viuet. Fecit ergo Moses serpentum æneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussi*

aspicerent, sanabantur. At postea, progressu temporis, abiit in abusum, quia filii Israël adolebāt ei incensum, ut habetur 4. Reg. 18. 4. idque propterea, quod meminissent, olim ex solo illius aspectu sanatos fuisse, quotquot à serpentibus morti erant in deserto: & putarent, se tunc quoque præsidij aliquid ab eo sperare posse. Hunc abusum volens tollere Ezechias, non alia via commodiūs id facere potuit, quam serpentem ipsum, qui erat occasio idololatriæ, tollendo & confringendo. At qua auctoritate id fecit? Non alia, quam diuina. Deus enim, non solum Regi, sed cuilibet ē populo mandauerat, ut aufretrent omnem cultum idolatriæ, Deuter. 7. 5. *Aras eorum subuertite & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite, quia populus sanctus es Domino Deo tuo.* Quid ergo mysterij hic est, quod Ezechias confregerit serpentem æneum, quod quilibet aliis facere potuisset?

47. *Dices: Serpens æneus, & Dei mādato factus erat, & Christum figurabat. Quid tum? Si ideo aliis non licuit eum cōfringere, cur Regi licuit? aut si Regi licuit, cur aliis non item? Nusquam legimus, Regi peculiare quid concessum fuisse circa serpentē, quod aliis similiiter concessum nō sit. Et quid dicemus de arca Noë? Nōnne, & mādato Dei facta fuit, & Christi Ecclesiam figurauit? Omnidē. An ideo soli Regi permisum fuit, illam dissoluere, post peractū diluvium? Nemo dixerit.*

VIII. Obiectio, sumpta ex titulis Regum veteris Testamenti.

48. **R**ex Angliæ, sicut hactenus ex facto Regum veteris Testamenti conatus est astruere Primatū suū in Ecclesia; ita nunc ad titulos eorū cōuertitur. Sunt autē hi. 1. Reges vocātur *Filij Altissimi.* 2. *Dij.* 3. *Vncti Domini,* 4. *in folio Dei sedentes.* 5. *Famuli Dei.* 6. *Angeli*

6. *Angeli Dei.* 7. *Facli iuxta cor Dei.* 8. *Lumina Israëlis.*
 9. *Nutritij Ecclesiae.* Ergo habet Primatum in Ecclesia.
 49. Videamus, quid lateat in his titulis. Primus est,
 Reges, inquit, vocatur filij Altissimi, iuxta illud, 2. Reg.
 7. 14. *Ego ero ei* (Salomoni) *in Patrem, & ipse erit mihi*
in filium. Sed quero, an non omnes pij ac fideles sunt
 filij Dei, qui ex Christi institutione dicuntur, *Pater noster,*
quies in celis? An non de omnibus piis ac fidelibus in-
 telligendum sit illud 1. Ioan. 3. 1. *Vide te, qualem charita-*
tem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus?
 Nihil dubito. Cur ergo Rex Angliae hunc titulum,
 quem Christus & Apostoli volunt omnibus bonis co-
 munem esse, solis Regibus arrogare vult? Et Sacella-
 nus, qui tantopere fauerit suo Regi, an se filium Dei es-
 se non putat? An in tota Anglia, solum Regem eo pri-
 uilegio gaudere censem? Nisi dicatur, omnes quidem
 pios, sed Reges peculiari quoddam modo filios Dei es-
 se. Etiamne improbos? Si soli probi sunt, iam non sa-
 ne, qua Reges, sed qua probi, filij Dei sunt.

50. Secundus titulus; Reges vocantur *Dij Psal. 81.*
 6. *Ego dixi, Dij es̄tis.* Et Exod. 22. 8. *Si inuenitur fur, du-*
plum reddet, si latet fur, Dominus domus applicabitur ad
Deos. Mira res. Solent aduersarij grauiter accusare Ca-
 tholicos, quod Pontificem Romanum appellant Deum.
 Et ipsi suos Reges impunè appellari sic volunt. Imò
 sacræ Scripturæ testimoniis abutuntur. Nam illud, *Ego*
dixi, Dij es̄tis, non de solis Regibus, sed de Prophetis
 quoque intelligendum esse, disertè explicat Christus
 Ioan. 10. 34. cùm ait: *Nōnne scriptum est in lege vestra,*
quia ego dixi, Dij es̄tis? *Si illos dixit Deos, ad quos sermo*
Dei factus est, &c. Similiter illud: *Dominus domus appli-*
cabitur ad Deos, non de Regibus, qui tunc nulli erant,
 sed de iudicibus intelligendum esse, quis nescit? Si er-
 go non soli Reges, sed etiam alij vocari possunt Dij,

quid est, quod ex hoc titulo colligit Rex Angliae, Reges, & non alios, esse Primates Ecclesiae?

51. Tertius titulus: Reges vocantur Christi, seu uncti Domini, 1. Reg. 4.11. *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est.* Fateor. At nō soli Reges, sed etiam sacerdotes in veteri Testamento vngabantur. Et quanquā hoc neget Sacellanus Regis, ita tamen clarum est, ut negari, nisi impudenter, non possit. Testimonia Scripturarē passim obuia sunt. Exodi 29.7. *Oleum unctionis fundes, super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur.* Et Leuit. 4.3. *Si Sacerdos, qui unctionis est, peccauerit.* Et Leuit. 8.12. *Fundens oleū super caput Aaron, unctione eum & consecravit.* Et Num 3.3. *Hec nomina filiorū Aaron Sacerdotum, qui unctioni sunt, & quorum consecrata manus, ut sacerdotio fungerentur.* Et 2. Machab. 1.10. *Qui est de genere Christianorum Sacerdotū.* Imò etiam Prophetæ vngabantur, 3. Reg. 19.16. *Iehu filium. Nam si vnges Regem super Israēl: Eliseum autem filium Saphat, vnges Prophetam pro te.* Hinc ita concludo: Vtrique, tam Sacerdotes, quam Reges, in veteri Testamēto, vocabantur *unctioni Domini*: Ergo si solus ille titulus spectetur, vel utriusque, vel neutri habebant Primum Ecclesiae. Si utriusque, cur de Sacerdotibus negat Rex Angliae? Si neutri, cur de Regibus affirmat? Addo. Vel sermo est de externa unctione, vel de interna. Si de externa, communis ea fuit Regibus, Sacerdotibus & Prophetis, ut dictum est. Si de interna, nemo fidelium excluditur. Omnes unctioni sunt, 1. Cor. 1.21. *Qui unctione nos Deus.* Et 1. Ioan. 2.20. *Vos unctionem habetis a Sancto.*

52. Quartus titulus, Reges dicuntur in solio Dei sedere, 2. Paral. 9.8. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suū, Regem Domini Dei tui.* Sed constat, duplex esse regnum: vnum terrenum, alterum spirituale. Duo igitur solia, duo throni, distingueendi

guendi sunt. Reges sedent in folio regni terreni: Episcopi in folio Ecclesiae, quod est regnum spiritale. Actor.
 20. 28. *Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Nec Regibus, sed Apostolis dictum est a Christo. Matth. 19. 28. Cum federit Filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël. En, Apostoli Regum iudices erunt, non Reges Apostolorum.

53. Quintus titulus, Reges vocantur Serui Dei. 2. Paral. 6. 15. *Qui præstitisti seruo tuo David, patrimeo, quacumque locutus fueras ei.* Ita est. Sed an soli Reges sunt serui Dei? An non etiam Apostoli & Episcopi? Act. 4. 29. *Et nunc Domine, da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Act. 16. 17. *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis.* Rom. 1. 1. Paulus seruus Iesu Christi. An non omnes pij Christiani? Rom. 6. 22. *Nunc autem liberati a peccato, serui autem facti Deo.* Occurrit Sacellanus, omnes quidem pios ac fideles vocari seruos Dei, sed tamen Regibus per quandam eminentiam connovere hunc titulum. Audio. Sed in quo consistit haec eminencia? An quia Reges sunt magis pij, quam ceteri fideles? An non semper id verum est. An quia seruiunt Deo in altiori gradu, quam ceteri? Hoc ipsum est in quaestione. Ego contendeo, Apostolos & Episcopos seruire in altiori gradu. Seruiunt Deo in regno Christi, quod non est de hoc Mundo, Sunt dispensatores mysteriorum Dei. Cor. 4. 1. *Et quod amplius est, sunt adiutores Dei,* 1. Cor. 3. 9. Imò sunt Patres seu genitores filiorum Dei, 1. Cor. 4. 15. Sunt fundamenta, supra quae reliqui edificati sunt. Ephes. 2. 20. Deinde, si plura expetantur, sunt supra conditionem seruorum Dei, Ioan. 15. 14. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius.* Kos autem dixi amicos; quia omnia, quaecunque audiri

audini à Patre meo . nota feci vobis.

54. Sextus titulus ; Reges vocantur Angelii Dei , 2. Reg. 14.20. *Tu autem Domine, mi Rex, sapiens es , sicut habet sapientiam Angelus Dei , vt intelligas omnia super terram.* Sed quid hinc colligi potest? Non aliud, quam ex omnibus Iudeorum Regibus, solum Dauidem vocatum fuisse Angelum Dei, idque à muliere, non ob regiam potestatem; sed ob singularem sapientiam, qua erat prædictus. *Quid si ego plus adferam pro Sacerdotibus?* Non de uno tantum , sed de omnibus dictum est illud Malach. 2.7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Nunc expendamus, uter rectius concludat, Rex Angliae, an ego. Regis illatio est haec : Dauid habuit tantam sapientiam, ut Angelo similis esse videatur: Ergo omnes Reges sunt tales: quisque igitur Rex in suo regno Primum Ecclesiae tenet. Inepte. Haec autem mea est : Omnes Sacerdotes summi in veteri Testamento, vocati sunt Angeli Dei, quia Dei voluntatem certò & infallibiliter aliis annunciant, quod non poterant Reges : Ergo Sacerdotes in rebus ad Deum pertinentibus erant supra Reges.

55. Septimus titulus ; Reges dicuntur facti iuxta cor Dei, 1. Reg. 13.14. *Quæsuit Dominus sibi virū iuxta cor suū.* Esto hoc. Quid tū? An quia Dauid Rex fuit vir iuxta cor Dei, omnes Reges tales sunt? Imò, contra res habet. Saul Rex, quia non erat vir secundum cor Dei, à regno exclusus est: Dauid autem, quia erat talis, Sauli subrogatus. Sic enim loquitur Scriptura: *Dixit Samuel ad Saül: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuū super Israël in sempiternū: sed nequaquam regnum tuū ultra cōsurget.* *Quæsuit Dominus sibi virum iuxta cor suū, vt esset Dux super populum suum.* Nec

Nec ullius momenti est distinctio Sacellani , cum ait, Regem dupliciter dici posse iuxta cor Dei. 1. quoad personam Regis. 2. quoad officium seu magistratum. Omnes Reges, etiam malos, licet priori modo non sint iuxta cor Dei, posteriori tamen esse. Sed, si hoc sufficit, omnes etiam Sacerdotes & Episcopi sunt secundum cor Dei. Imò magis, quam Reges. Nam Deus veteri Testamento sponte, & ex proprio beneplacito constituit magistratum sacerdotalem: regium autem, non nisi ex importuna iudeorum postulatione concessit, ut habetur 1. Reg. 8.5. Igitur Sacerdotum magistratus magis fuit secundum cor Dei, quam Regum.

56. Octauus Titulus: Reges vocantur *Lucerne Israëlis*, 2. Reg. 21.17. *Tunc iurauerunt viri David dicentes. Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguis lucernam Israël* Fateor. Sed etiam Apostoli vocantur à Christo *Lux Mundi*, Matth. 5. 14. Et Episcopi septem Ecclesiarum Asiae vocantur *septem stelle*: Apocal. 1.20. Si ergo Reges idè habent, Primatū in Ecclesia, quia appellantur *Lucerne*: cur non similiter Apostoli & Episcopi habeat Primatū, cū appellantur *stelle* & *lux mundi*? Non enim hic titulus minor est, quam ille. Hinc formotale dilemma: Hęc propositio, *Qui vocatur Lucerna, Lux, Stella, habet Primatū Ecclesia*: vel vera, vel falsa est. Si vera, sequitur. Apostolos & Episcopos habere Primum Ecclesiæ, quod Rex Angliæ negat. Si falsa, sequitur, Regem Angliæ ex falso fundamento procedere.

57. Nonus Titulus: Reges vocantur *Nutritij Ecclesiæ*, Isa. 49.23. *Et erūt Reges nutrij tui, & Reginæ nutrices tuae.* Sed adde quod sequitur: *Vultu in terra dimisso adorabūt te, & puluerem pedum tuorū lingent.* Loquitur Propheta de futura Christi Ecclesia; & dicit, fore aliquando tempus, quando reges & reginæ gentiles conuertentur ad fidē Christi, & sic magno incremento augebunt Ecclesiæ,

siam, eamque tanquam sponsam Christi venerabuntur. At hinc non efficitur reges & reginas fore primates Ecclesiæ, sed potius filios & subiectos. Et sanè, si vim faciamus in voce *Nuritius*, quis magis nutrituit Ecclesiam Christi quam Apostoli & eorum successores, qui per uniuersum orbem prædicarunt Euangelium, & omnes gentes, eum suis regibus & reginis, Ecclesiæ Christi aggregarunt? §8. Hactenus de titulis. Ex quibus sic concludo: Apostoli & Episcopi non habent minores titulos, quam Reges; immò sepe maiores: si ergo ex titulis debeat colligi Primatus Ecclesiæ, non minus Apostoli & Episcopi, quam Reges, erunt primates in Ecclesia; immò multò magis. Vtrunque ostendo inductione 3. Reges vocantur filii Altissimi. Non minus Apostoli. 2. Reges vocantur *Dii*. Etiā Sacerdotes & iudices Ecclesiastici. 3. Reges vnguntur. Etiā sacerdotes. 4. Reges sedent in solio terreno: At Apostoli & Episcopi in cœlesti. 5. Reges sunt serui Dei. At Apostoli, iam nō serui, sed amici. 6. Reges sunt *Angeli* Dei. Nec minus Sacerdotes. Immò toti generi Sacerdotum id conuenit; non tamen Regum. 7. Reges sunt *iuxta cor* Dei. Multò magis Sacerdotes & Apostoli. 8. Reges sunt *lucernæ Israëlis*. At Apostoli *lux mundi*. 9. Reges sunt *nuritiū* Ecclesiæ. At Apostoli *Patres nutritiorum*.

Conclusio totius capituli.

59. **H**oc capite ostensum est, nullum extare ius diuinum veteris Testamēti pro Primatu Regū: extare tamen pro Primatu Sacerdotum. Nec aduersarios ullū ius pro se hactenus allegasse, sed ex solis Regum factis & titulis argumentatos esse. Hanc autem argumentandi rationem non solum infirmam esse, sed etiam magis nobis, quam ipsis patrocinari. Hæsi autem diutiūs

diutiūs in hoc capite, quia si semel probatum sit, ex veteri Testamento nihil adferri posse pro Primatu Regis: consequenter ostensum erit, Reges nullo modo esse Primates Ecclesiae. Nam Sacellanus Regis Angliae factetur, fundamentum illius Primatus in solo veteri Testamento quæri oportere: & nullum illius in nouo vestigium aut exemplum existere. Nihilominus tamen, ut seruemus ordinem superius assignatum, etiam de nouo Testamento aliquid dicendum est.

Commentarius.

1. **C**Ita hoc caput, quod in hac quæstione præcipuum est, duo potissimum facis Tookere, Primo, quædam inepta ac futilia in medium adfers. Hæc lubens præteribo. Secundo, contendis mecum de quibusdam Scripturæ testimoniis, quæ ex veteri Testamento desumpta sunt. In his discutiendis, quia verè ad rem faciunt, aliquantis per immorandum est. Nec sine fructu, ut spero.

I. Testimonium scripture discutitur.

2. Igitur primum testimonium habetur Deuteronomio 17. 14. his verbis: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eā, & dixeris, Constituam super nos Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducat populum in Aegyptum, equitatus numerus sublevatus, praesertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciat animum eius, neque argenti & auri immensa pœnula. Postquam autem sederit in solio regni*

sui,

sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vita sua, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filius eius super Israël.

3. Ex hoc testimonio sic argumentatus sum: Quidquid de Regis electione, officio & potestate, statutum est iure diuino veteris Testamenti, hoc continetur in his verbis Deuteronomij, quæ iam citata sunt: sed in illis nihil habetur de Primatu Regis in rebus Ecclesiasticis: Ergo Primatus Regis in rebus Ecclesiasticis non fundatur in iure diuino veteris Testamenti.

4. Quid tu hic Tookere? Negas maiorem & minorēm. Maiorem, quia multa, inquis, statuta sunt iure diuino veteris Testamenti circa Regem, quæ non habentur in illis verbis Deuteronomij, ut v. g. de vñctione, inauguratione, & diuinatione Regis. Audi, mi homo. Non dixi, omnia vniuersè, quæ statuta sunt circa Regem, haberi in illis verbis Deuteronomij; sed omnia, quæ pertinent ad electionem, potestatem & officium Regis. Vñctio & inauguration ab eis distincta sunt. igitur hæc propositio negari poterat, si à me fuisset proposita: *Quicquid de Regis electione, vñctione, inauguratione, potestate & officio, statutum est iure diuino veteris Testamenti, hoc habetur in cap. 17. Deuteronomij.* Hæc autem non potest negari: *Quicquid de Regis electione, officio & potestate statutum est iure diuino veteris Testamenti, hoc habetur in cap. 17. Deuteronomij.* Nee ad eam elidendam valet instantia de vñctione & inauguratione.

5. Quod addis de diuinatione, sumpsisti ex illo Proverb. c. 16. 10. *Diuinatio in labiis Regiis, in iudicio non erabit*

errabit os eius. Sed nō video, quid ad rem faciat. Primo, quia nos hīc agimus de iis, quæ iure diuino statuta sunt in veteri Testamento, & quærimus, an inter ea debeat recenseri Primatus Regis in Ecclesia? At non omnia, quæ habentur in prouerbiis, statuta sunt iure diuino veteris Testamenti. Aliud est, hoc aut illud haberi in verbo Dei; aliud, hoc aut illud statutum esse iure diuino. Quæ tu confundis Tookere. Secundò, quia magni authores interpretantur illum locum, quem citasti ex Prouerbiis, de solo Christo, qui est Rex Regum; non de aliis Regibus. Nec sine causa. Nam Christus nunquā errat in iudicio; alij sēpe errant. Tertiò, quia cæteri, qui eundem locum interpretantur de aliis regibus non intelligunt de iudicio regum in rebus Ecclesiasticis, sed solum in ciuilibus: neque de quo quis Rege in particula-ri, sed tantum de aliquibus. Quo pacto Salomon non errauit in iudicio circa filium meretricis; nec Daniel in iudicio circa Susannam. An tu putas, Salomoni & Danieli omnes similes esse? Vtinam id quidem sit.

6. Negas etiam minorem. Negas, inquam, in isto capite Deuteronomij, nihil haberi de Primatu regis. Dic ergo, in quibus verbis vel apicibus habetur aliquid de Primatu? In istis, inquis: *Describet sibi Rex Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secū, legetq; illud omnibus diebus vita sua, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodi-
re verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Sed primū quæro, An Rex Angliae putet, hæc verba ad se pertinere, necne? Si ad illū nō pertinet, quomodo Primatus eius probari inde potest? Si pertinet, cur nō seruat, quæ in iis præcepta sunt? Non enim custodit cere-
monias & iudicia, quæ in Deuteronomio præscribun-
tur de agno paschali, de ciborum delectu, de libello re-
pudij, de stupro, adulterio, ædificio, suspedio, de aliis
sexcentis. *Opusc. Tom. III.*

Dices forte, non opus esse, ut Rex Angliae seruet omnia simpliciter, quæ in Deuteron. scripta sunt, sed ut seruet præcepta Decalogi. Nam reliqua præcepta ceremonialia, & iudicialia abrogata sunt. Esto sanè. Sed quid inde colligis pro Primatu? An ex eo, quia Rex seruare debet præcepta Decalogi, probare vis, Regem in Ecclesia Primatum obtainere? Valde erras. Etiam alij, qui reges non sunt, seruare ea debent; nec ideo in Ecclesia Primatum habent. At, inquires, hoc Regi præ aliis peculiare est, quod non solum ipse seruare ea debeat, sed & operā dare, ut subditi ea seruent. Primum nego, hoc illi peculiare esse. Etiā parētes curare debet, ut Decalogus serueretur à domesticis. Deinde, sit illi peculiare. Non dū probatum est, Sacerdotes & Episcopos, in rebus Ecclesiasticis, subditos Regi esse. Nec facile id probaturus es.

I I. Testimonium discutitur.

8. Secundum testimonium habetur in eodem cap. Deut. v. 8. his verbis: *Si difficile & ambiguū, apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinē & sanguinē, causam & causam, leprā & lepram, & Iudicū intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locū, quē elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad Sacerdotes Lenitici generis, & ad Iudicē, qui fuerit illo tēpore: quæresq; ab eis, qui indicabūt tibi iudicij veritatē. Et facies, quodcunq; dixerint, qui presunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legē eius; sequerisq; sententiam eorū, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tēpore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israēl.*

9. Circa hoc testimonium tria notaui. 1. Quid sermo sit de controuersiis legalibus, quæ difficultatē habent, & in vtrāq; partē ab inferiorib; iudicibus trahuntur. 2. Quod huiusmodi controuersiæ ad summū Sacerdotē,

tanquā ad legitimū iudicē deferendæ sint. 3. Quod sub
pœna mortis oporteat acquiescere sententiæ sacerdotis
10. Hinc dupliciter argumentatus sum. Primò sic:
Ille censetur habere Primatum Ecclesiæ, qui in rebus
ad legem diuinam & eius interpretationem pertinenti-
tibus, constitutus est supremus iudex in terris cui oport-
teat obedire: Atqui non Rex, sed Sacerdos constitu-
tus est talis Iudex à Deo: Ergo non Rex, sed Sacerdos
habet Primatum Ecclesiæ. Secundò sic: Si Rex esset su-
pra Sacerdotem in causis Ecclesiasticis, non opus esset
stare iudicio Sacerdotis, sed liceret ad Regem, tanquā
ad superiorem Iudicem prouocare. At hoc non licet;
Non ergo Rex, sed Sacerdos est supremus Iudex in
controversiis legalibus à Deo constitutus.

II. Hic vertis te in omnem partem, Tookere. Ac tria
potissimum dicis. Primò, in testimonio Deuteronomij
citato, latam esse legem à Deo, qua iubentur subditi in
rebus ambiguis ire ad summum Sacerdotem, & illius
iudicio acquiescere, seclusa omni prouocatione ad Re-
gem. Hoc pro me facit. Secundò, legem illam esse iudi-
cialem, ac proinde abrogatam. Hic te iugulas. Nam si
concedis, in veteri Testamento fuisse talem Legem à
Deo latam (etiam si iam abrogata sit) necessariò debes
concedere, Sacerdotem in veteri Testamento fuisse su-
premū iudicem in causis legalibus, cui omnes debue-
rint obedire: Et quod inde sequitur, Sacerdotem in ve-
teri Testamento habuisse Primatum Ecclesiæ. At hoc
ipsum est, quod cōtendimus. Quid ergo præsidij habes
ex veteri Testamento pro Primatu Regis? Nihil sanè.

12. Tertiò dicis, etiam si Lex illa non esset abrogata,
sed adhuc vigeret, non tamen obfuturam Primatui Re-
gis. Non enim latam esse pro solo Sacerdote, sed simul
pro Sacerdote ac Iudice. Itaq; ex illa lege nō cōfirmari
authoritatē solius Sacerdotis, sed authoritatē duarum

personarum coniunctim, nempe Sacerdotis & Iudicis: Et per Iudicem intelligi Regem. Audi Tookere. Dabo tibi, quod vis, legem illam latam esse pro duabus personis, id est, pro Sacerdote & Iudice. Sed primùm vnde probas, per Iudicem intelligi ipsum Regem? Textus loquitur de Sacerdote & Iudice, qui habitaturi erant in eo loco, quem elegisset Dominus Deus, id est, in eo loco, in quo futurum erat Tabernaculum vel Templum Domini. At Rex non semper habitabat in eo loco, ubi erat Tabernaculum: Ergo per Iudicem habitantem in eo loco non intelligitur Rex.

13. Sed etiā hoc dabo tibi, per Iudicē intelligi Regem, ac proinde legem illam Deut. coniunctim latā esse pro Sacerdote & Rege. Sed quo sensu hoc intelligis? Video quatuor modis intelligi posse. Primiō, vt vterque per modum vnius fuerit Iudex in quacunque controuersia, tam Ecclesiastica, quam ciuili; nec Rex sine Sacerdote, nec Sacerdos sine Rege, potuerit sententiam ferre. Secundiō, vt Sacerdos seorsim fuerit supremus Iudex in Ecclesiasticis, & Rex seorsim in ciilibus. Tertiō, vt solus Sacerdos fuerit supremus Iudex in omnibus, tam ciilibus, quam Ecclesiasticis; cui tamē Rex fuerit subordinatus. Quartō, vt solus Rex fuerit supremus Iudex in omnibus, cui Sacerdos fuerit subordinatus.

14. Primus sensus nec verus est, nec tibi patrocinatur. Non enim verum est, Regem & Sacerdotem, per modum vnius Iudicis, debuisse coniunctim de quacūque controuersia sententiam ferre. Hoc patet ex ipso tex-
tu, qui sīchabet: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspiceris inter sanguinē & sanguinē, causam & causam, leprum & lepram.* Vbi illa particula, *inter causam & causam*, cōmunis est, & extendi potest, tam ad causam Ecclesiasticā, quam ciuilem. Illa verò, *inter sanguinem & sanguinem*, significat causam ciuilem. Illa denique, *inter lepram*

lepram & leprā, denotat causam Ecclesiasticā ad solos Sacerdotes pertinentē. Nam soli Sacerdotes iudicabāt de lepra, ut expressè habetur in Leuit. c. 13. & 14. per totum. Vnde Christus in Euangilio non misit leprosum ad Regem, sed ad solum Sacerdotē. *Vade, inquit, ostende te Sacerdoti*, Matth. 8. 4. Hinc infero, in controvērsia de lepra, nō fuisse duos Iudices per modū vnius, sed solum Sacerdotem fuisse Iudicē sine Rege, Falsum ergo est, legem Deuteronomij latam esse Sacerdote & Rege coniunctim, per modū vnius. Sed etiamsi lata sic esset, non faceret pro te Tookere. Nam inde sequetur, Prīmatum Ecclesiæ in veteri Testamento non pertinuisse ad solum Regē, quod tu cōtendis; sed coniunctim ad Regem & Sacerdotem, quod tu minimē vis.

15. Secundus sensus omnino contra te est. Afferit enim in veteri Testamento fuisse duos supremos Iudices: alterū in controvērsiis Ecclesiasticis, nempe Pontificem; alterū in ciuilibus, nempe Regē aut Vicarium illius. Vbi ergo Prīmatus Regis in Ecclesiasticis? Et hoc sensu videtur hanc legem Deuteronomij, de qua agimus, interpretatus esse. Iosaphat Rex, 2. Pat. 19. 11. cū dixit; *Amarias Sacerdos & Pontifex vester, in his, que ad Deū pertainēt, prāsidebit*. Porrò Zabadias filius Ismaēl, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, que ad Regis officiū p̄tinent. De quibus verbis paulo post iterū dicemus.

16. Tertius sensus non minus cōtra te facit. Eò assertur, in veteri Testamento solū Sacerdotē fuisse supremum Iudicem controvērsiarū: Regem autē fuisse illi subordinatū, tanquā executorem. Hoc tu nō vis. Alij tamen volunt, pr̄sertim illi, qui sic legūt textum: *Qui autem superbierit, nolens obediē Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur*. Vbi illa particula, *nolēs obediē Sacerdotis imperio*, significat, Sacerdotem fuisse supremū Iudicem, cuius imperio erat obtemperandū. Illa verò,

ex decreto Iudicis morietur, denotat Regem vel Vicariū illius fuisse executorem sententiæ à Sacerdote latæ. Et ita sentit Cardinalis Bellarm.lib.4.de Pontifice c.1.

17. Quartus sensus pro te quidem faceret, si verus esset; sed tamen verus non est. Afferit tamē in veteri Testamento solum Regem fuisse supremū iudicē in omnibus controversiis, tam Ecclesiasticis, quam ciuilibus; & Sacerdotē fuisse illi subordinatū. Quod sine dubio falsū est. Hoc primò patet ex illa particula, *inter leprā & lepram*. Nam vt supra dixi, Rex in veteri Testamēto non iudicabat de lepra, sed solus Sacerdos. Deinde ex illa particula, *Qui noluerit obedire Sacerdotis imperio, morietur*. Quæ significat, ab Imperio & sentētia Sacerdotis non licuisse prouocare ad alium iudicem; ac proinde non fuisse aliū iudicē supra Sacerdotē. Ex quibus omnibus concludo, testimonium Deuteronomij, de quo hactenus actum est, nullo modo patrocinari Regibus, in quæstione de Primatu Ecclesiæ, sed Sacerdotibus.

III. Testimonium discutitur.

18. Tertium testimonium habetur, 2.Paral.19.8. his verbis: *In Ierusalē quoq; constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes & Principes familiarū ex Israël, ut iudiciū & causā Domini iudicaret habitatorib.eiis. Praecepitq; eis dicēs: Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrū vestrorū, qui habitat in urbibus suis, ostēdite eis, ut non peccent in Dominū. Amarias autē Sacerdos & Pōtifex vester, in his, quæ ad Dēū pertinēt, præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismaēl, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officiū pertinēt.*

19. Hoc testimonio vos abutimini pro Primatu Regis stabiliendo; nos rectē vtimur ad eundem Primatū destruendum. Facitis autem duo argumenta. Alterum est Iacobi Regis, in hunc modū: *Quicunque constituit Leuitas & Sacerdotes in aliqua ciuitate, habet Primatum*

tum Ecclesiæ: Atqui Rex Iosaphat cōstituit Leuitas & Sacerdotes in Ierusalem: Ergo habuit Primate Ecclesiæ. Hoc argumentum supra à me solutū est. Dixi, tria spectari posse in Leuitis & Sacerdotibus veteri Testamento. 1. Electionē seu designationē personæ ad officium diuinū. 2. Consecrationem. 3. Applicationem ad exercitiū in certo aliquo loco. Igitur Regem Iosaphat nec elegisse, nec consecrasse Leuitas & Sacerdotes (cū electio ad solum Deū, consecratio ad summum Pontificem pertinuerit) sed tantū applicasse ad exercitium in certo aliquo loco, id est, vocasse Leuitas & Sacerdotes, qui iam cōlectati erant, ut seruirēt Deo in Ierusalem, qui prius alibi seruiuerant. Hinc autē non recte colligi Primate Ecclesiæ. Nam & nunc Principes Catholicos simile quid facere, quādo aliunde vocant Iesuitas in suas ditiones, ut ibi concionentur, & alia officia diuina peragant; nec tamē ideo Primate Ecclesiæ sibi arrogare. Hæc fuit mea solutio. Tu nihil contra eā adfers, Tookere, nisi q̄ displiceat tibi exemplū Iesuitarū, quo solutionē illustravi. Si v̄sus fuīsē exēp lo prædicantiū, sine dubio nihil habuisses quod opponeres.

20. Alterum argumentū à te prodiit. Est autē huiusmodi. Iosaphat Rex constituit sibi duos Vicarios seu delegatos: Vnū in rebus diuinis & Ecclesiasticis, nempe Amariam Pontificem, alte: ū in ciuilibus & temporalibus, nempe Zabadiā: Ergo Iosaphat Rex habuit supremam iurisdictionē in vtrisque rebus, tam Ecclesiasticis, quam ciuilibus; quia in vtrisque habuit sub se Vicarium seu delegatum. *Respondeo.* Antecedens falsum est. Primo, quia si Iosaphat habuisset sub se Pontificem, tanquam Vicariū in Ecclesiasticis; sicut habuit sub se Zabadiam, tanquam Vicarium in ciuib; bus; planè sequeretur, quod sicut in ciuib; poterat omnia per se facere, quæ faciebat per Zabadiam,

ac etiam in Ecclesiasticis potuisset omnia per se facere, quæ faciebat per Pontificem: At hoc falsum est: Ergo & illud, ex quo sequitur. Maior per se nota est, quia quidquid facit aliquis per Vicarium, cui cōmittit seu delegat suas vices, potest facere sine Vicario, non delegando illi suas vices, sed sibi retinendo. Minor probatur, quia Iosaphat nō poterat per se exercere yllum officium summi Sacerdotis seu Pontificis. Non enim poterat introire in sancta sanctorum, nec offerre sacrificium, nec leprosos expiate; & quæ similia sunt. Seundò, quia Vicarius, qui habet potestatem delegatā, ab eo habet, cuius Vicarius est: sed Pontifex in veteri Testamento nō habebat suam potestatem à Rege, sed à Deo, mediante consecratione: Ergo nō erat Vicarius Regis. Maior patet ex ipsis terminis, quia habere potestatem delegatam, nihil aliud est, quam habere potestatem ab alio sibi concessam & demandatā. Minor constat ex ritu consecrandi Pontificem, Exodi 29.

21. Hæc sufficient de vestris argumentis. Nos ex eodē Scripturæ loco, multò fortius argumentamur contra Primum Regis; & quidem dupliciter. Primo sic: Qui præsidet in iis omnibus, quæ ad Deum & Ecclesiam pertinēt, habet Primum Ecclesiæ: Atqui in veteri Testamento, non Rex, sed Pontifex præsidebat in iis omnibus, quæ ad Deū & Ecclesiam pertinebant. Ergo in veteri Testamento non Rex, sed Pontifex habebat Primum Ecclesiæ. Nec est, quod obīcias, Pontificem nomine Regis præsedisse. Hoc enim iam ante refutatum est.

22. Secundò sic: In veteri Testamento, Zabadias præsidebat in iis omnibus, quæ pertinebant ad officium Regis; at non præsidebat in rebus Ecclesiasticis. Ergo res Ecclesiasticae non pertinebant ad officium Regis. Maior & minor disertè habentur in textu. Conclusio

clusio legitimè sequitur. Vel sic. Quæcunque pertinebant ad officium Regis, commissa erant Zabadiæ : at res Ecclesiasticae non erant illi commissæ : ergo non pertinebant ad officium Regis. Et quis dubiteret?

IV. Testimonium discutitur.

23. Quartum testimonium habetur, 2. Reg. 5. 6. his verbis : *Et abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo, in Ierusalem, ad Iebuseum habitatorem terre, dictumque est. David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes; Non ingredietur David huc.*

24. Ex hoc loco conatus est Sacellanus confirmare Primum Regis in hunc modum ; Ad Dauidem Regem spectabat, cæcos & claudos è templo tollere. Ergo ad eū spectabat, omnes abusus & corruptelas tollere. Ergo habebat Primum Ecclesiæ. Sed iam supra dixi, nec priorem nec posteriorem consequentiam legitimam esse. Tu tamen, Tookere, utramque legitimam esse vis. Itaque tecum agendum mihi iam est. Et quia tota lis pendet ex vero sensu illorum verborum : *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos,* primò discutiendum est, quid cæcorum & claudorum nomine intelligi debeat ? Vel, quod id est, an illa verba proprie, an metaphoricè intelligenda sint ?

25. Tu, cum Sacellano, (quem Episcopū Eliensem vocas) metaphoricè interpretatus es. Nec tamē in explicanda metaphora, cum illo consentis. Nam ille, per claudos & cæcos, generatim intelligit omnes abusus & corruptelas, quæ possunt esse in Ecclesia. Omnes enim, ut ipse ait, otiri solent, vel ex inscitia, quod ceci sunt homines, vel ex incuria, quod in officio claudicent. Tu non omnes, sed aliquas tantum corruptelas intelligi putas; ac eas potissimum, quæ sunt in ministris Ecclesiæ. Et in eum sensum citat illud ex Lexitico: *Cæcus & claudus*

non ingredietur in templum Domini, ut obeat ministerium.
 Sacellanus sic argumentatur: Illius est tollere omnes abusus, cuius est tollere cæcos & claudos, cum hæc duo idem sint (nisi quod alterum propriè, alterum metaphoricè intelligi debeat.) Atqui Dauidis erat tollere claudos & cæcos: Ergo illius erat tollere omnes abusus. Tu aliter, in hunc modum: Illius est tollere omnes abusus, cuius est tollere aliquos, cum omnium sit eadem ratio: Atqui Dauidis erat tollere aliquos: Ergo illius erat tollere omnes.

26. Dicam, Tookere. Ambo cæci & claudi estis; tu & Sacellanus. Cæci, in explicanda Scriptura; claudi in argumentādo. Testimonium Scripturæ, quod citatum est, nō metaphoricè de abusibus, sed propriè de hominibus verè cæcis & claudis, ad literam intelligendū est. Hoc primò constat ex re gesta, quæ sic habet: David Rex obsidebat Ierusalem & arcem Sion, in qua habitabant Iebusæi, qui ab obitu Iosue usque ad id tempus expelli inde nō potuerant, propter loci firmitatem ac munitionem. Quare Iebusæi, quod putarent se inexpugnabiles esse, irridebant conatū Dauidis, & per contemptum ponebant aliquot cæcos & claudos in mœnibus, qui acclamabant Davidi: *Non ingredieris huc.* Quo facto significabant, nōn alio, quā cæcorū & claudorum præsidio se egere ad urbem suā, contra tantum Dauidis exercitum, propugnandam ac conseruādam.

27. De qua re ita scribit Ioseph. lib. 7. antiqui Iudaic. cap. 2. *David cum omnibus his copiis Hierosolyma est profectus, Iebusæi vero, qui tum urbē incolebat, Chananaeorum & ipsi generis, clausis ad eius aduentū portis, & in mœnibus quotquot erat cæci vel claudi, aut alioqui mutili, in contemptum Regis collocatis, dicitabat hos ad arcendū hostē sufficeret, freti munitionū firmitate. Quo ludibrio ad irā cœcitatis, oppugnationē aggreditur, & cum strenua militum opera vteretur,*

riteretur, omnibus admittibus, ut unius urbis expugnatione, ceteris, si qui similiter pertinaces essent, metus incuteretur, vi inferiorem urbis partem occupat. Resistente autem sola arca decreuit propositis honoribus ac premiis, militi ad rem alacriter gerendam excitare: promisitque ei, qui per subiectam vallem in arcem evasisset, totius exercitus imperium se commissurum; & cum eo certatim omnes eniteretur, cupiditate summae prefecture accensi, Sarui & filius Ioab, alios praeuenit, & cōscensu arce, clamore sublato, à Rege promissum copiarum imperium poposcit. Similia habent alij, vt Theodoreetus quæst. 16. 17. Abulens q:7. Glossa interlinearis, Lyranus, &c.

28. Hinc patet, nomen cæcorum & claudorum non metaphorice pro abusibus, sed propriè pro verè cæcis & claudis, accipi oportere. Quod etiam confirmant illa verba, quæ sequuntur in textu sacro: *Proposuerat David in die illa præmū, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset dominū fistulas, & abstulisset cæcos & clados odientes animam David.* Vbi illa particula odientes animam David, non potest aliter intelligi, quam quod cæci & claudi, qui stabant in mœnibus, essent hostes & aduersarij Davidis. De abusibus certè intelligi non potest. *Quis enim sic loquitur, abusus oderunt animam David?*

29. Posita hac interpretatione, quæ verissima est, videamus, quam vim habeat argumentum tuum, Tookere. Sic sanè formandum esset: Iebusæi per contemptum dixerunt Dauidi. Non ingredieris in hanc ciuitatem, nisi prius abstuleris cæcos & clados ex mœnibus: Ergo ad Dauidem iure diuino spectabat, tollere abusus & corruptelas Ecclesiæ. Consequentia probatur, quia Tookerus & Sacellanus sunt boni viri, quibus negari nihil potest.

V. Testimonium discutitur.

30. Quintum testimonium habetur, 2. Reg. 6. 2. his verbis:

verbis: Surrexit David & abiit, & uniuersus populus cum eo, ut adducerent Arcam Dei. Et infra v. 14. David saltabat totis viribus ante Dominum, accinctus Ephod lineo. Et David & omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ.

31. Ex hoc testimonio putat Sacellanus stabiliri posse Primatum Regis, in hunc modum: David præcessit arcam Domini: Ergo habuit Primatū Ecclesiæ. Sed iam supra dixi, ineptam esse consequentiam. Sicut etiam hæc inepta est; Populus Israël præcessit arcam Domini: Ergo habuit Primatū Ecclesiæ. Et si nilit̄ hæc: Pueri Christiani præcedunt venerabile Sacramentū Eucharistiæ, quando in publica processione deportatur. Ergo habent Primatum Ecclesiæ Adieci. hanc legitimam esse; Non licuit Regibus, sed solis Sacerdotibus, attingere arcam Domini: Ergo Sacerdotes præferuntur Regibus, in iis, quæ ad Deum & religionem pertinent.

32. Hæc tu ægrè fers, Tookere. Et multa, quæ parum ad tem faciunt, in medium adfers. Primo dicis, me, cum ista scribete in fortasse inter scyphos lusisse, & Ioannis illius Angli, olim Papæ vel Papissa de Moguntia, recordatū esse. An putas me tui vel Thomsonij similem esse, ut quotidie inter scyphos madeā? De te sic scribūt, qui norūt: *Guilielmus Tookerus, minister genialis & aulicus, comedit bibitq; lautè. Item: Culinam tantum & Bacchū sapit. Item: Homo est turbulentissimus, vinolētus, indoctus. De Thomsonio sic: Richardus Thōsonius notus omnib. natione Bataeus est, sed ex parentibus Anglis, rhetor, poëta, & potator insignis. Nescio si aliter similis illi in Anglia Bythias. Itē: Quidam vir grauis sapiens hominē adiit, sed sēper ebriū inuenit, & ad integrum diē, sobriū reperiare factu difficile, imò & impossibile existimat. Nos, Tookere, in hac schola non exercemur.* 33. Et quæ est illa Papissa de Moguntia, de qua loqueris? Constat, apud vos fuisse fœminam, quæ Ecclesiæ Angli

Anglicanæ supremum in terris Caput, post Christum, appellata est. Magno sanè vestro dedecore. Apud nos, nec est, nec fuit, quæ similem titulum aut honorem sibi arrogaret. Neque tam molles ac delicati sumus, ut in rebus ad Ecclesiam pertinetib[us], vnius fœminæ arbitrio, dirigi ac gubernari nos sinamus. Antiqua fides & religio, quam sequitur, cordatos & robustos cultores habet. Vobis, qui nouella ac molliori fide imbuti estis, volupe est, vel mulierculæ, vel androgyni alicuius imperio subiacere. Aptissimè à quodam dictum est:

*Roma viros Papas ; Papissas Anglia cœlo
Subiehit ; androgynos stulta Geneua colit.*

34. Sed videamus cætera. Secundò igitur dicis, Ecclesiam nostram similem esse Michol filiæ Saulis. Sicut illa irrisit Dauidem ante arcam saltantem; sic nos ridere & subsannare vestra solennia. Magnum mysterium narras Tookere. Sed erras in personis. Puritani rident & subsannant solennia Catholicorum; rident Exorcismos in Baptismo; rident Sacra menta Confirmationis, Ordinis; Pœnitentiæ, extremæ Vnctionis; rident cantum, organa, sacrificia, ieunia, festiuitates, solennes processiones, & quæ similia sunt. Nihil horum apud vos est, aut si adhuc aliquid est, à Puritanis, qui vobiscum habitant, ridetur & subsannatur. Nos certè innoxii sumus.

35. Tertiò dicis, Eucharistiam, quæ in solenni processione deportatur, nihil aliud esse, quam libum, frustulum, crustulum, idolomaniam: Et nos, qui eam prosequimur, *Asinos esse, clitellis superstitionum onus*tos. Hoc est, quod dixi, Too^kere. Tu cum Puritanis rides nostra solennia; non nos vestra. Nos Dauidi; vos Micholi similes in hac re estis. Dauid in solenni processione deducebat arcam, & præ gaudio saltabat, canebat, exultabat. Et quo magis à fœmina ridebatur, eo maiori conatu ac pietate, inchoatum opus perficiebat. Ita planè nunc

nunc fit. Nos Catholici in solenni processione deducimus sacrosanctam Eucharistiam, & præ gaudio exultamus, ac omni campanorum, musicorum, organorum & cereorum genere, Deum nostrum honoramus : Et quo magis à vobis irridemur (qui in hoc negotio fœminæ, non viri estis) eo plus incrementi capit nostra deuotio , & in Deum charitas ac reuerentia. Neque nos turbat, quod asini à te vocemur , quod clitellis superstitutionum onusti esse dicamur. Iam pridem edocti sumus , calumnias & iniurias patienter pro Christo ferre. Hoc vnum dolemus, quod sacram Eucharistiam tam enormi blasphemia lacerare ausus es. Quanquam aliud à te expectari vix potest. *Culinam tantum & Bacchum sapis.* Res diuinæ ludibrio tibi sunt.

36. Atque hæc haec tenus effudisti. Addis duo, quæ ad causam spectant : vnum circa Sacellani , seu Episcopi Eliensis argumentum ; alterum circa meum. De illius argumento sic scribis : *Rectè conclusit Eliensis Episcopus: David saltauit & præiuit in negotio arcæ deportandæ: Ergo Primatum tenuit.* Et est vnum, inter cetera, argumentum pro Primatu Ecclesiæ. Sed paulo post cogam te aliter canere.

37. Meum argumentū erat hoc: Non licuit Regibus, sed solis Sacerdotibus, attingere arcam Domini. Ergo Sacerdotes præferuntur Regibus, in iis, quæ ad Deum & religionem pertinent. Hanc illationē concedis cum hac limitatione: *Sacerdotes præferuntur Regibus, non quidem in omnibus, quæ ad religionē pertinet, sed tamen in quibusdam, id est, in liturgiis, concionibus, clauibus sacramentis.* Bene habet, Tookere. Accipio, quod das. Porro ex hac tua concessione coiliqi possunt hæc duæ propositiones. Vna , Sacerdotes præferuntur Regibus in quibusdam rebus ad religionem pertinentibus. Altera, Reges vicissim præferuntur Sacerdotibus in quibusdam rebus ad religionem pertinentibus. Hinc primò sequitur, nec solum

solum Regem, nec solum Sacerdotem, habere absolu-
tē Primatum in Ecclesiā Anglicana. Nam in quibus-
dam Rex superior est; in aliis Sacerdos. Secundō sequi-
tur eum alteri in Ecclesiā Primatu praeferendum esse,
qui alteri præfertur in rebus Ecclesiæ dignioribus: At-
qui Sacerdos, ex tua sententia, præfertur Regi in Litur-
giis, concessionibus, clauibus Sacramentis, quæ sunt res
Ecclesiæ digniores: Ergo Sacerdos præfertur Regi in
Primatu Ecclesiæ. Itane est Tookere?

38. Sed magis te vrgebo, in hunc modum: Sacerdos
præfertur Regi in Sacramentis, & consequenter in ne-
gotiis ad Sacraenta pertinētibus, ut iam disertè con-
fessus es: At arca Domini in veteri Testamento erat Sa-
cramentum, quod tu etiam expressè affirmas: Ergo Sa-
cerdos in veteri Testamento præferebatur Regi in ne-
gotio ad arcam pertinente. Ergo iam penitus evanescit
argumentum Sacellani, quod antea defendebas.

Alia Testimonia.

39. Supersunt alia quinque testimonia, de quibus in-
ter nos contentio est. Primum de ædificatione & de-
dicatione templi à Salomone facta. Alterum de Abia-
thar summo Sacerdote, quem Salomon exauthorauit.
Tertium de Iosia Rege, qui fœdus inter Deum & po-
pulum redintegravit. Quartum de Ezechia, qui ser-
pentem æneum confregit. Quintum de titulis, quibus
Reges in veteri Testamento honorantur. Sed hæc om-
nia iam superius à me explicata & discussa sunt. Nec tu
quicquam adfers, Tookere, quod noua disquisitione
indigeat. Nam ineptias tuas, & pueriles declamatio-
nes, in quibus studium ac operam perdis, non tanti fa-
cio, ut hoc loco refutandas existimem. Igitur pergo ad
tertium caput, in quo agitur de iure noui Testamenti.

C A P V T . I I I .

*An Rex iure diuino noui Testamenti habeat
Primatum Ecclesiæ?*

1. **I**VS diuinum noui Testamenti à Christo conditum est. Is enim, sicut veteres ritus, ceremonias, sacrificia, totam denique synagogam abrogauit: ita noua Sacra menta, nouum sacrificium, nouos ministros, nouam Ecclesiam instituit: Et præcepta dedit, quibus omnia, quæ ab ipso instituta essent, legitimè gubernari & conseruari possenr. Nunc ergo quæstio est, quid in hac tota Oeconomia sua statueri de Primatu Ecclesiæ? An eum voluerit esse apud Reges & Principes sacerdotes, an verò apud Apostolos & eorum successores?

2. Repeto quod supra monui, hunc Primatum consistere in exteriori iurisdictione, cuius potissimi actus sunt hi. 1. Regere Ecclesiam. 2. Synodos conuocare. 3. Iisdem præsidere. 4. Lites finire & controuerrias fidei decidere. 5. Leges & constitutiones condere. 6. Contumaces excommunicare; aut alio modo punire delinquentes. 7. Ministros Ecclesiæ cōstituere & depone-re. Et si qui similes. Igitur inuestigandum est, quinam hanc iurisdictionem in Ecclesia à Christo acceperint? Apostoli & eorum successores, an Reges & Principes sacerdotes? Id autem ex quadruplici capite inuestigari potest. Primo, ex verbis Christi, quibus suam mentem in hac re declarauit. Secundo, ex testimoniosis Apostolorum, qui sine dubio Christi mentem assēcuti sunt. Tertio, ex praxi, quæ illo tempore in Ecclesia seruata est. Quartò ex aliis circumstantiis.

3. Si verba Christi spectemus, res in prōptu est. Legamus Euangeliū. Mox inueniemus, Petro dictū esse,

Ioan,

Ioan. 21. 22. *Pasce oves meas*, Et Matt. 16. 18. *Tu es Petrus,*
& super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ in-
ferorum non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claves
regni cœlorum. Et Luc. 22. 32. *Tu aliquando conuersus con-*
firma fratres tuos. At nusquam legimus, Tiberio, Pilato,
 vel Herodi dictum esse: *Pascite oves meas : Ecclesia meæ*
Primatum tenete.

4. Et quid est, *Pasce oves meas?* Constat ex Euangelio,
 Christum esse Pastorē: Ecclesiā esse ouile: Christianos,
 oves. Igitur tantundem est, ac si dixisset: In hoc pastorali
 officio vicariā operam mihi præsta. Ouile meū tibi cō-
 mēdo; pasce, quotquot in eo sunt, oves. Vel clariū: Ec-
 clesiam meā tibi cōmendo: dirige & gubernā fideles,
 quotquot in Ecclesia sunt. Vno verbo. Vicarius meus
 esto. Quid vñquā simile dictū est Regi vel Imperatori?
 Imò eos ipsos, si oves Christi sunt, Petro cōmissos esse,
 necesse est, cui totum louile cōmissum est. Rectè enim
 Epiphanius in Ancorato: *Hic est, qui audiuit, Pasce oves*
meas, cui creditum est ouile. Et Eucherius Lugdunensis in
 Vigilia S. Petri: *Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia*
non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit.
Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit
& matres: regit & subditos, & Prælatos. *Omnium igitur*
pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est.

5. Iam, quid aliud est, Petro, non Regi aut Imperato-
 ri, datas esse claves Ecclesiæ, quam datam esse potesta-
 tem & officium gubernandi Ecclesiā? Hoc ipsa Meta-
 phora planè significat. Et confirmat vsus. Solent enim,
 qui in familia vel vrbe præsunt, accipere claves in si-
 gnum imperij & iurisdictionis. Vnde Dominus apud
 Isaiam c. 22. cùm vellet significare, se potestatē summi
 sacerdotis translaturū à Sobna in Eliacim, vsus est me-
 taphora clavium. Sic enim ait: *Vade, & ingredere ad eum,*
qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum tēpli, &

dic ad eum: *Quid tu hic? Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te: & vocabo seruum meum Eliacim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manus eius: Et dabo clauem dominus David super humerum eius: & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & nō erit qui aperiat.* Eadē metaphora vtitur scriptura ad significandū principatū Christi, Apocal. 3.7. *Hec dicit sanctus & verus, qui habet clavē David: qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Hinc Gregor. lib. 4. epist. 32. *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica, omnium Apostolorum principi Petru totius Ecclesiae cura commissa est.* Ipsi quippe dicitur, *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

6. Et quis usus harum claviū est? soluere & ligare: aperire & claudere, id est exercere triplicem potestatē; Vnam intromittendi in Ecclesiam, & ciiciendi, prout quisque meretur. Alteram, soluendi vincula peccatorum, legis, voti, iuramenti. Tertiam, ligandi per præcepta & pœnas. Vno verbo: exercere supremam iurisdictionem in domo Dei, quæ est Ecclesia.

7. Igitur ex verbis Christi, perspicuè constat, Petro & eius successoribus, non item Regi cōmissum esse ouile, concreditas oues, concessas claves. Videamus nunc, quid Apostoli hac de re dicāt. Sane D. Paulus, tametsi non semel, sed s̄aepē, de structura & regimine Ecclesiæ Christi loquatur, nusquam tamen Reges Principes fæculares, sed ubique Apostolos & Episcopos, nominare solet. Proferam tria ipsius testimonia. Primum est Act.

20. 28. *Attendite vobis & uniuersō gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Verba aperta sunt. Qui ergo constituti sunt præsides & Reatores Ecclesiæ Christi: Episcopi. A quo constituti sunt: A Spiritu sancto. Reges ergo vel constituti non sunt; vel à Spiritu sancto non sunt. Alterum est, Ephes. 2.20. *Superadifi-*

adificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarū, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Hic in structura Ecclesiæ nullum fundamentum est, præter Christum, Apostolos & Prophetas. At si Reges ad illam structuram pertinerent, & quidem magis, quam Apostoli & Prophetæ, sine dubio dicendum esset: Superadificati super fundamentum Regum, Apostolorum & Prophetarum. At Reges omisi sunt; & tamen structura perfecta est. Tertium est, Ephes. 4.11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangeliastas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in adificationem corporis Christi. Hic tria spectanda sunt. 1. Ædificatio Ecclesiæ. 2. Opus ministerij. 3. Consummatio sanctorum. Sensus ergo est: Christus volens suos fideles, qui in illum credituri sunt, perducere ad consummationem, id est, ad sanctitatem & vitam æternam: ædificauit pro iis Ecclesiæ, & in ea constituit ministros, qui fidelibus præfendent, eosque ad finem suum consequendum, docendo, & gubernando iuarent. Et quos illos? Apostolos, Prophetas, Euangeliastas, Pastores, Doctores. Nulla fit Regum mentio.

8. Ex his testimentiis sic concludo. In Ecclesia Christi est legitimus quidam ordo, seu, ut alij vocant, dispositio & Hierarchia, in qua alij Prælati, alij subditi sunt: alij Pastores, alij oues: alij in fundamento, alij supra fundatum: alij Doctores, alij discipuli. Vel ergo Reges includuntur in hac hierarchia, tanquam Primates, vel tanquam subditi. Si hoc posterius; salua res est. Si illud prius, necesse est, maiori potestate præditos esse, quam Apostolos & Episcopos. Nam si vel parem cum illis, vel inferiorem potestatem haberent, non recte dicerentur esse Primates Ecclesiæ. Si ergo maiorem habent, ea sine dubio à Christo ipsis concessa est. At

vbi & quibus verbis? Aut vbi Apostoli in suis scriptis & actis illius potestatis à Christo concessæ meminerūt? In testimoniosis citatis nihil inuenio. Omnes silent de Regibus: loquuntur de Apostolis. Solus Rex Angliae cum suo Sacellano, dicit rem ita habere, *An à vobis, inquit Apostolus, Verbum Dei processit: aut in vos solos peruenit?* 1. Cor. 14. 36.

9. Venio ad praxin Ecclesiæ, quæ tempore Apostolorum seruata est. Ea, sine dubio, fallere non potest. Quis ergo tunc Ecclesiam gubernauit? Apostoli. (Act. 20. 28.) Quis primam Synodus, quæ Hierosolymis celebrata est, indixit? Apostoli, Act. 15. 6. Quis huic synodo cum autoritate præsedidit? Apostoli. Quis sententiam dixit? Apostoli. Quis legem de abstinentia ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato fanciuit? Apostoli. Quis Corinthium incestuosum excommunicauit? Paulus Apostolus (1. Cor. 5. 3.) Quis accusationem aduersus Presbyteros, tanquam legitimus iudex, admisit? Timotheus Episcopus. (1. Tim. 5. 19.) Quis Ananiam & Saphiram in causa Ecclesiastica puniuit? Petrus Apostolus (Act. 5. 3.) Nullæ hīc partes Regum; nullum vestigium.

10. Dicet fortè Rex, eo tempore nulos fuisse Reges Christianos, qui Ecclesiam gubernare, & hæc officia præstare potuissent. Rectè quidem. Sed nec erant Apostoli aut Episcopi Christiani, antequam Christus eos & Episcopos in noua Ecclesia instituit: cur non etiam nouos Reges, qui Ecclesiæ præcessent? Et sicut Paulum Ecclesiæ persecutorem, subito in vas electionis immutauit: cur non simili modo egit cum Tiberio Imperatore, vel Herode Rege?

11. Hinc iam sumo nouum argumentum ex circumstantiis in hunc modum: Si Christus voluit Reges esse

Primates Ecclesiæ, & supra Apostolos & Episcopos iurisdictionem exercere: cur non statim ab initio; sicut certos Apostolos elegit, sic etiam certos Reges designauit, qui Ecclesiæ præsiderent? Cur non statim, sicut Apostolos instruxit, quo pacto prædicarent Euangelium, administrarent sacramenta, & Ecclesiam propagarent: sic etiam Reges docuit, qua ratione Apostolis, & doctoribus in regimine Ecclesiastico præcessent, synodos conuocarent, controversias dirimerent? Cur denique sicut Apostolis, præter priuatam instructiōnem, promisit Spiritum sanctum, cuius instinctu cetera omnia cognoscerent, quæ ad ipsorum ministerium pertinebant: sic non etiam Regibus promisit eundem Spiritum, qui eos in suo officio perfectius omnia edocerent? Nihil horum factum.

12. *Concludo*, Reges ex institutione Christi non habere Primum Ecclesiæ; quia nec verba Christi, nec testimonia Apostolorum, nec praxis primæ Ecclesiæ, nec circumstantiæ rerum vlla ratione id significant. Omnia Apostolis & eorum successoribus patrocinantur. De illis dictum est. *Auctor. 20. 28. Spiritus S. posuit vos regere Ecclesiam Dei. Et 1. Cor. 4. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et 2. Cor. 5. 10. Pro Christo legatione fungimur. Et Luc. 10. 16. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et plura in eandem sententiam.

O B I E C T I O.

13. Sed multa obiicit Rex Angliæ in sua Apologia, his verbis *Quid in novo Testamento: Omnis anima iis (Regibus) subiici iubetur, idq; propter conscientiam. Orandum quidem & pro omnibus, sed præcipue pro Regibus & in autoritate constitutis, ut sub iis piam ac pacatam, honestamq; vitam degamus. Magistratus Dei administer est ad uincendos faci-*

norosos innocentes autem , atque probos remunerandos.
Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatis-
tibus, sed potissimum principibus, & in eminentia collocatis.
Reddite unicuique quod suum est: timorem, cui timor: amo-
rem, cui amor iure debetur. Date Cesari, quae Casaris sunt;
Deo quae Dei sunt. Regnum meum non est de hoc mundo,
Quis me constituit iudicem super vos ? Reges gentium do-
minantur eorum. Vos autem non sic. Hactenus Rex.

14. Sed facilis solutio. Ac primùm ut generatim dicam, quod res est: Hac testimonia partim ad quæstionem, de qua agitur, non faciunt : partim quatenus à Christo & Apostolis prolata sunt, pertinent ad Reges & Imperatores Ethnicoꝝ, cuiusmodi erant Tiberius, Caius, Claudius, Nero & similes. Certū autē est, Christum & Apostolos nō voluisse suis testimoniis significare, Reges & Imperatores ethnicoꝝ habere Primatum in Ecclesia. Qui enim sunt extra Ecclesiam quomodo Primateſ sint in Ecclesia ? qui ne quidē mēbra, quomodo caput ? qui hostes Christi, quomodo Vicarius ?
 15. Speciatim ſic respondeo. Illud Rom, 13.1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : nihil omnino contra nos facit. Habet enim hanc facilem & obuium ſenſum: Omnis homo, qui ſub potestate eſt, debet obediſſe ſuo ſuperiori, in rebus, in quibus ſuperior eſt. Quis hoc nescit ? Nego autem, Reges eſſe ſuperiores in rebus Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus. Hoc probandum erat. Ex hoc autem loco probari non poteſt.*

16. Illud etiam 1. Timoth. 2.2. *Orandum pro omnibus, ſed præcipue pro Regibus, & in authoritate cōſtitutis, ut ſub iis piam ac pacatam vitam degamus, partim male citatū, partim male intellectum eſt. Non enim addit Apoſtolus illam particulam, præcipue, nec illam item, ſub iis, ſed illis relictis, ſic habet: Obſecro igitur primū omnium fieri obſecrationes, orationes, paſtulationes, gratiarum actiones*

nes pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hinc sanè non efficitur, Reges habere Primatum in Ecclesia. Nec Apostolus eo loco præfert Reges aliis hominibus, sed æqualiter de omnibus loquitur, ut pater ex sequentibus, ubi rationem reddit, cur pro omnibus orandum sit, quia, inquit, *hoc acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. At Deus æquè vult omnes saluos fieri: Et Christus æquè pro omnibus mortuus est, æquè pro omnibus semetipsum tradidit. An Rex Angliæ putat, pro se magis, quam pro Apostolis & Episcopis, mortuum esse Christum? aut Deum magis velle, ut Rex saluus fiat, quam eius Sacellanus? Non ita est. Addo, D. Paulum ibi loqui de Regibus gentilibus, qui ad agnitionem veritatis nondum venerant. Vult enim orationes fieri pro illis, ut conuertantur, & salui fiant. At quæ hæc consequentia est: *Orandum est pro Regibus ethnicis, ut ad fidem Christi conuertantur: Ergo Reges ethnicæ Primate tenent in Ecclesia Christi?* Planè absurdâ est.

17. Illud verò, Rom. i 3. 4. *Magistratus Dei minister est ad vlciscendos facinorosos:* vel ut vulgata lectio habet: *Dei minister est vindictor in iram ei qui malum agit: nihil ad rem facit: Fatemur, Reges portare gladium, & habere potestatem puniendi peccata subditorum: & in ea re iustitiae diuinæ ministros esse.* At negamus hanc potestatem extendi ad causas & tribunal Ecclesiasticum. In hoc tribunali præsident Apostoli & Episcopi. Illi, ut ostensum est, conuocant synodos; sententiam dicunt; litem dirimunt; nouas constitutiones lanciunt; contumaces excommunicant; & similes

Ecclesiasticæ iurisdictionis actus ex officio exercent.
Reges procul sunt ab hoc tribunali.

18. Eiusdem momenti est illud: *Omnibus quidem obtemperandum est superioribus, sed potissimum Principibus & in eminentia constitutis.* Omnino sic res habet. Sed addendum est, alios esse superiores in temporalibus; alios in Ecclesiasticis. In utroque genere reperiri Principes, quibus obtemperandū sit. In hoc quidem Pontifices; in illo autem Reges. Igitur Pontificibus potissimum obtemperandum esse in rebus Ecclesiasticis; Regibus verò in politicis. *Quis hoc neget?*

19. Porrò ex illo Rom. 13.7. *Reddite unicuique quod suum est: timorem, cui timor, & amorem, cui amor iure debetur:* non video, quomodo Primatus Regum in Ecclesia stabiliri possit. Non magis, quam si dicam: Reddit parentibus amorem & timorem, qui illis iure debetur: Ergo parentes sunt Primates Ecclesiae. Cur non sic potius; Reddite Pontifici timorem & amorem, quia illi iure debet: Ergo Pontifex est Primas Ecclesiae?

20. Iam illud, Matth. 22.21. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo:* omnino extra scopū est, ut ex Euangelio constat. Quærebant Iudæi à Christo, an tenerentur Cæsari Romano, qui tunc gentilis erat, tributum dare, necne? Christus, inspecto numismate, in quo Cæsar's effigies erat impressa, respondit, *Date Cæsari, quæ Cæsari sunt: id est, date illi tributum, quod ei debetur.* An hinc sequitur, Cæsarem gentilem eo tempore habuisse Primatū Ecclesiæ Christi in imperio Romano? aut Christum voluisse dicere, obediendum esse gentili Cæsari in rebus ad Ecclesiam pertinentibus? Nihil minus. Nisi quis putet, hanc collectionē esse legitimā; Christiani in Turcia habitates debent Imperatori Turcarū pendere tributū, quod iure exigit: Ergo debent illum agnoscere Primatem in rebus Ecclesiasticis.

sticis. Hoc Angli, qui in Turcia sunt, non concederint.
 21. Multò minus ad causam facit illud, Ioan. 18.36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Quid enim? An quia Christus, secundum humanitatem, nō est Rex temporalis, sed spiritualis; ideo Reges temporales habent Primitatum in spiritualibus?* Contrarium potius collendum erat hoc modo: Regnum temporale distinctum est à spirituali: sicut ergo Christus & Apostoli administrant spirituale; ita Reges & Imperatores tempora. Itēmque, sicut Christus, qua Rex spiritualis, non vult se immiscere regno temporali: ita Iacobus, qua Rex temporalis est, non debet se immiscere regno spirituali.

22. Eodem spectat illud Lucæ 12.14. *Quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Ex quo, si aliquid concludi debet ad rem, sic debet: Christus non est constitutus aliorum iudex in controvēsiis temporalibus, qualis est *de diuidenda inter fratres hereditate.* Ergo Rex Angliæ est constitutus Iudex in spiritualibus. At quæ hæc illatio est? Iam ante dixi, sic potius inferendū esse: Christus in causa temporali dixit, *Quis me constituit Iudicem super vos?* Ergo similiter Rex Angliæ in causa spirituali debet dicere, *Quis me constituit Iudicem super vos?*

23. Denique illud Lucæ 22.25. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: quid prodest ad Primitum, de quo agimus? Nihil sane. Sensus est: Reges gentiles solent esse ambitiosi, & multa per tyrannidē facere, ac suis potius, quam subditorū cōmodis studere. Vos autem (mei Apostoli) nolite eos imitari, sed cum modestia & fraterna dilectione Ecclesiā administrare, sicut & ego facio.* Eodem sensu ac spiritu dixit Petrus in priori epist. can. cap. 5.3. *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontātē, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominātes in ceteris, sed forma facti gregis ex animo.* Hinc

iam inferat Rex Angliae; Apostoli non debent esse ambitiosi & crudeles, sicut Reges ethnici: Ergo Rex Angliae tenet Primatum Ecclesiæ. Quid absurdius? Sic potius: Christiani nō debent esse ambitiosi, more gentilium: Ergo Rex Angliae cum Christianus sit, non debet ambire Primatum Ecclesiæ, quem multis iam sæculis Pontifex Romanus legitimè & quietè usurpauit.

24. Ex dictis duo colliguntur. Vnum est, nos ex nostro Testamento, variis testimoniiis & argumentis perspicuè demonstrasse, Reges sacerdtales non habere Primum & supremam iurisdictionem in Ecclesia Christi. Alterum, nullum testimonium à Rege, vel Sacellano allatum esse, quod non potius contra, quam pro ipso faciat Nūc ad ius Canonicū & Ciuile trāseamus.

COMMENTARIUS.

1. IN hoc capite probauit; Primum seu supremam gubernationē Ecclesiæ, non deberi Regibus, iure noui Testamenti, sed Apostolis & eorū successoribus. Id autem quatuor modis probauit. Primo, ex verbis Christi, quibus suam mentem in hac re declarauit. Secundo, ex testimoniiis Apostolorū, qui sine dubio Christi mētem aſſecti sunt. Tertio, ex praxi, quæ illo tempore in Ecclesia seruata est. Quartio, ex circumstantiis. Deinde solui obiectiones, quæ à Iacobo Rege, pro Primatu Regio allatae erant. Videamus nunc, Tookere, quid tu sentias de his omnibus, & singula ſcorſim diſcutiamus.

Ex verbis Christi.

2. Igitur ex verbis Christi ſic argumentatus ſum: Dictum est Petro Apostolo, non autem Tiberio, Herodi, aut Pilato, *Pasce oves meas*. Ergo Apostolis, non Regibus, aut Imperatoribus commiſſa eſt gubernatio Ecclesiæ.

clesiæ. Dupliciter respondes ad hoc argumentum. Primo, his verbis: *Dictum est Tiberio, date Cæsari, quæ Cæsar is sunt. Dictum est de Herode, Dicite illi vulpecula.* *Dictum est coram Pilato, Ego sum veritas.* Sed non video, quorū hæc spectent. Nisi, quod verisimile est, velis sic ratiocinari: Christus dixit de Tiberio, *Reddite Cæsari, quæ Cæsar is sunt;* Ergo significauit, Tiberium habere Primum Ecclesiæ. Similiter Christus dixit de Herode, *Dicite illi vulpecula.* Ergo vulpecula cōmisit suam Ecclesiam. Denique, Christus dixit coram Pilato, *Ego sum veritas:* Ergo testatus est, Pilatum præesse Ecclesiæ. Age, Tookere: Vis hoc inferre, vel aliud? Si hoc, ineptè. Si aliud, otiosè.

3. Secundò respondes, quidquid Petro dictum est, non soli Petro, sed aliis quoque Apostolis dictum esse, ac proinde, ex verbis Christi non posse conuinci, Petrum præ aliis Apostolis habere Primum Ecclesiæ, sed potius, omnes Apostolos in hac re pares esse, nec alterum alteri præferendum. Vbies, Tookere? Non quæritur hîc, an Petrus præ aliis Apostolis habeat Primum Ecclesiæ (quod alio loco, si opus erit, disputabitur) sed solum, an Christus in nouo Testamento, voluerit Apostolos & eorum successores, an verò Reges & Imperatores, præesse suæ Ecclesiæ? Ego pro Apostolis pugno: tu pro Regibus & Imperatoribus. Ego contendô, Petro non Herodi dictum esse, *Pasce oves meas.* Tu vicissim contendis, de Herode, non de Petro dictum esse, *Dicite illi vulpecula.* Vter rectius? An ego, qui Pastori oves committo; an tu, qui vulpeculam in ouile intromittis?

Ex Testimoniis Apostolorum.

4. Produxo tria testimonia D. Pauli, quæ confirmant Primum Episcoporum, non Regum aut Principum saecularium. *Primum est, Act. 20. 28. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Eccle-*

Ecclesiam Dei. Alterum, Ephesiorum, 2. 20. *Superedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum:* *ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Tertium, Ephesiorum 4.11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in aedificationem corporis Christi.* In quibus testimentiis ex professo agitur de structura & gubernatione Ecclesiæ in nouo Testamento; & tamen nulla fit mention Regum aut Principum secularium, sed Apostolorum & Prælatorum Ecclesiæ.

5. Respondes, D. Paulum in citatis testimentiis nō loqui de exteriori regimine Ecclesiæ, (de quo dicis, illum alibi agere) sed tantū de prædicatione Euangelij & Sacramentorum administratione. Non ita est, Tookere. Loquitur etiam de exteriori regimine. Hoc clarè indicant illa verba, *Spiritus S. posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Deinde, si alibi loquitur de exteriori regimine, profer vel vnum locum, vbi dicat, externum regimen Ecclesiæ, non ad Episcopos, sed ad Reges & Imperatores pertinere. Nunquam id facies.

6. Addis, eo tempore, quo Apostoli vixerūt, non opus fuisse Regibus, qui in externo regimine præcesserent Ecclesiæ, eo quod satis præsidij ad eam rem esset in ipsis Apostolis, qui tune coruscabant miraculis, & alia patrabant admiratione digna. Sic enim habes: *Satis præsidij fuit in ipsis (Apostolis) ad illud tempus primæ Ecclesiæ, cum ipsi coruscarent miraculis, virtutēsque magnas facerent, Dæmonia partime iicerent, partim subiicerent sibi ipsis in nomine Christi; obstinatos ac rebelles Satanae traderent ad destructionem carnis.* Et post aliquot pagellas iterum: *Pro illis temporibus erat satis præsidij in Apostolis, Apostolicisque viris, atque Euangelistis pro gubernanda Ecclesia.*

7. Rectè. Fateris ergo, Apostolos eo tempore gubernasse

nasse Ecclesiam, nō Reges aut Imperatores. Hoc ipsum est, quod vrgemus. Quid ergo paulò ante missit abas de Tiberio, Herode, & Pilato? Aut cur illis' Primatum Ecclesiæ astruebas? Non illi sed Apostoli regebat tunc Ecclesiam, vt tu ipse concedis. Et, quo iure regebant? Non alio sanè, quam iure noui Testamenti. At hoc ius mutatum non est. Ergo gubernatio Ecclesiæ, eodem iure, quo tunc pertinebat ad Apostolos, nunc pertinet ad Episcopos, Apostolorum successores. Nihil certius. Nec tu amplius tergiuersari hīc potes. Sic enim te constringo: Quidquid iuris habuerunt Apostoli in exteriori regimine Ecclesiæ, hoc acceperūt Episcopi, qui illis successerunt, singuli in suis Prouinciis: At Apostoli habuerunt plenum & perfectum ius in exteriori regimine Ecclesiæ, independenter à Regibus & Imperatoribus: Ergo etiam Episcopi, qui illis successerunt, eodem iure vñ sunt. Minor à te concessa est, & paulò post iterum concedetur. Maiorem probo, quia in toto nouo Testamento non potes mihi vel apicem ostendere, qui insinuet, ius illud, quod Apostolis concessum est, fuisse postea reuocatum; & ab Apostolis ad Reges & Imperatores, non autem ad Episcopos transiisse.

8. Hæc sufficiant de tribus testimoniis, quæ ex D. Paulo, pro Primatu Episcoporum à me allata sunt. Adieceram, ex occasione, duas quæstiones, quas hic repeatam. Vna erat; cū in Ecclesia Christi sit legitimus quidam ordo, in quo alij Prælati, alij subditi sunt; alij Pastores, alij oues; alij doctores, alij discipuli; an Reges includantur in hoc ordine, tanquam Primates, an tanquam subditi? Tu respondes, includi, vt subditos. Verba tua sunt hæc: Includuntur, vt subditi, & toti Ecclesiæ Catholice subiecti. Vera confessio. At hinc sequitur, quod nos volumus, Episcopos in Ecclesia superiores esse Regibus. Hi enim, vt fateris, subditi sunt; illi Prælati

Hi oves, illi pastores; hi discipuli, illi Doctores. Quod etiam alibi ingenuè fassus es, his verbis: *Serenissimus ac pientissimus Rex noster Iacobus, non habet quicquam antiquius & honorificentius, quam ut cum Valentiniano filium se Ecclesia profiteatur, & cum Theodorico Italiae Rege, se alumnū Ecclesiae, & discipulum Archiepiscoporum suorum & Episcoporum, libenter recognoscat.*

9. Altera quæstio erat, an Apostoli in suis scriptis unquam significarint, Reges habere maiorem potestatem in Ecclesia, quam Episcopos. Hic tergiuersatis, Tookere; & post longam digressionem, quam instituis contra Pontificem, tandem ita subiungis: *Inuenio, nihil prouisum fastui Pontificio, multum autem honori Regio consultum & attributum. Honorandos omnes, honorandum Regem præcipue: orandum pro omnibus, ac deinde, (ac si primum locum dedisset Regibus) pro Regibus & omnibus in sublimitate constitutis. Addis hæc duo testimonia: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et, Subditi estote omni humanae ordinationi, sine Regi ut præcellenti.*

10. Videamus, quid in his verbis præsidij sit. Ex iis fieri possunt hæc quatuor argumenta. Primum; Omnes sunt honorandi, sed præcipue Reges: Ergo Reges habent maiorem potestatem in Ecclesia, quam Episcopi. Respondeo. Antecedens verum est, si Reges conferantur cum suis subditis, & quidē in rebus ciuilibus. Ibi enim magis honorandi sunt, quam subditi. Falsum, si conferantur cum Episcopis, ac potissimā in rebus Ecclesiasticis. Nam ibi Episcopi plūs honorandi sunt, quam Reges. Episcopi, vt Magistri; Reges, vt Discipuli, vt paulo ante fassus es. Hinc S. Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus, in epistola ad Philadelphienses. *Omnis, inquit, Clerus simul cum omni populo, & militibus atque Principibus, sed & Cæsare, obedient Episcopo: Episcopus vero Christo.* Et Cyrillus Catechesi 17. *Ad hodiernam usque*

que diem cernimus, mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis.

11. Alterum; Orandum est pro omnibus, & quidem primò loco pro Regibus: Ergo Reges habent maiorem potestatem in Ecclesia, quam Episcopi. Tertium: Omnis anima debet esse subiecta sublimioribus potestatibus: Ergo Reges, in Ecclesiæ regimine præferuntur Episcopis. Quartum: Subiecti estote Regi: Ergo Rex est supra Episcopos. Hæc argumenta soluta sunt capite præcedenti; & paulò post iterum de illis agendum est. Igitur ad alia pergamus.

Ex præxi Ecclesiæ.

12. De hac re ita scripsi; Venio ad praxin Ecclesiæ, quæ tempore Apostolorum seruata est. Ea, sine dubio, fallere non potest. Quis ergo tunc Ecclesiam gubernauit? Apostoli. Acto. 20. 28. Quis primam Synodum, quæ Hierosolymis celebrata est, indixit? Apostoli. Acto. 15. 6. Quis huic Synodo cum autoritate præsedidit Apostoli. Quis legem de abstinentia ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato fanciuit? Apostoli. Quis Corinthium incestuosum excomunicavit? Paulus Apostolus. 1. Corint. 5. 3. Quis accusationem aduersus presbyteros, tanquam legitimus Iudex admisit? Timotheus Episcopus. 1. Tim. 5. 19. Nullæ hic partes Regum; nullum vestigium.

13. Tu respondes his verbis: *Omnia conceduntur.* Valde liberalis es. Tookere: & metuo, ne Rex aut Sacellanus tibi offendatur. Concedis, Apostolos gubernasse Ecclesiam, indixisse Synodum, in Synodo cum autoritate præsedisse, sententiam dixisse, legem Ecclesiasticam fanciuisse, contumaces excommunicasse, in causis Ecclesiasticis legitimos iudices fuisse. Satis est: plus non desidero. Iam si possum argumentari: Qui pro-

pria

pria authoritate gubernat Ecclesiam, & reliqua omnia facit, quæ spectant ad gubernationem Ecclesiæ, is habet Primatum in Ecclesia: At Apostoli propria auctoritate gubernarunt Ecclesiam, & reliqua omnia fecerunt, quæ spectabant ad gubernationem Ecclesiæ: Ergo Apostoli habuerunt Primatum in Ecclesia. *Omnia, inquis, conceduntur.* Igitur pergo, ut supra feci; Episcopi, qui succedunt Apostolis, habent idem ius in exteriori gubernatione Ecclesiæ, quod habuerunt Apostoli: At Apostoli habuerunt ius Primatus: Ergo Episcopi, eorum successores, habent idem ius Primatus. Quid nunc ages cum vestro Rege? quid cum Sacellano? Quāmuis hunc facile placabis, ut opinor, quia cum iam sit Episcopus Eliensis, putabit suo honori valde consultum esse, si afferas, Episcopos habere primatum Ecclesiæ, non Reges. At Rex, sine dubio, murmurabit.

Ex circumstantiis.

14. Ex circumstantiis sic argumentatus sum: Si Christus voluit Reges esse primates Ecclesiæ, & supra Apostolos & Episcopos iurisdictionem exercere; cur non statim ab initio, sicut certos Apostolos elegit, sic etiam certos Reges designauit, qui Ecclesiæ præsiderent? Cur non statim, sicut Apostolos instruxit, quo pacto prædicarent Euangelium, administrarent Sacra menta, & Ecclesiam propagarent; sic etiam Reges edocuit, qua ratione Apostolis & Doctoribus in regimine Ecclesiastico præfessent, Synodos conuocarent, controversias dirimerent, cōtumaces excommunicarent? Cur denique, sicut Apostolis, præter priuatam instructi onem, promisit Spiritum sanctum cuius instinctu cetera omnia cognoscerent, quæ ad ipsorum ministerium pertinebant; sic non etiam Regibus promisit eundem

Spī

Spiritum, qui eos in suo officio perfectius omnia edoceret? Nihil horum factum.

15. In hoc meo argumento continetur haec trimembra quæstio: Si Christus voluit, Reges habere Primum Ecclesiæ, cur initio certos aliquos non designauit? cur non instruxit? cur Spiritum sanctum non promisit? Hic tu irasceris, Tookere, & vocas me, *Nouitum in fine Christi, mirum, stultum, delirum.* Ignosco tibi. Nec iam solum, sed usque septuages septies, si pergis. Mox obiicis, cum tam multa quæram de Regibus, cur non similiter quæram:

*Dic, quibus in terris, inscripti nomina Regum
Nascuntur flores?*

Dicam tibi. Non soleo nugari in re seria; neque extra chorum saltare. De primatu Ecclesiæ nunc agitur, non de floribus: nec ex Virgilio, sed ex Euangeliō lis finienda est. Igitur pergam te vrgere, dum respondeas. Si, inquam, Christus voluit, Reges præesse Ecclesiæ, cur neminem designauit? cur non instruxit? cur Spiritum sanctum non promisit? Tandem aliquid extorsi. *Ad hæc tria, inquis, ζητήματα, uniusmodi, & simplex responsio nostra.* O altam sapientiae cognitionisq; Dei opulentiam! quam penitus recōdita eius iudicia! quā abstrusa sunt eius rationes! *Quis enim mentem Domini nouit, aut quis eius fuit consiliarius?* Scrutare, si libet, profunda Dei: abyssus abyssum inuocat. Nondum venerat plenitudo temporis, ut vocarentur Reges: ab ortu solis usque ad occasum eius uniuersus orbis terrarum vocandus erat. Pro illis temporibus erat satis præsidij in Apostolis pro gubernanda Ecclesia.

16. Hæc non simplex, sed triplex responsio est. Prima, Nescio, Deus nouit. Altera, nōdum erat tempus, ut vocarentur Reges. Tertia, Satis erat præsidij in Apostolis pro gubernanda Ecclesia. Prima reliquas destruit. Nam si nescis, quod quæritur, quomodo scis? Quæsiui ex te,

cur Christus ab initio non designarit aliquem Regem, qui gubernaret Ecclesiam, si volebat Ecclesiam à Regibus gubernari? Respondes, ideò non fecisse, tum quia nondum erat tempus vocandi Reges; tum etiam, quia nulla erat necessitas, quia Apostoli per se poterant regere Ecclesiam. Hæc cine vera causa est, Tookere? Omnipotens, inquis. At, si veram causam scis, quomodo nescis? Aut si nescis, quomodo scis? An profunda Dei iudicia scrutatus es? An consiliarius eius fuisti?

17. Nondum acquiesco. Disceptamus inter nos, An Christus Apostolos & eorum successores voluerit preesse Ecclesiæ, an verò Reges & Principes sæculares? Prior pars à me afferitur; posterior à te. Haec tenus ostendi, verba Christi, testimonia Pauli, praxim Ecclesiæ, pro me stare. Nunc de circumstantiis agitur. Ex iis sic disputo; Omnes circumstantiæ, quæ faciunt ad Primatum, fauent Apostolis; nullè Regibus: Ergo, si ex circumstantiis iudicandum est, Apostoli, non Reges, habuerunt Primatum Ecclesiæ. Antecedens probo, quia Christus, cum institueret nouam Ecclesiæ formam, Apostolos vocauit, elegit, instruxit, claves commisit, Spiritus sancti charismata impertiuit. Nihil horum factum est Regibus. Nulli à Christo vocati, electi, instructi sunt; nullis clavem Ecclesiæ tradidit; nullis Spiritum sanctum largitus est. Qui ergo verisimile sit, non Apostolos, sed Reges, Ecclesiæ gubernatores à Christo designatos esse: Hic certè homini prudenti non satisfacies, Tookere, si exclames: *O altam sapientiæ cognitionisq. Dei opulentiam.* Addo aliam circumstantiam: quæ non parum momenti habet, Apostoli non solum à Christo vocati, electi, instructi, potestate clavium & Spiritu sancti donati sunt; sed etiam re ipsa Ecclesiæ gubernarunt, Synodum indixerunt, legem sanctiuerunt, contumaces excōmunicarunt, in causis Ecclesiasticis legitimi

Iudices fuerunt. Nihil horum affirmari potest de Regibus. Quæ ergo temeritas est Primum Ecclesiæ negare Apostolis, quibus omnes circumstantiæ patrocinantur; & astruere Regibus, qui omni circumstantiarum præsidio destituti sunt? Utinam, Tookere, quod alibi importunè facitis, hic opportunè faceretis. Alibi vociferamini, Ecclesiam nostrâ corruptâ esse, nec aliter repurgari posse, quâm si ad pristinum statum, in quo fuit tempore Apostolorum, reuocetur. At, mi homo, tēpore Apostolorum, non Reges, sed Apostoli gubernabât Ecclesiam, ut tu ipse faslus es. Cur ergo Ecclesiam vestrâ Anglicanam ad normam Apostolicam non reducitis? Cur illius supremam gubernationem trâsfertis in Reges & Reginas, & non potius Apostolorum successoribus sartam teatam conseruatis? Consule Sacellatum.

O B I E C T I O.

18. Dilui superius obiectionem Iacobi Regis, quæ nitebatur aliquot Scripturæ testimoniis. Singula seorsim à me discussa sunt, & aperte ostensum, nullo modo Primum Regis confirmari ex iis posse. Tu tamen non quiescis, Tookere; sed partim conaris promouere testimonia à Rege, allata; partim alia quædam in subsidium adiungis. Nominatim hæc duo. 1. Dicatum est de Herode; *Dicite vulpeculæ illi.* 2. Dicatum est coram Pilato, *Ego sum veritas. Quid vis?* An ut excutiam hæc duo? Nihil quidem necesse; sed tamen, si omnino virges, faciam non inuitus. Igitur ex priori non aliter potes confirmare Primum Regis, quâm hoc modo; Christus monitus à Pharisæis, ut fugeret, eo quod Herodes vellet illum occidere, respondit illis: *Ite & dicite vulpi illi: Ecce eiicio demonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consummor.* Ergo Herodes habebat tunc Primum Ecclesiæ. Probatur cōsequentia, quia *vulpes*

habent foueas; filius autem hominis nō habet, ubi caput suum reclinet. Ex posteriori sic: Christus dixit coram Pilato: Ego ad hoc veni in Mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Ergo Pilatus habebat supremam administracionem Ecclesiae. Consequentia probatur, quia quod scripsi, scripsi. Itáne sentis, Domine Tookere? Certè, magni acuminis Theologus es. Quis neget?

C A P V T I V.

An Rex iure ciuili vel Canonico habeat Primatum Ecclesiae?

1. **N**eutro sane. De Canonico, res clara est. Multi extant Canones in contrarium. Ex iis paucos accipe. Primus est Nazianzeni ad Imperatores Constantinopolitanos, apud Gratianum, distinct. 10. can. 6. *Libenter accipitis, quod Lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque isti tribunibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem: dedit & principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* Ex hoc Canone tria habemus. 1. quod principatus Episcoporum sit multo perfectior, quam Regum. 2. quod Reges in rebus Ecclesiasticis, subiecti sint Episcopis. 3. *Quod hæc subiectio à Christo sit ordinata. Quid clarius?*

2. Secundus est Adriani Papæ. dist. 36. c. 1. *Nullus laicorum Principus se inserat electioni aut promotioni Patriarche, Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi; ne videlicet inordinata & incongrua fiat electio, vel confusio, vel contentio: præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestatiuorū, vel ceterorum Laicorum habere conueniat.* Ex hoc canone etiam tria discimus. 1. quod nullus Princeps sæcularis (qualis est Rex Angliæ) debeat se inserere promotioni aut electioni Episcoporum. *Quanto minus debet præesse*

esse & presidere? 2. quod talis electio, cui se inserit Princeps secularis, sit inordinata, & confusa. 3. Quod in similibus causis Ecclesiasticis nullam potestatem habeat Princeps secularis. Multò minus primatum.

3. Tertius est, ex 7. Synodo act. 2. distin. 63. can. 7. *Omnis electio Episcopi à Principibus facta, irrita maneat, secundum Regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus, secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur: & segregentur ab Ecclesia omnes, qui illi communicant.* Sanè secundum huc Canonem, omnes Episcoporum electiones irritae sunt in Anglia, quotquot à Rege factæ sunt. Vbi ergo Primatus Regis in causis Ecclesiasticis?

4. Quartus est Gregorij ad Hermannum Episcopum Metensem, d. 96. can. 9. *Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum & Principum omnium fidelium Patres & Magistros censeri? Nonne miserabilis insanæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiucere, a quo credit, non solum in terra, sed etiæ in cælis se ligari posse & solvi? Omnipotens sic res habet. Miserabilis insania est, Reges seculares usurpare sibi Primatum in Ecclesia, & subiugare sibi Episcopos, quorum filij & discipuli esse debent.*

5. Quintus est Gelasij Papæ ad Anastasium Imperatorem, dist. 96. can. 10. *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum quanto etiam pro ipsis Regibus in diuino sunt reddituri ex anime rationem. Et infra: Nostri itaq; ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Facto quidem possunt; iure non possunt.*

6. Sextus est Ioannis Papæ dist. 96. can. li. *Si Imperator Catholicus filius est, non Praeful Ecclesia. Quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere. Et paulo post: Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt,*

pertinere non ad seculi potestates: quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas. Et infra: Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre. Igitur, si Rex Angliæ Catholicus est; filius est, non Præsul Ecclesiæ. Si fidelis est; Ecclesiæ sacerdotibus subiectus est. Si Christianus est; debet se subdere Episcopis, non præferre.

7. Septimus est Marcelli Papæ i i. q. i. can. 3. Clericum cuiuslibet ordinis, absque Pontificis sui permisso, nullus presumat ad secularem iudicem trahere. Nec laico quenquam clericum liceat accusare. Nimirum clerici pertinent ad tribunal Ecclesiasticum, non ad politicum seu ciuale. Unde rectè Valentianus, Theodosius, & Arcadius Imperatores; Continua lege sancimus, ut nullus Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ seruiunt, ad iudicia iudicij protrahatur. Habent enim illi suos iudices.

8. Octauus est Gregorij ad Mauritium Impe. ii. q. i. can. 40. In diuinis eloquiis Sacerdotes aliquando Diij, aliquando Angeli vocantur. Et paulò post; Quid igitur mirū, si illos vestra Pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipsem et appellat Deus? Vide quæ supra dicta sunt, c. 2. n. 35. & 57.

9. Nonus est Innocentij 3. in Decretalibus, de maiestate & obedientia, can. 6. Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab illo accipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus excellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori. Et infra; Nosse debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli: luminare manus, ut præcesset noctil Vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, uniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis authoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maiore est: quæ verò carnalibus, minor:

ut quan

ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.

10. Sufficient hi pauci Canones. Nam plures citare, fortasse superuacaneum est: præsertim cum probabile sit, Regem Angliæ non tanti eos facere, ut eorum iudicio stare velit. Quanquam immerito. Omnes enim cathedræ Academicæ in Anglia, in quibus Iuris utriusque Doctores antiquo ritu legitime promouentur, nō minorem Iuris canonici, quam ciuilis authoritatem esse, luculento testimonio sunt.

11. Ex iure ciuili occurrit illud Iustiniani Imperatoris, in Authentica constit. 123. *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento ciuiles magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundū sacros Canones finem imponunto.* Præclara constitutio. Decernit Imperator politicos & seculares Principes nō debere adesse, multò minus præsidere in negotiis & disceptationibus Ecclesiasticis. *Quare? quia vult in ea reseruari sacros Canones, quibus cautū est, vt Episcopi, nō autē Principes, tractent cōtrouersias ad Ecclesiā pertinentes.* Si Rex Angliæ ea mente esset, qua hic Imper. fuit sine dubio, Primatū Ecclesiæ Episcopis relinquaret, nō sibi arrogaret. Plura in hanc sententiā, vide in seq. cap.

C O M M E N T A R I V S.

1. IN hoc capite adduxi nouem Canones ex Iure canonico, & vnam constitutionem Imperialem ex Iure ciuili, cōtra Primatum Regis. Circa Canones; duo generatim dicit. Primò, me paucos ex multis deliballe; ideoque obiicis mihi illud Poëtæ:

*Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.
Sed ineptè. Tibi hoc obiici debet, mihi nō potest. An non legisti in vtroque Testamento, In ore duorum vel trium testiū stabit omne verbum? Ego ex Iure canonico,*

non duos tantum aut tres , sed nouem testes adduxi pro mea causa: Tu pro tua, ne vnum quidem. Igitur, si testibus agitur, non mihi, sed tibi , supellex curta est ; aut, vt verius dicam, nulla. Recipe ergo versiculum tuum, sed vno duntaxat verbulo immutatum ; *Tecum habita, & noris, quam sit tibi nulla supellex.*

2. Secundò dicis, te non magnificere Canones ; nec aliud esse, quam additamenta, paleas, traditiones ; idque cōfirmas authoritate Cornelij Agrippæ. Mira res. Vnus Agrippa, homo non bonæ notæ, pluris tibi est , quam tot grauissimi authores, quorum sententiæ in Ius canonicum relatæ sunt, & ab omnibus Academiis antiquioribus receptæ. Quid censes dicturos , qui apud vos in Anglia , utriusque iuris Doctores , solenni ritu renunciantur? An æquo animo, tuā in Ius canonicum cōtumeliam laturi sunt? Sed durum telum necessitas. Aliter facere non potuisti. Si enim admitteres autoritatem Canonum , cadendum esset causa, quam suscepisti. Nam Canones tibi aduersantur. Mauis igitur hos tepudiare, quam iniquam causam deserere.

3. Atque hēc generatim. Porro in singulis Canonibus seorsum discutiendis tria potissimum præstas, quæ nō nisi ab homine iracundo, & parū cauto proficiisci possunt. Primum est, q̄ ferè conuitio excipias Pótifices & Synodos generales , à quibus conditi sunt Canones. Hoc iracūdiae signū est. Alterū, quod nihilominus pleraque admittas, quę in ipsis Canonibus cōtra Primatū Regiū decreta sunt. In quo debebas esse cautor, si Regio Primatui cōsultū esse cupiebas. Tertiū, q̄ dū Pontificū & Synodorū generaliū authoritatē apertè contemnis, in ipsos quoq; Reges & Imperatores, tametsi id minimè aduertas, cōtumeliosus sis. Singula ostēdā.

4. Quod ergo ad primum punctū attinet, de Adriano Pontifice sic scribis: *Adriani authoritatē nihil moramur.*

De Gregorio sic: *Gregorius durus pater, vel potius capitatis hostis H̄erici quarti, dictis ac factis simillimus Antichristo.* Et iterū: *Vox plena fastus & iactatio, plena stuporis & cōtumeliae: digna sane vox Ioue Capitolino vestro, id est, Romano P̄otifice.* De Gelasio sic: *Gelasij aliorūq̄, dictata P̄otificum Romanorū admittere non tenentur, quippe quæ pro turri illa Babylonica immoderati Principatus extruenda maximè faciūt.* De Ioanne P̄otifice: *Nazianzenus melius callebat officiū suū, quam Ioānes Papa.* De Innocentio: *Innocētius cœcus amore sui ac ambitione inflatus, fastuosus, impudens, cōtumeliosus, blasphemus, Antichristus.* De septima Synodo generali, quæ est Nicæna secunda: *Hæc Nicæna Synodi authoritas imbecillior est, quam ut nostram causam lèdat.* Denique de me, qui horū autoritate usus sum, sic habes: *Nō modo nequā es & improbus, sed etiā fatuus.*

5. Et tamen cum tam iracundus sis, Tookere, in authores Canonum, quæ in ipsis Canonibus sancta sunt, non raro vera esse concedis. Circa primum, qui est Nazianzeni, sic scribis: *Reges & Pr̄esides subiiciuntur Sacerdotibus in rebus Ecclesiasticis.* Circa quartum: *Quis dubitat Sacerdotes Christi, Regum ac Principū esse Patres & P̄edagogos in Christo?* Circa quintum Gelasij: *Quæ dicit ille Pontifex, dabuntur omnia.* Circa sextum: *Si Imperator verè Catholicus est, filius est Ecclesiae Catholice, non Pr̄esul.* Ex quibus omnibus formatur hæc propositio: Rex Angliæ subiicitur Sacerdotibus in rebus Ecclesiasticis, & est illorum filius ac discipulus, non Pr̄esul aut Primatū tenens. Et quid aliud hoc loco contendimus? Non enim agimus de Primatu in temporalibus & politicis, sed solum de Primatu in Ecclesiasticis. Si ergo in Ecclesiasticis Rex Angliæ subiectus est Sacerdotibus, tanquam filius ac discipulus; res salua est.

6. Iam, quod etiam in Reges & Imperatores inquisimus sis, nisi te moneam, non facile aduertes. Audi

igitur. Inter nos & vos cōtentio est, quis indixerit oēto prima Cōcilia generalia, quis approbauerit, quis cum authoritate eis rāfederit: Nos Pontifici, vos Imperatori id tribuitis. Igitur ex velstra sentētia, septima Synodus à Constātino, oētaua à Basilio Imperatoribus indicta, cōfirmata & approbata est. At tu de septima sic scribis: *Hec Synodi authoritas imbecillior est, quā ut causā nostrā ledat.* De Adriano verò, cuius Canon ex oētaua Synodo desumptus est, sic habes: *Adriani authoritatem nihil moramur.* Quid hoc aliud est, quām apertē quidē in ipsas Synodos ac Pōtifices, occultē autē in Imperatores, cōtumeliosum esse? Nam si Constātinus Imper. indixit & approbavit septimam Synodū, sanè cum de Synodo sinistrē sentias ac loquaris, de Imperatore quoq; sinistrē sentire ac loqui censeri debes. Itaq; tua illa verba, quę paulò ante effudisti: *Hec Synodi authoritas imbecillior est, perinde valēt, ac si dixisses, Hac Cōstātini Imperat.* & 50. *Episcoporū authoritas imbecillior est.* Simile est de Basilio Imper. Nam si is indixit & approbavit oētaua Synodū, ex qua Canon Adriani desumptus est; quidquid de hoc Canone dixeris, de Imperat. dixisse existimādus es. Itaq; pro illis verbis, *Adriani authoritatē nihil moramur*, poteras sic scribere, *Imperatoris authoritatē nihil moramur.* Iā aduertis, Tookere quā bene meritus sis de tuo Rege. Sacellanū adi, vt te purget.

7. Sed nondum purgandi tempus. Adhuc pergis in tua calumnia. Et sicut circa Canones à me citatos, occultē perstringis Reges & Imperatores; sic apertē id facis circa Imperatoriam constitutionē à me citatam. Citaui autē constitutionē Iustiniani Imperatoris, quę sic habet: *Si Ecclesiasticum negotiū sit, nulla communionē habento ciuiles magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Canones finē imponunto.* In qua constitutione decernit Imperator, sēculares

Princi

Principes non debere adesse, multo minus praesesse aut præsidere in negotiis & disceptationibus Ecclesiasticis. Et in ea re seruari vult sacros Canones, quibus cautum est, ut Episcopi, non autem Principes tractent controvërsias ad Ecclesiam pertinentes.

8. Hic, inquam apertè perstringis Imperatoriam authoritatem; & quidem tripliciter. Primo, quia cum ego in hac vna Iustiniani Constitutione tantum momenti esse viderem, ut illam arbitrarer sufficere pro mea causa (tuam enim sine dubio evexit) tu per contemptum mihi obiicis illud ex Poëta, *Pauperis est numerare pecus.* Secundò, quia huic ipse Constitutioni opponis, nescio quas alias sanctiones, quod nihil aliud est, quam illius authoritatem eneruare. Tertiò, quia Imperator in sua Constitutione allegat antiquos Canones; & non solum allegat, sed etiam, pia veneratione, *Sacros* appellat. At tu, cum tuo Agrippa, parui pendens Imperatoris in hac re iudicium, & authoritatem, eosdem Canones, illiberali conuitio, *palearum* nomine vocasti. I nunc, & Regum ac Imperatorum patronum te esse, persuade. Vnius assentatores, aliorum hostis. Hoc sequenti Commentario clarius ostendam.

C A P V T V.

*An Rex, consensu doctorum hominum habeat
Primatum Ecclesie?*

1. **E**xcepto Sacellano, & quibusdam aliis adulatoriis, reclamant omnes cordati & docti viri: Episcopi, Pontifices, Reges, Imperatores alij. Seligam paucos, ne molestus sim: & incipiam à primitiva Ecclesia.
2. S Ignatius, Ioannis Euagelistæ discipulus, in Epistola ad Philadelphienses, sic habet: *Principes subditi estote Cœsari, milites Principib. Diaconi Presbyteris: Presbyteri vero*

& Diaconi, atq; omnis clerus, simul cu omni populo, & milibus atq; Principib^o, sed & Cæsare, obediat Episcopo: Episcop^o vero Christo, sicut Patri Christus: & ita unitas per omnia seruetur. Vox digna viro Apostolico. Omnes, inquit, obediat Episcopo: Etiâne Cæsar? Omnino. Quidni & Rex? 3. Hosius Cordubensis Episcopus, qui interfuit primò Conc. Nicæno, Constantinū Imperatorem sic affatus est; *Desine quæso Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperiū cōmisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ, cōcredidit.* Et quemadmodū, qui tuū Imperiū malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinae: ita & tu cane, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahēs, magno criminis obnoxius fias. Refert hęc verba Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes.

4. S. Ambrosius epist. 33. ad Marcellinam sororem suam, scribit se Valentiniano Imperatori dixisse; *Noli te grauare Imperator, ut putes te in ea, quæ diuinæ sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, si vis diutius imperare. Esto Deo subditus. Scriptum est enim, quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent: ad Sacerdotem, Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacroru. Idem planè Ambrosij, qui & Hosij spiritus; eadem dicendi libertas; idem zelus. Utinam Sacellanus & similes, qui in Anglia sunt, eodem spiritu, in simili causa vteretur. Sed pauent; nec expendunt illud Christi, apud Matt. 10.19. Cum steteritis ante Reges, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Nō enim vos estis, qui loquimini, sed Spirit^o Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

5. Hosio & Ambrosio, in ea re, similis est Athanasius (magnæ apud Regē Angliæ authoritatis) qui in epistola citata, grauiter reprehendit Constantiū Imperatorem, quod Ecclesiasticam iurisdictionem sibi usurparet, ideoque eum vocat *Antichristum, Apostatam, fidei deserto*

desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, bellum, quæ ex membris humanis & animo ferino conflata est. Eundem cum Achabo, Antiocho, & Herode comparat, asserens, malorum omnium esse voraginem & gurgitem, omnis impietatis caput, hæreticorum incitamentum, acerbitatis radicem, blasphemiae propagnatorem, religionis eversorem, & quæ similia sunt. Addit denique inauditum esse, quod Reges & Imperatores misceant se causis ad Ecclesiam pertinentibus & inter alia sic habet: *Quando à condito aeuo auditum est, quod iudicium Ecclesie, authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro iudicio agnatum est? Plurime antea Synodi fuere, multæ iudicia Ecclesie habita sunt: sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum prebuit.*

6. Conspitāt alij Patres. S. Martinus Turon. Episc. Maximo Imper. in faciē dixit: *Nouū esse & inauditum nefas, quod causā Ecclesie Index saculi indicaret; vt est apud Sulpitium l. 2. sacræ historiæ in fine. Et Leōtius Episc. Tripolitanus, teste Suida, ad Constantiū Imperatorē; Miror quomodo ad alia vocat⁹, aliis reb. te immisceas. Militarib. enim & politicis reb. præfectus, in his quæ ad solos Episcopos pertinent, præesse vis. Et Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 17. Ad hodiernam usque diem cernimus mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis. Omitto reliquos.*

7. Nec alia Regum & Imperatorum fuit sententia. Submiserunt se Episcopis & Pontifici; neque causas Ecclesiasticas ad se pertinere arbitrati sunt. Valentinianus senior Imperator cū importunè rogaretur, vt permitteret haberi Cōciliū, in quo de quibusdam rebus fidei decerneretur, respondit: *Mibi, qui unus ē numero laicorum sum, non licet, eiusmodi negotiis me interponere, Sacerdotes & Episcopi, quibus haec curæ sunt, ubi cunque ipsis liberū fuerit, conueniant. Refert Sozom. li. 6. hist. c. 7. Niceph. li. 11.*

c.30.Ruffin.lib.1.c.2.Baron.tom.4.Annal.anno 364.8.
 Eodem sensu & affectu Theodosius Iunior in Epistola
 ad synodum Ephesinam; *Candidianum Comitem ad hanc
 sacram vestram Synodum abire iussimus: sed ea lege & condi-
 tione, ut cum questionibus & controversiis, quae circa fidei do-
 gmatu[m] incidunt, nihil quicquam cōmune habeat.* Nefas enim
 est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non
 est, cū Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.

9. Basilius Imperator in oratione, quā habuit in octaua
 Synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ, Con-
 stātinopoli celebrata est, in causa Photij Patriarche: *De
 vobis autem laicis, tā qui in dignitatibus, quām qui absolute
 versamini, quid amplius dicam, non habeo, quām quod nullo
 modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonē mouere, neq[ue]
 penitus resistere integritati Ecclesiae, & uniuersali Synodo
 aduersari. Hac enim inuestigare & querere, Patriarcharū,
 Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti
 sum, qui sanctificandi, ligandi, & soluēdi potestatem habent:*
*qui Ecclesiasticas adeptis sunt claves: non nostrum, qui pasci
 debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solvi
 egemus. Nihil clarissimi dici potuit. Nimirū intellexit Im-
 perator, non Reges, sed Episcopos, Ecclesiae régimen
 sortitos esse; ideoque non illos, sed hos oportere sta-
 tuere, quæ ad controversiam Ecclesiasticam intet Pho-
 tium & Ignatium spectare putabantur.*

10. Simile exemplum habemus in Constantino Ma-
 gno, qui, cum Donatistē non contenti Episcopali iudi-
 cio ad ipsum causam Ecclesiae detulissent, ita exclamans
 se fertur: *O rabida furoris audacia. Sicut in causis gētilium
 fieri solet, appellationem interposuerunt. Ita refert Optatus
 Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum. De eodem
 Imperatore scribit Aug. epist. 165. Constantinus non est
 ausus de causa Episcopi iudicare. An Rex Angliæ maior
 Constantino? Sacellanus ita vult.*

C O M M E N T A R I V S.

1. **I**N hoc capite citauit septē Patres & quatuor Imperatores, contra Primatum Regium. Patres quidem, Ignatium, Hosium, Athanasium, Ambrosium, Martinum, Leontium, Cyrillum. Imperatores, Valentianum, Theodosium, Basilium, Constantinum.
2. Tu, circa Patres, longè alius es, Tookere, quam fui-
sti. Agis sobriè, modestè, pacificè: Et quæcunque ab eis
dicta sunt, vltro concedis, sub hac vel simili loquendi
formula: *Rectissime: res ita se habet verò nihil verius: omnia, ut veritati consentanea, conceduntur.* Gaudco, tam su-
bito in aliud virum mutatum te esse; præsertim si ani-
mo etiam, & non pelle tārum mutatus es. Porrò ex iis,
qua à Patribus dicta, à te concessa sunt, compendio
hæc colligi possunt. 1. Rex Angliæ obediens Episcopo;
Episcopus Christo. 2. Non misceat se Ecclesiasticis ne-
gotiis. Non enim illi commissa sunt. 3. Palatia ad illum
pertinent, non Ecclesiæ. 4. Nihil illi cum Synodis. 5.
Nec ullam Ecclesiæ causam iudicare debet. *Omnia, in-
quis, ut veritati consentanea, conceduntur.* Accipio.
3. Circa Imperatores durior es. Et valde suspicor, te
ad ingenium hic redire. Iracundè fers, quod tam clarè
locuti sint contra Primatum Regium: & accusas eos,
quasi plus æquo tribuerint Episcopis, & hac ratione,
suæ ipsorum authoritati plurimū derogarint. Sic enim
scribis de Valentianō: *Quod Episcopis totam rem reli-
quisset diiudicandam, non solertiā, sed timiditatē & inertiam
hominis denotat.* Et de Basilio: *Esto, præiudicet sibi Basilius
Imperator, aliusque; haud quidem veritati præiudicat.* Et
de Constantino: *Non est ausus indicare in persona pro-
pria, forsitan ignarus Canonum & decretorum Ecclesia.*
4. Quid audio, Tookere? Tūne Imperatorum Chri-
stianorum censor factus es? Et quia non sentiunt ad
tuum

tuum palatum , ideo inertiam , timiditatem , præjudicium , & ignorantiam illis obiicis? Video , quid spectes . Tuo Regi placere vis : reliquos non æstimas . Ille , sapientissimus , doctissimus , clarissimus , prudentissimus , religiosissimus , deuotissimus tibi est ; reliqui , inertes , timidi præjudicosi , ignari . Hoc est , quod supra dixi , vnius assentatorum te esse ; reliquorum hostem .

C A P V T V I .

An Rex titulo præscriptionis habeat Primum Ecclesiæ?

1. **H**oc planè videtur ipse velle . Nam in monitoria præfatione , disertè ait ; aliquos ex suis antecessoribus usurpare Primum Ecclesiæ in Anglia ; neque passos esse , ut Pontifex ullam iurisdictionem ibi exerceret , sed ipsos eam sibi vendicasse . Itaque nihil noui se facere , eundem Primum usurpando .

2. Sed valde friuolum hoc est . Nam si sic liceret argumētari , facile erit omnes pene abusus excusare . Ostendā simili exemplo . Rex Achas in veteri Testamento colebat falsos Deos , & veri Dei cultum negligebat . 4. Reg. 16. 3. Quæram , an rectè id fecerit , nec ne ? Dicet : rectè se fecisse ; & sic probabit : *Aliqui ex meis antecessoribus coluerunt falsos deos . Ergo nihil noui à me fit . Iure igitur facio . Quid absurdius ?* Et tamen sic agit Rex Angliæ . Ostendit paucos è multis , qui obedientiam Pontifici recusarunt ; & eorum exemplo inobedientiam suam excusari vult . Sed frustra . Cum enim Ius diuinum clarum & liquidum est , quid prodest in contrarium niti , etiam si infinita in contrarium proferantur exempla ? At supra ostensum est , Ecclesiæ Primum ad Episcopos , non autem ad Reges diuino iure pertinere . Hoc ius nulla

præscriptione, nulla consuetudine humana aboleri potest. A Deo, qui homine maior est, vim suam habet. Ergo quamdiu Deus vult, vim suam retineat, necesse est.

3. Addo, si ex factis Regum volebat argumentari Rex, sic potius concludendū ei erat. *Multo plures ex meis antecessoribus venerati sunt auctoritatem Pontificis, quam responderunt. Ergo & ego venerari eam volo, non respuere.* Nec dubiū, quin ita sit. Testes sunt Lucius, Eduinus, Osvaldus, Sigbertus, Penda, Ina, Eduardus. Henricus 2. &c complures alij. Extant illorum acta. Ex iis hæc accipe.

4. Eduardus in epist. ad Nicolaum 2. Pontificē, circa annum Christi 1060. ita scribit : *Summo uniuersalis Ecclesiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam subiectionem & obedientiam. Pauca; sed pōderosa verba. Agnoscit illum Patrem; & quidem summū Patrē: nec vnius alicuius particularis, sed uniuersalis Ecclesiæ Patrem. Quid amplius: Debitam subiectionem & obedientiam illi promittit. An hoc faceret, si supra Pontificem putaret esse Regiam maiestatem?*

5. Nec aliter Henricus 2. in epistola ad Alexandrum 3. quæ habetur apud Petrum Bleensem Secretarium, epist. 136. *Vestræ, inquit, magnitudini promitto, me vestræ dispositioni in omnibus pariturum. Itēmque: Deus extulit vos in eminentiam officij pastoralis, ad dandam scientiam salutis plebi eius.*

6. Regem Regina imitata est, pari animo, pari subiectione. Aleonoram dico, Henrici Regis vxorem. Scripsit illa tres epistolas ad Cœlestinum Papam, in quibus vocat eum: *Principē Sacerdotum, Vicarium crucifixi, successorem Petri, Christum Domini, Deum Pharaonis, orbis Episcopum.* Et inter alia sic addit: *Non Rex, non Imperator à iugo vestræ iurisdictionis eximitur.* Et tursim : *Christi crux antecellit Cesaris Aquilas: gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica sedes præjudicat Imperatoria potestati.*

Quid clarius? Extant hæ epistolæ apud eundem Blesensem, epist. 144. 145. & 146.

7. Hinc iam satis appetet, quid olim senserint Reges Angliæ de Primitu Romani Papæ. Ausim addere, vix ullos in orbe Christiano extitisse Reges, qui tam bene de Pontifice meriti sint, quam Anglicani. Parum putarunt, si in Ecclesiastico regimine illi parerent. Ipsum regnum, etiam in temporalibus, feudatarium illi fecerūt. Fatetur hoc Henricus 2. in epist. ad Alexand. 3. iam citata his verbis: *Vestræ iurisdictionis est regnum Anglia: & quantum ad feudatarij iuris obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor & obstringor.*

8. Multò fusiū id persequitur Polydorus Virgilinus lib. 4. historiæ Anglicanæ, vbi de Ina Rege sic scribit: *Officia eius Regis, pietatis plena, infinita produmur: & illud in primis, quod Regnum suum Romano Pontifici vectigale fecerit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocat, in singulas domos impositis. Fecit idem, eius exemplo, ut opinor, ductus Offa Merciorum Rex, qui non multo post id tempus regnauit. Fuit is annus salutis circiter, 740. Hoc vectigal, prout quidam scribunt, auxit postea Atulphus Rex, qui ut proximo libro demonstrabitur, totius ferè Insula imperium tenuit. Omnis Anglia hoc tempore (nimirum sub Henrico 8.) istuc vectigal pietatis & religionis causa Romano Pontifici pendit domesticatum collatum, & nummi illi argentei, vocantur vulgo denarij D. Petri, quos Pontificius questor, quæ non inscienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim questuram aliquot per annos gessimus, eiusq; muneris obeundi causa, primum in Angliam venimus,*

9. Magnum testimonium. Ex quo colligimus, Reges Angliæ, non alia, quam pietatis & religionis causa, suū regnum fecisse Pontifici vectigale. Sane si Rex Iacobus volebat suorum antecessorum vestigiis insistere; cur hos Reges, qui à pietate & Religione commendantur.

mendantur, imitatus non est? cur, inquam, ab horum pietate & religione tam longè abscedit? Cur, cùm illi, tam in temporalibus, quām Ecclesiasticis, Pontifici se submitterent; ipse in vtrisque illum abiicit & contemnit: Et quod magis mirum est, cur aliis quoque Regibus, vt idem faciant, conatur persuadere?

10. Ex Dic̄tis, sic infero; Si in hoc negotio, præscriptionis locus esset, ea nobis potius faueret, quām Regi. Ab antiquis enim temporibus, vt iam ostensum est, usque ad Henricum 8. Elisabethæ parentem, tota Anglia quotannis solita est Romano Pontifici dare vectigal, in recognitionem supremæ ipsius iurisdictionis ecclesiasticæ; Ergo hoc suo factō, tam longa consuetudine præscripto, satis testatur; Pontificem esse Primatū Ecclesiæ vniuersalis, atque adeò Anglicanæ.

C O M M E N T A R I V S.

1. **H**ic quæritur, an Rex Angliæ titulo præscriptionis habeat primatum Ecclesiæ. Posui duo argumenta. Vnum, quo Rex vtitur; alterum, quo vti deberet. Prius, quo vtitur, est hoc: *Aliqui ex meis antecessoribus usurparunt Primum Ecclesiæ: Ergo, titulo præscriptionis, possum & ego usurpare.* Posterior, quo vti deberet, est hoc: *Plures & meliores ex meis antecessoribus non usurparunt Primum Ecclesiæ, sed autoritatem Pontificis agnouerunt: Ergo & mihi idem faciendum est.*

2. Hoc posterior confirmavi exemplis multorum Regum. Prius verò, dupliciter oppugnaui. Primò à simili argumentandi formula. Sicut enim non sequitur: *Aliqui ex meis antecessorib. fuerūt idololatre: Ergo & ego possum esse.* Sic etiam sequitur: *Aliqui usurparant Primum Ecclesiæ: Ergo & mihi licet.* Secundò, quia præscriptio nō habet locum in iis, quæ sunt iuris diuini: At primatus Ecclesiæ iure diuino pertinet ad Pontifices & Episco-

pos: Ergo Reges, titulo præscriptionis non possunt illum usurpare.

3. Hic tu tria facis, Tookere, Primo, Regem Angliae, qui nunc est, commendas ab eloquentia. Secundo, antecessores eius, quos ego laudaui, reprehendis, quod Pontificis autoritatem agnouerint, ac venerati sint. Tertiò, multa disputas de præscriptione, quid sit, & quas conditiones habeat. Singula expendamus.

4. Igitur de eloquentia Regis, sic scribis: Serenissima maiestas, tanquam aureum flumen verborum fundens, sic præfatur: Nunc vero, ut cætera exterorum Regum facta præterea, satis erit decessorum meorum aliquot, qui in Anglia regnarunt, exempla memorare. Et prolixè recitas ea, quæ sequuntur. Sed, mi Tookere, quid hoc ad rem? Aliud est, eloquentem esse; aliud, bene argumentari. Non queritur hic, quo verborum apparatu vel splendore utatur Rex Angliae; sed quām neruosè probet, Primum Ecclesiæ, titulo præscriptionis ad se pertinere. Ego vrgeo, nō posse hoc illum probare: tu ad aureum verborum flu men recurris. Quid hoc aliud est, quām forum declinare? aut, sciscitanti de alliis, respondere de cepis?

5. Iam alios Reges, qui hunc antecesserunt, & omni laude, propter eximiam erga Romanos Pontifices pietatem ac reuerētiā, dignissimi sunt, mirum est, quām petulanter insesteris. Ais, in crassissimis tenebris vixisse, simplices, infatuatos, bestiæ Romanae ob blandientes, magnos assentatores, aureo poculo fornicationum purpuratae meretricis inebriatos: dixisse multa inania, verborum portenta, vanitatis commenta, prepostera. Pontifices vero, quibus obtemperarunt, fuisse caudas, Antichristos, Diabulos. Nimirum ut præcedenti capite, Christianos Imperatores, Valentinianum Basiliū, Constantiū, multis aliis conuitiis prosecutus es; ita nunc Catholicissimos Angliae Reges non minori contumelia exa

exagitandos esse censuisti. Quis iam non videt, Too-kere, quod s̄æpe dixi, omnium Regum ac Imperatorum hostem te esse; vnius Iacobi assentatorem? Aded, vt ne iis quidem parcas, qui hoc tempore, in Europa, rerum potiuntur: Regibus, inquam, Hispaniæ, Galliæ, & Magno Hetruriæ Duci; quibus nescio, quām notam appingere ausus es.

6. De præscriptione sic habes: *Quia autem latissimus campus hic proponebatur, in quo tua excurrere possit oratio, totus hic de præscriptione locus à te prætermisso est, quem leui pede transilis. Est autem præscriptio vel usucatio, acquisitio dominij viilis vel directi, per continuationem possessionis, ac longi temporis lege definiti. Ad illam complendam quatuor requiruntur, continuatio possessionis, bona fides, iustus titulus, & quod res non sit vitiosa.* Audi, Too-kere. Non opus erat, meam orationem excurrere in hunc campum de præscriptione. Eius rei duas rationes iam supra insinuaui. Vna est, quia præscriptio non habet locum in iis, quæ sunt iuris diuini. At Primatus Ecclesiæ diuino iure pertinet ad Apostolos, qui Ecclesiæ propria autoritate gubernarunt, Synodus indixerunt, legem sancierunt, controuersias diremerunt, vt supra tu ipse fassus es. Hoc ius diuinum hactenus mutatum non est, nec vlla hominum præscriptione mutari potest: Altera, quia si agendum esset lege præscriptionis, potior esset mea causa, quām tua: Nam plures fuerunt Reges & Imperatores Christiani ante hæc tempora, qui agnouerunt authoritatem Pontificis in spiritualibus, quām qui respuerunt. Et Pontifex sine vlla interruptione, per tot annorum spatia, manet in continuata possessione, quod de Regibus Angliæ dici non potest.

C A P V T VII.

An Rex ex propria doctrina posset Primatum suum defendere?

INuenio duo principia in libello Regis , quæ si vera sunt , Primatum suum tueri non potest. Vnum est (in quo conuenit cum Bellarmino) quod , qui habet Primatum Ecclesiæ , possit creare & deponere Episcopos ; dare illis iurisdictionem & auferre. Vnde Bellarmenus , quia vult , Pontificem habere Primum totius Ecclesiæ , consequenter dicit , Pontificem in tota Ecclesia posse id facere. Rex verò , quia putat , vnumquemque Regem in suo Regno , & Imperatorem in suo imperio habere Primum Ecclesiæ ; consequenter dicit , vnumquemque Regem in suo regno , & Imperatorem in suo imperio posse creare Episcopos & deponere ; dare iurisdictionem & auferre. Quod autem Rex Angliæ ita sentiat , patet ex ipsis verbis . Sic enim habet in monitoria præfatione : *Primum illud videamus , quām longè Imperatores atq[ue] Reges , qui superioribus facultatis religione Christianoq[ue] vixerunt , ab eo abfuerint , ut ius in se aliquod Pontifici esse crederent : cūm contra Papas ipsi creauerint , in ordinem redegerint , adeoq[ue] de sede deiecerint .* Quibus verbis conatur ostendere , Pontifices olim non habuisse Primum Ecclesiæ supra Reges & Imperatores ; sed hos potius habuisse supra illos . Quare : quia potuerūt creare , in ordinem redigere , & de sede deiicere Pontifices . Et paulo post : sed & per etates complurimas certum insac inuiolatum apud Imperatores mansit , Romanos Pontifices creandi . Et in Apologia id confirmat exemplo Reg . veteris Testamenti . *Qui , inquit , ex auctoritate auerunt summum Pontificem , aliumq[ue] in eius locum subrogauerunt . In summa , cuncta*

cuncta moderati sunt, qua ad Ecclesiasticum regimen quo-
quo modo pertinuerunt. Eodem modo loquitur Sacel-
lanus Regis in Tottura Torti: *Ad Regem, inquit, perti-
net, Pontificem exauthorare, & in locum Abiathari Sado-
cum surrogare. Facit hoc, credo, ad Primatum Regis.*

2. Alterum principium Regis est, (in quo dissentit,
non solum à Bellarmino, sed etiam à seipso, ut videbi-
mus) quod Episcopi omnem suā iurisdictionem im-
mediate accipient à Deo: Sic enim habet in monitoria
præfatione: *Episcopos esse in Ecclesia debere, tanquam institu-
tionem Apostolicam, ac ordinationem proinde diuinam,*
*contra Puritanos, contraq[ue] Bellarminū semper sensi, qui ne-
gat Episcopos à Deo immediatè suā iurisdictionē accepisse.*
*Sed nihil mirum à Puritanis eum stare, cum Iesuitæ nihil
alind, quam Puritano Papistæ sint.* Hic duo obiter no-
tanda sunt. Vnum est, quod sermo sit de iurisdictione
exteriori, de qua etiam quæstio nostra est. Hanc enim
Bellarminus vult immediatè conferri à Pontifice; non
autē potestatem ordinis, vel iurisdictionis interioris, ut
patet lib. 4. de Pontifice, cap. 24. & 25. Alterū est, quod
Bellarminus, cum agitur de hac iurisdictione Episco-
porum, nullo modo consentiat cum Puritanis, ut hic
falso illi affingitur. Nam Puritani duo docent. 1. Hanc
iurisdictionē conferri à populo, vel Magistratu sæcu-
lari. 2. Äqualem esse in Episcopis & aliis Ecclesiæ mi-
nistris. Tollunt enim omnem ordinū distinctionem; &
Hierarchiam Ecclesiasticā, & in omnibus volunt esse
æqualitatem & paritatē. Hoc fatetur Rex in monito-
ria præfatione, his verbis: *Et quo studio in Episcoporū &
Ecclesiastice Hierarchie defensionē semper incubui, eodem
in confusam illam Anarchiam & Parilitatem Puritanorū
innexus sum.* Et infra: *Egoine Puritanus qui suā Episcopis
dignitatem restitui, & æqualitatem illam popularēm re-
pressi? At Bellarminus in vtroq[ue] puncto ab iis dissidet.*

Nam primò , non vult iurisdictionem Ecclesiasticam conferri à populo, vel magistratu sacerulari; sed immediate à Pontifice, mediatè verò à Deo, ut disertè fateatur lib. 4. de Pontifice cap. 25. in solutione quartæ obiectionis. *Vtrumque*, inquit, *tā ordo, quā iurisdictionē à Deo cōfertur: sed ordo immediate, iurisdictionē mediata.* Secundò , vult Episcopos in hac potestate & iurisdictione, superiores esse aliis Sacerdotibus, qui Episcopi nō sunt; & quidē iure diuino. Sic enim habet lib. 1. d e Cler. c. 14. *Ecclesia Catholica distinctionē agnoscit, & docet iure divino Episcopatū presbyterio maiore esse, tum ordinis potestate, tum etiā iurisdictione.* Et hoc probat authoritate Conc. Trident. & variis argumentis. Itaque toto, quod aiunt, cælo distat à Puritanis. Sed hæc obiter. Nunc ad rem.

3. Ex his ergo duobus principiis, quæ ex libello Regis desumpta sunt, conficio hunc syllogismum, contra Regem: Qui habet Primum Ecclesiæ, potest dare & auferre iurisdictionē Episcopalem, quibus vult, iuxta primum principiū: At Rex Angliæ non potest dare & auferre iurisdictionē Episcopalem, quibus vult: Ergo Rex Angliæ non habet Primum Ecclesiæ in Anglia. Minorem probo ex secundo principio, quia Episcopi omnem suā iurisdictionē accipiunt immediate à Deo: Ergo non accipiunt illā immediate à Rege: Ergo Rex non potest illam immediate dare: Ergo nec auferre.

4. Hinc duo infero. Primum est, quod Rex sibi ipsi contrarius sit. Nam vno loco dicit, iurisdictionē Episcopalem immediatè accipi à Deo: altero, eandē dari & auferri immediatè à Rege; quæ duo nō cohærent. Vel ergo Rex non potest illā dare & auferre; & sic nō habet Primum Ecclesiæ; vel si potest, falsum est, quod contra Bellarminū dixit. Iurisdictionem Episcopalem immediatè à Deo conferri. Posterius est, quod Bellarminus, quem Rex oppugnat, cōsequenter locutus sit,

quod

quod Rex facere non potuit. Dixit enim Pontificem habere Primitū Ecclesiæ, & posse dare & auferre iurisdictionem Episcopalem. Dixit etiā hanc iurisdictionē esse quidē à Deo, nō tamen immediatē ab eo cōferrī, sed mediante Pontifice. Hæc autē optimē cohærent.

5. Ex omnibus, quæ hactenus disputata sunt, ita cōcludo; Rex Angliæ, nec iure naturali, nec iure diuino veteris Testamenti, nec iure diuino noui Testamenti, nec Iure ciuili aut canonico, nec consensu doctorum hominum, nec titulo legitimæ præscriptionis, nec ex principiis propriæ doctrinæ potest habere Primum Ecclesiæ in Anglia: Ergo nullo modo potest eum legitimē habere. Faceant igitur Sacellanus & similes adulatores, qui contrarium illi persuadent.

C O M M E N T A R I V S.

1. IN hoc capite ex duobus principiis Regis Angliæ probauī, illum non habere Primum Ecclesiæ. Vnum principium est, quod is, qui habet Primitū Ecclesiæ, possit dare & auferre iurisdictionem Episcopalem, quibus vult. Alterum, quod Episcopi omnem suam iurisdictionem immediatē accipiāt à Deo. Ex quibus sic argumentatus sum: *Qui habet Primum Ecclesiæ, potest dare & auferre iurisdictionem Episcopalem, quibus vult. At Rex Angliæ non potest illam dare & auferre, quibus vult: Ergo non habet Primum Ecclesiæ.*

2. Hic multum sudas, Tookere ut succurras tuo Regi. Priori principio concessō, distinguis posterius, asserrens, Episcopos habere omnem iurisdictionem à Deo, vel mediatē, vel immediatē: Et quidem iurisdictionē fori interioris habere totam immediatē à Deo; iurisdictionē verò exteriorem, partim immediatē à Deo, partim immediatē à Rege. Hanc distinctionē fusē persequeris & inculcas. Sed frustra. Nihil enim profutura

est Regi, quod sic ostendo: Quando Rex Angliae dicit, Episcopos habere suam iurisdictionem immediatè à Deo, addit, se id dicere contra Bellarminum. Igitur, quid Bellarminus sentiat, videtur est. Is autem lib. 4. de Pontifice cap. 24. & 25. disertè docet, iurisdictionē interiorem immediatè conferri à Deo; exteriorem immediatè à Pōtifice & mediatè à Deo. Priorem partem concedit Rex Angliae, posteriorem negat. Vult, tam exteriorem, quam interiorem, immediatè esse à Deo. Sic enim loquitur contra Bellarminum : *Episcopos esse in Ecclesia, tanquam institutionem diuinā, semper sensi contra Bellarminū, qui negat, Episcopos à Deo immediatè suā iurisdictionē accepisse.* Quæ posteriora verba debent intelligi de exteriori tantum iurisdictione; alioqui falsa essent. Nam Bellarminus nō negat, Episcopos accepisse interiorē iurisdictionē immediatè à Deo, sed aperte affirmat. Si ergo id, quod Bellarminus negat, Rex Angliae affirmat, necesse est ipsū affirmare, quod Episcopi suā iurisdictionē exteriorē immediatè habeant à Deo.

3. Iam ergo repeto argumentum, quod initio posui, hoc modo; Qui habet Primum Ecclesiæ, potest dare & auferre iurisdictionem Episcopalem fori exterioris: Rex Angliae non potest hanc dare & auferre, sed solus Deus, ut ipsemet fatetur contra Bellarminum : Ergo Rex Angliae non habet Primum Ecclesiæ. Quid iam prodest hic tua distinctio, Tookere ? aut quorū ea necessaria est ? Argumentum procedit de sola iurisdictione externa, de qua sola dissentunt Rex & Bellarminus. Hanc totam Bellarminus vult immediatè esse à Pontifice; Rex immediatè à Deo.

4. Sed mirum non est, te hic laborare, vbi agitur de Ecclesiastica iurisdictione fori exterioris. Id vobis in Anglia cōmune est. Nemo in ea explicanda cum alio cōsentit. Ac tria pōtissimum sunt, in quibus dissidentis.

Primum

Primum est, in quo consistat hæc iurisdictio exterior? an in sola potestate censuræ, seu excommunicationis, vt vult Sacellanus in Tortura Torti? an præterea in aliquo alio, vt tu contendis? Alterum, an Rex Angliæ habeat omnem iurisdictionem exteriorem, & quidem *absolutissimè* & *perfectissimè*, vt tu asseris? an nullā planè, vt Sacellano, Thomsonio & Burhillo placet? an aliquam eius portionem, vt alibi tibi visum est? Tertium, an Episcopi accipient eam totam immediatè à Deo, vt Rex cum Sacellano affirmat? an aliquā eius partem immediatè à Deo, aliquam immediate à Rege, quod tuum commentum est? De hac re plura dixi, tum in *Refutatione Tortura Torti*; Tum in *Dissidio Anglicano de Primatu Regis*.

C A P V T V I I I.

Quod sit ergo officium Regis circa Ecclesiam?

1. **O** Stendi hactenus prolixè, Reges & Principes sacerdota non habere Primatum, seu iurisdictionem exteriorem in Ecclesia, ac proinde sua auctoritate non posse Ecclesiam regere, Synodos conuocare, lites & controværias fidei dirimere, Ecclesiæ ministros creare vel deponere, contumaces excommunicare: sed hæc omnia ad Episcopos & Ecclesiæ Prelatos diuino ac humano iure pertinere. An igitur Regibus in regimine Ecclesiastico nihil reliquū est? An planè ab hac cura exclusi & immunes sunt? Dicam paucis, quod res est: & dabo Cæsari, quæ Cæsar is sunt, Deo, quæ Dei.
2. Ac primùm illud statuendum est contra Politicos, Reges & Principes Christianos nō ita debere sua regna ac prouincias administrare; vt omnem religionis & Ecclesiæ curam abiiciant, tanquam nihil ad se pertinentem.

tinentem, & usurpent illud Donatistatum: *Quid Imperatori eum Ecclesia? quod tātopere reprehendit August.* lib.2.contra literas Petiliani c. 92. Hoc enim & sacrī literis, & bonorum Reg. exēplis, & rationi ipsi contrārium est. Laudantur in sacrī literis Dauid, Ezechias. Iosaphat, Asa, & Iosias, quōd cultum ac religionem Dei, vel promouerint, vel restaurarint. Eoru exēplum in novo Testamēto imitati sunt Constatinus Magnus, Theodosius, Arcadius Honorius, Carolus Magnus, Ludouicus, & alij. Contra verò non solūm reprehensi, sed etiā puniti sunt, qui religionem & fidem contemserunt, vt Ieroboam, Achab, Achaz, Amon. Et ratio est, quia Reges, qui in sublimi potestate positi sunt, sicut ipsi ab inferioribus iure honorantur; sic Deum ipsum, à quo potestatem consecuti sunt, & cui iure naturæ subiiciuntur, meritò honorare debent, & ipsius gloriam ac maiestatem vbiique propagare. Vnde Agapitus ad Iustinianum Imperatorem: *Honore quolibet sublimiorem cum habeas dignitatem, O Imperator; honora super omnes, qui hacte dignatus es, Deum: quoniam iuxta similitudinem cœlestis regni; tradidit tibi sceptrum terrenæ potestatis, ut homines edoceres iusti custodiam, & eorum, qui quasi canes aduersus ipsam rabiunt, inseclareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro iure.*

3. Secundò statuendum est, eosdem Reges & Principes Christianos, nullo modo in suis regnis ac prouinciis debere admittere libertatem fidei ac religionis, si impedire eam possint. Hæc enim libertas planè illicita, & Christianæ doctrinæ contraria est. Nam vt alibi dixi, multa in Euāgeliō sunt, ex quibus constat, Christum vnam fidem mandasse; variam ac multiplicem prohibuisse. Ac primò, voluit vnam tantum esse Ecclesiam, vnum ouile, vnum pastorem, vnum baptismum. Hæc autem sine vnitate fidei consistere non possunt. Secundò,

dò, voluit discipulos suos attendere à falsis Prophetis: at in multiplice religione necesse est, alios esse veros, alios falsos Prophetas. Ergo, si hi excludendi sunt; fides vna retinenda est, varia explodenda. Tertio, voluit Ecclesiam suam perpetuam, cui omnes inferorum potestates resistere non possint. At perpetua esse non potest, si vna omnium fides non sit; quod ipse testatur Lucæ 11.17. *Omnē regnum in seipsum diuinum desolabitur.* Apostoli disertis verbis idem confirmant. Rom. 16.17. *Rogo autem vos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis faciunt; & declinate ab illis.* Gal. 1.8. *Licet nos aut Angelus de cœlo Euāgeliȝet vobis, præterquam quod Euangeliȝ animus vobis, anathema sit.* 1. Corint. 1.10. *Obsecro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* 1. Corinth. 14. 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Eph. 4.5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Heb. 13.9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Vides, quām seriò, quām sollicitè & grauiter hortetur Apostolus, ut vnitatem fidei retineamus. Quod non faceret, si libertas indulgeri possit. Plura in hanc sententiam dicta sunt in Disputat. *De fide hereticis seruanda,* cap. 10. Nunc illud solum addo ex August. ep. 66. *Quæ est peior mors animæ, quām libertas erroris?*

4. Quid ergo facient reges circa Ecclesiam ac religionem, si neque curam illius omnino reiicere, nec etiam libertatem indulgere possunt? Dicam verbo. Debent illam tueri ac defendere, non ut Domini, sed ut ministri: neque ut *Indices*, sed ut *executores*. Hoc olim fecerunt Christiani Principes: Hoc verbo testati sunt. Carolus Magnus, ut alios omittam; apud Sigonium lib. 4. de regno Italie, sic ait: *Si Ecclesiariū Dei seruis magnificentiam nostram impertimus, eorumq[ue] studiis libenter obsequimur: id nobis ad Augustalis excellētia culmen proficere credimus.* Si, inquit,

inquit, obsequimur Ecclesiarū Dei seruis. Obsequium offert; non arrogat sibi Primatum. Vult esse minister in defensione Ecclesiæ, non *Dominus*.

5. Idem Carolus, cum à Leone Papa coronam Imperij accepit: hac formula iuris iurandi usus est: *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. Imperator coram Deo & B. Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore huius sanctæ Romanae Ecclesiæ, in omnibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout sciero poteroque.* Referrit Sigonius loco citato.

6. Et iam pridem usu receptum est in Francia, Hispania, Anglia, Polonia, Hungaria, ut simili iuramento obstringant se Reges, & nominatim promittant, defensores se Ecclesiam ac religionem, eiusque Prælatis debitam reverentiam & subiectionem præstituros. Neque hoc quicquam derogat ipsorum maiestati; imò per honorificum est. Rectè Ambrosius epist. 32. ad Valentianum Iuniorem: *Quid est, inquit, honorificentius, quam ut Imperator dicatur filius Ecclesiæ?* Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Et Theodoricus Italiae Rex ad Ioannem Pontificem: *Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus.* Nam tunc ista rectè gerimus, si à uestris regulis minimè discedamus.

7. Non ibo longius in hoc genere. Satis, opinor, iam constat, quām curam circa Religionis & Ecclesiæ defensionem habere debeant Reges & Principes sacerdotes. Hoc addo, non deesse exempla huius rei, etiam hoc tempore, præsertim in Francia, Hispania, Polonia, Belgio, Germania, Italia.

COMMENTARIVS.

1. **T**ria dixi in hoc capite. Primò, Reges non debere omnem curam Ecclesiæ abiicere. Secundò, nec permittere libertatem religionis. Tertiò, debere tueri
ac

ac defendere Ecclesiam, non ut Dominos, sed ut ministros; non ut Iudices, sed ut executores. Quod duplum citer probatum. 1. Exemplo Caroli Magni. 2. Ex formula iuramenti, quo Reges se obstringunt Ecclesiæ.

2. Duo priora puncta concedis, Tookere. Circa tertium tergiuersaris. Ac primò, ad exemplum Caroli Magni, qui non arrogauit sibi Primatum, sed obsequium Episcopis promisit, respondes his verbis: *Habebat Primum re, sed obsequium nomine ac simulatione officij præ se ferebat: Quid hoc est, mihi homo? An putas, Imperatorem illum fuisse Puritanum, qui promitteret quidem Episcopis sua obsequia, sed verbo tantum & simulatione, non autem re ipsa?* Vbique in Imperatores iniquus es.

3. Secundò, ad formulā iuramenti, qua tum Carolus, tum alij Reges vni sunt, respōdes hoc modo: *Iuramenti formula nō est pro Ecclesia Catholica, sed Romana Catholica.* Vix scio, quid velis. Si hoc vis, Carolū Magnum & alios Reges iurasse, se defensuros, nō totā Ecclesiam Catholicam, sed illam tantum partē Ecclesiæ Catholicæ, quæ Romæ est; partim erras, partim pro nobis facis. In eo erras, quod putes, iuramentum ipsorum ad vnicā tantum Ecclesiæ partem pertinuisse. Iurarunt olim, & nunc iurant, quotquot in Hispania, Fracia, Polonia, Hungaria, sceptra regalia suscipiunt, se veram religionem & Ecclesiam, non Romæ tantum, sed etiam in suis regnis, perpetuò defensuros. In eo pro nobis facis, quod agnoscas Ecclesiam Romanam, tēpore Caroli Magni ac deinceps, Catholicam fuisse, q̄ alias soliti estis negare.

4. Tertiò, valde laudas Henricū VIII. Angliæ Regē: tu, quod acceperit titulum *Defensoris Ecclesiæ*, tum maximè, quod cum illius tituli rationem in Euāgelica lucis crepusculo perstexisset, instinctu quodā diuinitatis exarserit ad religionem promouendā, & superstitiones euertendas, magna orbis terrarū admiratione. Quicquid sit de illo Rege, cui benē

bene esse cupio, satis constat, non aliunde, quam à Romano Pōtifice (cui vos tam infensi estis sine causa) accepisse titulū *Defensoris Ecclesiæ*; nec alterius Ecclesiæ, quam Pontificiæ, quam Catholicam appellamus; nec ob aliam causam, quam quod cōtra Patriachā vestrum Lutherum, Pontificiam Ecclesiā defendisset. Si postea defecit ab illius Ecclesiæ vnitate, non instinetu diuinitatis, sed carnis ac luxuriæ, factum esse manifestum est. Nec corbis Christianus miratus est, eum promouisse religionem, sed illius Ecclesiæ, cuius antea fuerat Defensor deseruisse vnitatem; & illius Reginæ; quam legitimo matrimonio sibi sociauerat, repudiasse torum & cohabitationem. Nec id in lucis Euangelicæ, sed in hæresis Lutheranæ crepusculo accidisse, certum est.

5. Quarto, laudas Edouardum sextum, Henrici filium; his verbis: *Id ipsum in Edouardo sexto, postea Rege, altero huius etatis Gratiano, meminiſſe poterunt omnes, qui ut olim Gratianus gentiliarum superstitionum hostis accerrimus, titulum & stolam Pontificiæ aſternabatur ſic neque minimam falsi cultus umbram, ceremoniamue fucatam, etiamnum puer patiebatur, primatu nihilominus Christiano sibi retento, quo ſalubrius Ecclesiæ conſuleret, ac in longitudinem temporis prouideret.* Ut cætera omittam, quæ adulatoria ſunt, quid obſecro intelligis per Primatum Christianum, quem Rex ille retinuit? Sine dubio, eūdem Primatum, quem à parente acceperat. At ſi Primatus ille Christianus fuit, cur illum hoc tempore nō defertiſ ſastro Regi? cur tanquam ludibrium vestræ Ecclesiæ pridem expoliſtis? Nam Edouardus quidem, vt patet ex ipſius reſcripto ad Thomam Crammerum Archiepiscopum Cantuariensem, ratione ſui primatus, quem tu Christianum vocas, appellabat ſe ſupremum in terris Ecclesia Anglicana caput: quem ſanè titulum vos nullo modo permittitis veftro Regi.

6. Quinto, laudas Elisabetham Reginam, quæ Henrici filia, Edouardi soror fuit. De ea sic scribis: *Vtriuq; horum vestigia insecura est, & patris & fratris, Elisabetha, nostra, sed fælicissimæ memoriae, ac omni immortalitate dignissima Regina.* Vtinam taceres de fœmina, quam nec sponsam, nec virginem appellare ausi estis. Mirabuntur posteri, fuisse aliquando tempus, cum Angli, non modo in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, vnius fœminæ arbitrio se submiserint, & illam tanquam supremam Ecclesiæ Anglicanæ Dominam ac caput venerati sint. Sed mittamus hæc. Nam parum ad rem faciunt.

E P I L O G V S.

Quæ hacenus à me scripta sunt, ut in bonam partem accipias, Tookere, omnino abs te peto. Quanquā merito queri non potes. Primo, quia maiori modestia in te vsus sum, quam tu in me. Secundo, æquiorem causam defendo, quam tu. Tertio, ego DEI gloriam, & Ecclesiæ utilitatem specto: tu vnius Regis gratiam & fauorem aucuparis.



O P U S C U L U M VII.

DE PONTIFICE VETERIS TESTAMENTI.

I. **R**es hominum status ab orbe condito ad nos usque distinguendi sunt. 1. Status naturæ, ab Adamo usq; ad Mosen. 2. Status legis Mosaïcæ, seu veteris Testamēti, à Mose usque ad Christum. 3. Status gratiæ seu Euan-gelij, à Christo usque ad finem mundi. In statu naturæ

Opusculum III.

A a omnes

omnes primogeniti erant Sacerdotes, & diuino cultui peculiariter mācipati. In statu legis Mosaicæ, voluit quidē Deus omnes primogenitos sibi sanctificari (Exo. 13.2.) sed tamē in illorū locum, ex XII. tribubus Israēl, elegit sibi tribum Leui, & eā diuino seruitio prē cæteris destinauit, iuxta illud Num. 3.12. *Ego tuli Leuitas à filiis Israēl, pro omni primogenito in filiis Israēl, eruntq; Leuitæ mei.* Et c. 8.6. *Tolle Leuitas de medio filiorum Israēl, & purificabis eos.* Et infra: *Statues Leuitas in conspectu Aaron & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israēl, ut sint mei: Et postea ingredientur tabernaculum fæderis, ut seruant mihi.* Et iterum; *Tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israēl, ut seruant mihi in Tabernaculo, & orent pro eis, ne sit in populo plaga.*

2. Porrò in tribu Leui, tria hominum genera distingui solent. 1. Leuitæ propriè dicti. 2. Sacerdotes. 3. Summus Sacerdos seu Pontifex. Tametsi enim omnes, qui erant ex tribu Leui, generatim vocati fuerint Leuitæ, seu filij Leui: tamen ex vsu Scripturæ, Leuitæ propriè dicti distinguebantur à Sacerdotibus & Pontifice. Nam illi soli vocabantur Sacerdotes, qui offerebant victimas & sacrificia. Illi verò Leuitæ, qui Sacerdotibus ministrabant. Inter Sacerdotes, qui erat summus, vocabatur Pontifex. De eo potissimum hic agimus. Et quidem hoc ordine:

- I. *De familia Pontificis.*
- II. *De Successione.*
- III. *De Consecratione.*
- IV. *De Officio.*
- V. *De Vestibus & ornatu.*
- VI. *De Reditibus.*
- VII. *De authoritate apud populum.*
- VIII. *De comparatione illius cum Rege.*
- IX. *Quæ utilitas hinc colligi possit.*

C A P V T I.

De Familia Pontificis.

IN Tribu Leui erant multæ familiæ, quæ omnes servitio diuino destinabantur. Pontificatus, seu summū Sacerdotiū secundum legem ordinariā, erat in sola familia Aaronis. Habuit autē Aaron quatuor filios, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. (Num. 3.2.) Hi omnes simul à Mose consecrati sunt ; Aaron quidē in summū Sacerdotem seu Pontificem ; filij eius, in simplices seu minores sacerdotes. (Exod. 29. per totum.) Duo primi, Nadab & Abiu, occisi sunt à Deo, quòd ignem alienū obtulissent (Leuit. 10. 1.) & sine liberis decesserunt. (1. Paral. 24. 2.) Reliqui duo, Eleazar & Ithamar, manserunt in officio sacerdotali cum hoc tamen discrimine, ut Eleazar succederet patri in Pontificatu, non autē Ithamar : Et rursum Eleazaro succederet filius eius primogenitus ; & huic etiam primogenitus, & sic deinceps. Alij omnes, essent simplices Sacerdotes.

C A P V T II.

De successione Pontificum.

1. **A**ron fuit primus Pontifex à Deo constitutus, & à Mose consecratus, cum iure successionis (Eccl. 45. 8.) Quod addo, propter Mosen, qui fuit etiā Pontifex, & quidem ante Aaronem ; Sed extraordinarius, & sine iure successionis. Nam filij Mosis non erant Pontifices; immo ne Sacerdotes quidem, sed tantum Leuitæ, qui seruiebant Sacerdotibus, (1. Paral. 23. 14.)
2. Aaroni successit Eleazar, filius eius, cum pari potestate;

restate ; & huic similiter Phinees , cui propter zelum diuini honoris , promisit Deus sempiternum Pontificatum , iuxta illud Num. 25.13. *Erit tamen ipsi quām semini eius , pacrum Sacerdotij sempiternum , quia zelatus est pro Deo suo , & expiavit scelus filiorum Israēl.* Et I. Mach. 2.54. *Phinees pater noster , zelando zelum Dei , accepit testamentum Sacerdotij aeternum.* Idem repetitur. Eccl. 45.28.

3. Hic duæ occurunt difficultates. Vna , Cur Deus promiserit Phineæ & semini eius Pontificatum sempiternum , cum ei deberetur iure successionis ? Nam Phinees erat primogenitus Eleazari : primogenitus autē ex Dei ordinatione , succedebat patri in Pontificatu. Altera , quomodo hæc promissio fuerit impleta , cum cōstet , Heli & multos alios fuisse Pontifices qui tamen non erant ex semine Phineæ sed ex familia Ithamar.

4. Ad priorem sic respondeo. Ius successionis in eo consistebat , vt patri succederet filius primogenitus , si viueret. Si autem patre adhuc superstite , moreretur primogenitus , tunc secundogenitus in eius locum subrogaretur. Itaque primogenitus nunquam erat certus , se successorum patri in Pontificatu , nisi mortuo patre. Nam illo viuo , non erat certus , se victurum post patrem. Deus ergo viuente adhuc Eleazaro , promisit fore , vt Phinees , qui erat primogenitus Eleazari , superstes esset parenti suo , & ei in Pontificatu succederet cum suis posteris , quod etiam factum est.

5. Ad posteriorem duplex est responsio. Vna , promissionem illam fuisse verè impletam : quia ius Pontificatus semper mansit apud postcos Eleazari & Phineæ , tametsi usus illius iuris aliquādiu fuerit in familia Ithamar. Itaque postero Eleazari & Phineæ , semper fuisse Pontifices de iure ; posteros verò Ithamar , fuisse aliquādo Pontifices de facto. Altera , promissionem illā non fuisse absolutam , sed conditionatā ; ac proinde , quādiu fer

seruata est conditio, validam fuisse promissionem: quando autem desit seruari, reuocatam esse. Fuisse autem hanc conditionem, ut ius Pontificatus maneret apud posterorum Eleazari & Phineæ, quamdiu bene ac legitimè eo fungerentur: si fecerint, priuarentur: illo iure. Fecisse autem fecerint, itaque priuatos esse.

6. Ego saluo meliori iudicio, puto, utramque responsum temperandam esse hoc modo. Duo spectari possunt in Pontificatu. 1. Ius seu potestas ordinaria.

2. Usus seu exercitium. Ius absolute promissum est Phineæ & posteris eius. Usus seu exercitium, sub conditione, si non offenderent. Itaque posteri Phineæ semper fuerunt Pontifices de iure, posteri vero Ithamar, fuerunt aliquando de facto.

7. Post Phinees, in eadem linea successerunt hi tres, Abisue, Bocci, Ozi. Deinde translatus est Pontificatus ad posteros Ithamar, ac primum ad Heli, ut tradit Iosephus lib. 5. antiquit. in fin. & alij. Hic tria disputari solent. Primo, quare haec translatio facta sit? Respondeo: In primam peccati & negligentiæ cultus diuini. Secundo, quamdiu manserit Pontificatus in familia Heli? Respondeo: Usque ad tempora Salomonis, qui elecit Abiathar, & assumpsit Sadoc, (ut paulo post dicam.) Tertio, quis successerit Heli in Pontificatu? Respondeo: Heli habet duos filios Sacerdotes, Ophni, & Phinees (1. Reg. 1. 3.) Vterque mortuus est ante patrem (1. Reg. 4. 11.) Itaque neuter potuit illi in Pontificatu succedere. Porro, Ophni nullum legitur reliquisse filium. Phinees reliquit duos, Achitob & Ichabod posthumum (1. Reg. 4. 21. & 1. Reg. 14. 3.) Achitob successit Heli, aucto suo in Pontificatu, & alij deinceps hoc ordine:

I. HELI, Pontifex & index, 1. Reg. 1.

II. ACHITOB, nepos Heli, 1. Reg. 14. 3.

III. ACHIAS, filius Achitob, sub Saule, ibidem.

- IV. *ABIMELECH*, filius Achitob, & frater Achiae, (1. Reg. 14.3.) qui Dauidi fugienti dedit panes propositionis, & gladium Goliad, (1. Reg. 21.) & ob eam causam à Saïele, cum aliis Sacerdotibus, occisus est, (1. Reg. 22.)
- V. *ABIATHAR*, filius Abimelech, qui evasit manum Saülis, & fugit ad Dauidem, (1. Reg. 22.20.) Mansit autem in Pontificatu usque ad tempora Salomonis, (3. Reg. 2.27.)
8. Post Abiathar iterum rediit Pontificatus ad familiam Eleazari & Phinees. Nam Salomon, ut insinuauit, eiecit Abiathar propter conspirationem cum Adonia factam, & in locū eius subrogauit Sadoc, qui erat ex linea Eleazari, (3. Reg. 2.27.) Porro à Sadoc usque ad captiuitatem Babylonicā fuit hic ordo Pontificum, quantum ex Scripturis colligi potest.
- I. *SADOC*, vngitetur in Pontificem sub Salomone, (1. Paral. 29.22.)
- II. *ACHIMAAS*
- III. *AZARIAS* } filij Sadoc.
- IV. *AMARIAS*, sub Iosaphat Rege, (2. Par. 19.ii.)
- V. *IOIADA*, sub Athalia & Ioas, (4. Reg. 12.7. & 2. Paral. 23. per tot.) Vxor eius fuit filia Regis Ioram, (2. Paral. 22.11.) Mortuus est, cum esset annorum centum & 30. (2. Paral. 24.15.)
- VI. *ZACHARIAS*, filius Ioiada, sub finem regni Ioas, (2. Par. 24.20.) qui iussu Regis, à populo lapidatus est, in atrio dom⁹ Domini (ibid. v. 21.)
- VII. *AZARIAS*, qui reprehendit Oziam Regem, eo quod vellet adolere incensum super Altare thymiamatis (2. Paral. 26.17.)
- VIII. *VRIAS*, sub Rege Achaz (4. Reg. 16.10.)
- IX. *AZARIAS*, sub Ezechia (2. Paral. 31.10.)
- X. *SOBNA*, sub eodem, contra quem prophetat Isaias

Isaias cap. 22. v. 15. usque ad finem capitinis.

XI. *E L I A C I M*, filius *Helcia*, sub *Manasse*, quem
Isaias cap. citato, v. 20. prædictit, loco Sobne, col-
locandum in Pontificatu.

XII. *H E L C I A S*, sub *Iosia* (4. Reg. 22. & 23. Et
2. Paral. 34.)

XIII. *S A R A I A S*, qui cum *Sedecia* Rege ductus est
in captiuitatem *Babyloniam* (4. Reg. 25. 18.
Ierem. 52. 24.)

9. Sub initium captiuitatis, cum *Saraias* Pontifex
ductus esset in *Babylonem*, successit illi *Phassur*, filius
Emmer, qui *Ieremiam* vinxit in carcerem (Iere. 20. 1.)
An autem fuerit verus & legitimus Pontifex, meritò
à quibusdam dubitatur. Porrò, post captiuitatem Ba-
bylonicam, primus Pontifex fuit *Iosue*, filius *Iosedec*,
ex familia *Eleazari*, cum hac successione.

I. *I O S V E*, filius *Iosedec*, sub *Cyro* & *Dario* (1.
Esdr. 3. 2.) cœpit cum *Zorobabel* ædificare tem-
plum in *Ierusalem* (1. Esdr. 5. 2.)

II. *I O A C I M*, filius *Iosue*

III. *E L I A S I B*, filius *Ioacim* } 2. Esdr. 12. 10.

IV. *I O A D A*, filius *Eliasib*

V. *I O A T H A N*, filius *Ioada*.

VI. *I E D D O A*, filius *Ioathan* (ibidem) qui ab aliis
vocatur *Iaddus*. Hunc *Alexander Magnus*,
Hierosolymam accedens, adorauit, teste *Iosepho*
lib. 13. cap. vlt. Cuius frater *Manasses* ædificauit
templum *Samaritanum* in *GariZim*, apud eun-
dem *Iosephum*, lib. 11. cap. 7.

VII. *O N I A S* I. *Iaddi* filius.

VIII. *S I M O N*, filius *Onia*, cognomento *Iustus* (*Io-*
sephus lib. 12. cap. 3.)

IX. *E L E A Z A R V S*, frater *Simonis*, qui perete *Ptole-*
mæo *Philadelpho*, misit in *Ægyptum* 72. interpretes,

qui *vetus Testamentum ex Hebraico sermone in Græcum transtulerunt* (*Ioseph.lib.12.cap.2.*)

X. *M A N A S S E S*, *Iaddi filius*, *Onia frater* (*Ioseph.lib.12.cap.3.*)

XI. *O N I A S* 2. *Simonis iusti filius*, *qui iam senior, tributum Ptolomæo Euergetæ negauit. Vnde multa mala fuissent consecuta, nisi Iosephus Tobiae & sororis Pōtificis filius, legationem suscepisset ad Ptolomæum.*

XII. *S I M O N* 2. *frater Onia secundi, de quo Iosephus lib.12.cap.4. sub finem.*

XIII. *O N I A S* 3, *filius huius Simonis, ad quem Rex Spartiatarum Arius misit legationem cum literis* (*1.Mach.12.20.*) *De hoc Onia, viro sanctissimo, multa habentur* *2.Mach.3.& 4,*

XIV. *I A S O N*, *frater Onia, qui viuente adhuc Onia, malis artibus ab Antiocho Rege, Pontificatum obtinuit per triennium* (*2.Mach.4.7.*)

XV. *M E N E L A V S*, *qui cum non esset de genere Sacerdotali (erat enim ex tribu Benjamin) Iasonem post 3. annos de Pontificatu deiecit, & sibi illum à Rege deferri curauit* (*2.Mach..4.24.*) *Sed cum promissas Regi pecunias non solueret, iterum depositus est, subrogato in eius locum Lysimacho* (*2.Mach.4.29.*)

XVI. *L Y S I M A C H V S*, *Menelai frater, qui à populo interfectus est.* (*2.Mach.4.41.*)

XVII. *A L C I N V S*, *ex familia Aaronis, qui merito Pontificatum amisit, eo quod ritibus gentilium se contaminasset.* (*2.Mach.14.3.*)

XVIII. *M A T H A T H I A S*, *Machabaorū Pater, quē alij affirmant, alij negant fuisse Pontificē. Vide nostrū Serarium in cōmentario lib.1.Mach.c.2.*

XIX. *I V D A S M A C H A B Æ V S*, *Mathathia filius,*

filius, de quo Iosephus lib. 12. cap. 17.

XX. IONATHAS, frater Iude (1. Mach. 12. 6.)

XXI. SIMON, Iude & Ionathas frater (1. Mac. 14. 20.)

*XXII. IOANNES HYRCANVS, Simonis
filius (1. Machab. 16. 24.)*

10. Reliqui Pontifices, qui deinde secuti sunt usque ad tempora Christi & Apostolorum, ex profana historia petendi sunt. Nam in Scripturis sacris nulla fit eorum mentio. Solùm ex Euangeliò constat, Annam & Caipham fuisse Pontifices, de quibus hic nihil dicendum est. Illud porrò in hac tota serie ac successione Pontificum notari debet, generalem fuisse legem seu ordinationem Dei, ut nullus Pontificatus, nisi per mortem, defungeretur; nec aliis, priore adhuc viuente, subrogari possit. Quæ tamen lex, præsertim quando Reges & Principes sacerulares immiscuerunt se rebus Ecclesiasticis, aliquoties seruata non est. Primò sub Salomone, qui eiecit Abiathar à summo sacerdotio, & subrogauit illi Sadoc. Secundò, sub Antiocho Rege, cuius authoritate, primùm quidem Onias Pontificatus abire cōpulsus est; tum Iason & Menelaus successiū substituti; demùm illi ipsi, de gradu iterū diciti sunt. Tertiò, sub Herode, qui pro suo arbitrio posuit & remouit, quos voluit. Et quidē Antiochus & Herodes, in hac re, abusi sunt potestate regia, & meritò ab omnibus reprehenduntur. De Salomone, recte, an fecus fecerit, quæstio est; de qua infra latius.

C A P V T I I I .

De consecratione Pontificis.

1. **T**Ametsi Leuitæ, Sacerdotes, & Pontifex, iure successionis haberent sua officia, non tamen poterant ea actu exercere, nisi prius certo ac legitimo

ritu consecrati essent. Ritus consecrandi Leuitas, habentur Num. 8.6. his verbis : *Tolle Leuitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos iuxta hunc ritum. Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis sua.* Cūmque lauerint vestimenta sua, & mundati fuerint, tollent bouem de armētis, & libamentū eius, similam oleo conspersam: bouem autē alterum de armento tu accipies pro peccato: Et applicabis Leuitas coram Tabernaculo fœderis, cōuocata omni multitudine filiorū Israël. Cūmque Leuitæ fuerint corā Domino. Ponent filij Israël manus suas super eos: Et offeret Aaron Leuitas, munus in conspectu Domini à filiis Israël ut seruiāt in ministerio eius. Leuitæ quoq; ponent manus suas super capita boum, ē quibus vñū facies pro peccato, & alterū in holocaustū Domini, ut depreceris pro eis. Statuesq; Leuitas in cōspectu Aaron & filiorū eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorū Israël vt sint mei. Et postea ingredientur tabernaculū fœderis, ut seruiāt mihi. Sicq; purificabis & cōsecrabis eos in oblationē Domini; quoniam dono donati sūt mihi à filiis Israël. Pro primogenitis accepi eos. Et paulò post: Leuitæ purificati sunt, & lauerūt vestimenta sua. Eleuauitq; eos Aaron in cōspectu Domini, & orauit pro eis, ut purificati ingrederetur ad officia sua in tabernaculū fœderis coram Aaron & filiis eius.

2. In quo ritu tria generatim spectanda sunt. 1. Purificatio Leuitarum. 2. Consecratio. 3. Applicatio ad usum ministerij. Purificabantur Leuitæ, ante cōsecrationem quatuor modis. 1. Aspersione aquæ lustrationis. 2. Rasione pilorum totius corporis. 3. Lotione vestimentorum. 4. Oblatione sacrificij pro peccato.

3. Aqua lustrationis, seu expiationis, dicebatur: cui cineres vaccæ rufæ infusi erāt. Huius aspersione mundabantur, quicunque contraxerant aliquam immunditiam legalem, siue ex contactu cadaueris, siue aliunde. (Num. 19. per totum.) Nec ulli immundo licebat accede

accedere tabernaculum, nisi prius hac aqua mundatus & expiatus esset. (ibidem.)

4. Rasio pilorum totius corporis, & lotio vestimentorum, non solum in purificatione Leuitarum, sed etiam in expiatione leprosorum adhiberi solita est. (Leuit. 14.7.) Diuerso tamen modo. Nam leprosi ideo radebant pilos capitis, barbae, superciliorum & totius corporis, & lauabant vestimenta, ut nihil apud se haberent, in quo lepra posset foueri aut occultari. Leuitæ verò, ut per illam externam mundationem monerentur, se interiùs ab omni lepra spirituali purgatos esse oportere: Nec Deum minus abhorrere ab iis ministris, qui animo ac mente inquinati, quam homines ab iis, qui lepra corporali infecti sunt.

5. Post peractam hanc purificationem Leitarum, sequebatur eorum consecratio, quæ in eo consistebat, quod Aaron acciperet eos à filiis Israël, loco primogenitorum, & offerret illos Deo in ministerium tabernaculi, & pro illis oraret, ut benè fungerentur suo officio. Hoc significant illa verba superius citata; *Offeret Aaron Leuitas, munus in conspectu Domini à filiis Israël, ut seruant in ministerio eius.* Et iterum; *Elevauit eos Aaron in conspectu Domini, & orauit pro eis.*

6. Cum hoc modo iam essent consecrati, applicabantur ad usum ministerij, eo ipso, quod intromitterentur in tabernaculum fœderis Domini, iuxta illud; *Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron & filiis eius.* Hæc de Leuitis.

7. Ritus consecrandi Pontificem & Sacerdotes, habetur Exod. 28. 1. his verbis; *Sed & hoc facies, ut & mihi in sacerdotio consecremur.* Tolle Vitulum de armento & arietes duos immaculatos panésque azymos, &c. Et paulò post; *Aaron & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonijs.* Cūque laueris patrem cum filiis suis aqua, indues

Aaron

Aaron vestimentis suis, & oleum unctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque balteo. Et infra, Tolles quoque arietem alterū, super cuius caput Aarō & filij eius ponēt manus. Quem cū immolaueris, sumes de sanguine eius, & pones super extremū auriculæ dextræ Aarō & filiorū eius, & super pollices manus eorū ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. Cumq; tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo unctionis, asperges Aarō & vestes eius, filios & vestimenta eorum. Consecratisq; ipsis & vestibus, tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam, que operit vitalia, ac reticulū iecoris, & duos renes, atque adipem qui super eos, armumque dextrum, eo quod sit aries consecrationis, tortamq; panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini: ponēsque omnia super manus Aaron & filiorum eius, & sanctificabis eos eleuans coram Domino &c. Hæc omnia prolixè repetuntur, Leuit. 8. per totum.

8 Atque hic est ritus, quo Aaron in Pontificem, & filij eius in Sacerdotes à Mose consecrati sunt. In quo etiam tria spectari debet. 1. Purificatio Pontificis & Sacerdotum. 2. Consecratio. 3. Applicatio ad usum ministerij. Purificatio fiebat duobus modis. Primò, lotione totius corporis. Secundò, oblatione sacrificij pro peccato. Consecratio perficiebatur hoc ordine. 1. Post lotionem. Pontifex ornatus Pontificali, & Sacerdotes sacerdotali indebantur. 2. Pontifex vngebatur oleo unctionis in capite; non item Sacerdotes. 3. Tam Pontifex, quam Sacerdotes, in extremo auriculæ dextræ, & similiiter in pollice manus ac pedis dextri, tingeantur sanguine arietis immolati. 4. Non solùm Pontifex & Sacerdotes, sed etiam vestes eorum, sanguine arietis & oleo unctionis aspergebantur. Denique multa ex canistro panum, & ex ariete immolato, dabantur illis in manus,

nus, ut ea leuarent coram Domino: quo signo, non solum dabatur illis potestas sacrificandi, sed simul applicabantur ad usum ministerij, quod potissimum constitebatur in sacrificando.

9. Ceterum, ut maior esset solennitas huius actionis, triplex in ea sacrificium offerebatur. 1. Vitulus in hostiam pro peccato. 2. Aries unus in holocaustum. 3. Aries alter in hostiam pacificam. Igitur tota series actionis procedebat hoc modo & ordine. Primo, Aaron, & filii eius, qui erant consecrati, publice coram toto populo adducebantur ad tabernaculum, & ibi lauabantur aqua. 2. Aarō induiebatur habitu Pontificali, & super caput eius fundebatur chrisma, seu oleumunctionis. 3. Filii Aaronis induiebantur habitu sacerdotali, non tamen fundebatur oleum unctionis super capita illorum. 4. Adducebatur ad ostium tabernaculi, vitulus & duo arietes: & præterea adferebantur panes azymi in canistro, cum quibusdam aliis ad eundem usum pertinentibus.

10. Deinde sequebatur primum sacrificium, id est, immolatio vituli pro peccato, hoc modo. 1. Aaron & filii eius imponebant manus super caput vituli, qui mactabatur. 2. pars sanguinis eius ponebatur super cornua altaris, pars altera fundebatur ad basim eius. 3. totus adeps, qui operit intestina, & reticulum iecoris, & duo renes cum suo adipe, incidebantur super altare. 4. Carnes, corium, & simus comburebatur foris extra castra.

11. Mox succedebat secundum sacrificium, id est, immolatio unius arietis in holocaustum, hoc ordine. 1. Impositis super caput eius manibus, mactabatur. 2. sanguis eius spargebatur super altare per circuitum. 3. corpus secebatur in partes. 4. intestina lauabantur. 5. pedes & intestina iam lata ponebantur super caput & alias partes. 6. haec omnia incidebantur super altare.

12. Postea mactabatur alter aries in hostiam pacificam,

cam, hoc ritu. 1. Moses sumebat de sanguine eius, & oblinebat extremum auriculae dextræ Aaronis & filiorum eius; itemque pollicem manus ac pedis dextri. 2. Spargebat sanguinem super altare per circuitum. 3. sumebat de sanguine, qui erat super altare, & de oleounctionis, & aspergebat Aaronom & filios eius, & vestes eorum. 4. sumebat adipem, caudam, pinguedinem, quæ operit intestina, reticulum iecoris, duos renes cum adipe eorum, armum dextrum, portionem panis, crustulam oleatam, & laganum, & tradebat Aaroni & filiis eius, ut leuarent coram Domino. 5. suscipiebat iterum omnia de manibus eorum & incendebat super altare in holocaustum.

13. Circa hanc totam actionem & solennitatem eius, multa disputari possent. 1. de variis Iudæorum purificationibus. 2. de generibus sacrificiorum. 3. de sacris vestibus Pontificum & Sacerdotum. 4. de tabernaculo & structura eius. Sed haec, vel non spectant ad institutum nostrum, vel de illis infra agendum est. Tria tamen hæc loco discutienda sunt. 1. quamdiu durauerit hæc tota actio & solennitas consecrationis. 2. quare tot ceremoniæ adhibitæ sint. 3. an omnes semper adhibitæ sint. Igitur est.

Q V A E S T I O I.

Quamdiu durauerit hæc tota actio consecrationis Aaronicæ.

14. C Ertum est, primam consecrationem, qua Aaron in Pontificem, & filij eius in Sacerdotes consecrati sunt, durasse septem diebus. Hoc enim expressè pæceptum erat à Deo, iuxta illud Exod. 29. 3. *Omnia quæ præcepi tibi facies super Aaron & filii eius. Septem diebus consecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per fin*

singulos dies ad expiandū. Et Leu. 8.33. De ostio tabernaculi non exhibitis septem diebus, usque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestrae. Septem enim diebus finitur cōsecratio. Die ac nocte manebitis in tabernaculo, obseruātes custodias Domini, ne moriamini. Sic enim mihi praeceptū est. 15. Potest tamen duobus modis hoc intelligi. 1. Quod tota actio consecrationis paulatim & successiūè, spacio septem dierum peracta sit, ita ut Aaron & filij eius, primum quidem loti sint; deinde sacro habitu ornati; tum vñcti, & aspersi; ac sic deinceps, donec tandem die septimo finis actioni sit impositus. 2. Quod tota consecratio cum omnibus ritibus ac ceremoniis, primo die fuerit integrē absoluta, & postea per sequentes dies, quotidie integrē repetita; ita ut Aaron & filij eius, septies fuerint loti aqua, septies induiti sacro habitu, septies vñcti, tincti, & aspersi, & septies terna sacrificia Deo oblata. Hoc videtur probabilius. 1. Quia Iosephus, Lyranus, & multi alij ita sentiunt. 2. Quia colligitur ex illis verbis paulò ante citatis; *Septem diebus consecrabis manus eorum, & vitulū pro peccato offeres per singulos dies.* Vbi illa particula, *per singulos dies*, planè significat, quotidie oblatum fuisse vitulum pro peccato, & quotidie consecratas manus Aaronis & filiorum eius.

16. Dices, Inde non sequitur, quotidie omnes ceremonias fuisse repetitas, sed tantum aliquas. Fateor, non sequi euidenter, sed solūm probabiliter. Et ideo, præter duas expositiones iam allatas, potest dari tertia, quæ sit media inter vtramque, nimirum, quod tota consecratio, cum omnibus ritibus ac ceremoniis, primo die fuerit integrē absoluta, & postea per sequentes dies, non quidem integrē, sed tamen aliqua ex parte, quotidie repetita. Nam verisimile est, Aarone & filios eius non nisi semel, id est, primo die, fuisse lotos aqua. Quid enim necesse erat, secundò die iterum la-

uari, & similiter tertio ac sequentibus, cum iam semel loti ac purgati essent? Idem dici potest de effusione olei sacri super caput Aaronis. Nihil tamen definio; sed solum in re dubia, quid probabile sit, interpretor.

17. Manet vna difficultas; an etiam consecratio aliorum Pontificum, qui Aaroni successerunt, durauerit septem diebus? *Respondeo.* Certum est, debuisse sic fieri; an semper factum, incertum. Prior pars dupliciter probari potest, Primo, ex praecepto Dei generali, quod alatum est, *Septem diebus finitur consecratio.* Secundo, speciatim ex illo, Exod. 29.29. *Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii eius post eum, ut vngantur in ea, & consecrentur manus eorum.* Septem diebus utetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis eius, & qui ingreditur tabernaculum testimonij, ut ministret in sanctuario. Posterior pars probatur, quia incertum est, an consecratio Eleazari, qui proxime succedit Aaroni parenti suo, durauerit septem diebus. Sic enim legimus. Num. 20.25. *Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor.* Cumque nudaueris Patrem vestem sua, indues ea Eleazarum filium eius. Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moses, ut praeceperat Dominus; & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliaisset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in monte supercilio, descendit cum Eleazaro. Ex quibus verbis colligimus, Eleazarum non alio ritu consecratum esse a Mose, quam quod ascenderit in montem Hor, & ibi acceperit vestem Pontificiam, & statim iterum descenderit. De qua re dicemus latius in quæstione tertia.

Q V A E S T I O I I .

*Quare tot ceremoniae adhibita sunt in consecratio-
ne Pontificis & Sacerdotum?*

18. **E**ius rei tres causæ assignari possunt. Vna sumitur ex parte officij sacerdotalis. Altera ex parte eius, qui suscipit illud officium. Tertia ex parte populi, seu subditorum. Igitur prima causa, cur Deus voluerit Pontificem & Sacerdotes cōsecrari tot titibus ceremoniis, ac solennitatibus, est hæc, ut ostenderet præstantiam, dignitatem & sanctitatem officij Sacerdotalis: Et quod nemo ad officium tam sanctum ac diuinū deberet accedere, nisi prius à Deo speciatim electus, & publicè coram populo in hunc finem esset consecratus. Hinc gravissimè puniti sunt, qui ingesserunt se in officium Sacerdotale, cum nō essent consecrati. Exemplum habemus in Chore, Ieroboam, & Ozia, Chore viuis à terra absorptus est, (Nu. 16.) Ieroboam manus repente exaruit. (3. Reg. 13.) Ozias lepra percussus est. (2. Paral. 26.)
19. Secunda causa est, ut ipsi metuunt Pontifices & Sacerdotes, ex illis titibus ac ceremoniis, caperent duplē utilitatem. Primo quidē, ut meminissent se debere esse sanctos & puros coram Domino, qui ad tam sanctum & purum ministerium electi à Deo & cōsecrati essent: Et sanè, tanto maiorem sanctitatem ac puritatem ab ipsis, quam à populo, requiri, quanto ipsis, quam populus, in sanctiori gradu ac statu essent collocati. Secundò, ut in aduersitatibus & periculis, quæ saepe occurruunt in tali officio, possent scipios solari & erigere. Nam sicut isti, qui præsunt aliis in rebus temporalibus, saepe vel à suis subditis, vel ab hostibus affliguntur; sic multo magis contingit illis, qui in cura animarum pri-

cipatum tenent. Hoc in veteri Testamēto experti sunt Aaron, (Num. 16.) Zacharias, (2. Paral. 23.) Azarias, (2. Paral. 26.) Et in nouo, Apostoli, Matth. 10. 16. *Ecce ego mittio vos, sicut oves in medio luporum.* Ioan. 16. 2. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo.* Et nominatim S. Paulus 2. Cor. 11. 23. *In labōribus plurimis, in carceribus abundatius, in plagiis supramodum, in mortibus frequenter.* Ter virgis casus sum, semel lapi-datus sum, ter naufragium feci, &c. Cōm ergo huiusmodi viri, tot miseriis expositi sint, necesse est, habeant ali-quit, quo se solentur, ne oneri succumbant. Id in vere-ri Testamento factum est per solennes ritus ac ceremo-nias, quibus Sacerdotes & Pontifices ex mandato Dei consecrabantur. Nam inde certò illis constabat, se à Deo speciatim electos ac designatos esse, vt in tali offi-cio Deo ministrarent, ac proinde vt omnia aduersa, quæ tali officio annexa essent, libenti ac forti animo sustinereūt. Ex quo vltierius facile sibi persuadebant, quidquid ratione vocationis acerbum ac molestum eueniret, non nisi in bonum exitum, diuina ordinatio-ne, cessurum. Simile est in nouo Testamento:

20. Tertia causa est, vt etiā subditī ex tali ceremonia-tum solēnitate fructū aliquem percipeat ēt. Qui quidem fructus erat duplex. Alter, quod ex publica cōsecratio-ne certò agnoscerent suos Pastores, quibus ipsorū salas cōmissa esset. Alter, quod scirent, quantum honorē & reuerentiam, propter sanctitatem officij, præstare illis oporteret. De'q̄to puncto alibi iterum dicendum erit:

21. Ex dictis duo colliguntur. Vnum est, quod etiam in nouo Testamento nulli debeant esse ministri Eccle-siae, nisi à Deo speciatim electi, & solēni ritu conse-cati; quod vrgit Apostolus Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Hoc non seruator apud Lutheranos & Caluinistas. Ibi inge-

runt

runt se ex turba, qui volunt, modo garrire norint ac calumniari. Alterum, quod in veteri Testamento, tanto res aliqua maioris momenti fuerit apud Deū, quanto pluribus, sanctioribus & solēnioribus ritibus ac ceremoniis, voluerit eam Deus honorare. At multo plures, sanctiores & soleñiores ritus adhibebantur in consecratione sacerdotum ac Pontificum, quam Regum, ut suo loco ostendemus.

Q V A E S T I O III,

An omnes ceremoniae semper adhibitae sint?

22. **S**ensus est, an quotiescumque post Aaronem, sancta fuit consecratio alicuius Pontifici, adhibitae sint omnes ceremoniae, que in consecratione Aaronis adhibitae sunt; nimirum, lotio, ornatus, vincio in capite, tinctio, aspersio, sacrificium, & solennitas septem dierum. Non videtur id factum esse in consecratione Eleazar, qui proxime successit Aaroni. Nam nihil aliud in ea factum est, ut supra dixi, quam quod in monte Hor, induerit vestem Pontificalem, qua usus fuerat Aaron, & cum ea descenderit ad populum.

23. In hac difficultate sunt tres opiniones. Prima, quod Eleazar ex speciali Dei voluntate ac dispensatione, factus sit Pontifex sine solenni ritu consecrationis, per solam assumptionem vestis Pontificalis. Altera, quod ritus consecrationis vere adhibitus sit, non quidem in monte Hor (propter defectum tabernaculi, quod manset in inferiori loco, in medio castorum) sed postea, cum ex monte rediissent ad tabernaculum; vel certe, cum expugnassent & occupassent terram duorum Regum Amorrhæorum; vel denique, cum post transitum Iordanis, venissent in terram pro-

missionis. Tertia, quod non opus fuerit adhibere totā solennitatem, sed solam vunctionem & ornatum Pontificalem. Ratio est, quia Eleazarus iam ante solenni ritu consecratus fuerat Sacerdos cum tribus fratribus & Aarone patre. Ergo iam adhibitæ fuerant omnes ceremoniæ, quæ erant communes Sacerdotibus & Pontifici. Ergo solum necesse erat eas adhibere, quibus Pontifex distinguebatur à Sacerdotibus. Illæ autem erant duæ tantum, nempe, vunctione in capite, & assumptione ornamenti Pontificalis. Vtraque potuit adhiberi in monte Hor. Et de altera quidem constat; de altera verò credibile est adhibitam esse.

24. Ego, saluo meliori iudicio, sic sentio. Primo, ex præcepto diuino necessarium fuisse, ut quicunque Pontifex crearetur, septem diebus maneret in tabernaculo, in habitu Pontificali. Secundo, ut vngueretur oleo vunctionis in capite. Tertio, ut pollex dextræ manus ac pedes, itemque extremū auriculae dextræ, tingeretur sanguine atietis immolati. Hæc tria colliguntur ex verbis Exodi 29, 29, supra citatis. Nec dubito, quin seruata sint in consecratione Eleazari, tametsi Scriptura expresse id non dicat. De lotione nihil certè definiri potest.

C A P V T I V .

De officio Pontificis.

1. **P**ontifex habebat quædam officia cōmunia cum aliis Sacerdotibus; quædam sibi propria ac pecunaria. Communia erant hæc decem. Primum, offerre victimas seu sacrificia super altare holocausti. (Leuit. 1. 2. 3.) Secundum, in eodem altari, in usum sacrificiorum, alere seu nutritre perpetuum ignem, subiiciēdo illi quotidie ligna. (Leuit. 6. 12.) Tertium, bis quotidie, id est,

mane & vespere, ponere & adolere incensum super altare thymiamatis. (Exod. 30.1.) Erant enim duo altaria legitima: Vnum holocausti, in quo victimæ seu sacrificia offerebantur: alterum thymiamatis, in quo aroma-
ta suauissimi odoris incendebantur. Hoc aureum; illud æreum. Quartum, bis quotidie, affuso oleo oliuarum,
concinnare lucernas, quæ erant in candelabro aureo,
iuxta Altare thymiamatis. (Exod. 25.37. & Leu. 24.2.) Quintum, singulis Sabbathis duodecim panes calidos
ponere super mensam propositionis, & veteres inde
remouere ac comedere. (Exod. 25.23. & Leuit. 24.5.) Sextum, immolare vaccam rufam extra castra (Num. 19.
3.) Septimum, adiurare mulieres in casu zelotypiæ.
(Num. 5. 11.) Octauum discernere inter lepram & le-
pram (Leu. 13. per totum.) Nonum, expiare seu mun-
dare leprosos, puerperas, menstruosas & semifluos (Le-
uit. 12. & sequentibus.) Decimum, Legem Dei scire, in-
terpretari, & alios docere. (Aggæi 2.12. & Malac. cap. 2.
vers. 7.)

2. Propria erant hæc quatuor. Primum, semel in an-
no intrare in Sanctuarium. Secundum, consecrare Le-
uitas & Sacerdotes. Tertium, in controvërsiis legali-
bus ultimam ferre sententiam, cui omnes sub pœna ca-
pitis tenebantur obedire. Quartum, in rebus dubiis,
quæ maioris essent momenti, consulere Deum. Hæc,
quia propriè ad institutum nostrum pertinent, breui-
ter explicanda sunt.

1. Pontificis officium.

3. **I**gitur primum officium Pontificis erat, semel in
anno, nimirum in solenni die expiationis seu pro-
pitiationis, introire in sanctuarium, seu in Sancta san-
ctorum (Hebr. 9. 7.) Et instituere publicam expiatio-

nem totius populi Israëlitici ab omnibus peccatis & immunditiis toto anno contractis (Leuit. 16. per totū.) Vbi notandum est duplēcēm fuisse expiationem in veteri Testamento. Vnam priuatam & particularem, quā vel leprosi, vel puerperæ, vel alij, qui haberent aliquam immunditiam legalem, expiari solent: alteram publicā & vniuersalem, qua tota multitudo seu Ecclesia Israëlitarum mundabatur. Prior fiebat sēpe in anno; posterior, de qua hīc agimus, semel duntaxat: Prior à quo quis Sacerdote: posterior à solo Pontifice: Prior extra Sanctuarium; posterior, partim in Sanctuario, partim extra. Fiebat autē hoc ritu. Primō, totus populus eo die cef-sabat ab omni opere seruili, & ieunabat usque ad yesperam. Secundō, Pontifex lauabat se aqua, & induebat vestes Pontificales. Tertiō, ante quam inciperet publicam expiationem, præmittebat tres alias, quæ tamē publicæ subseruiebant: vnam sui ipsius & familiae suæ, oblatione vituli pro peccato, & arietis in holocaustum. Alteram Tabernaculi & Sanctuarij, partim vapore, seu nebula accensorum aromatum, partim septena aspersione sanguinis ex immolato vitulo & hirco: Tertiam altaris thymiamatis, sola aspersione sanguinis.

4. His peractis, sequebatur publica expiatio, hoc modo: Pontifex, qui ab initio miserat sortem super duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter viuus mitteretur in desertum; hunc statuebat in conspectu multitudinis, & posita vtraque manu super caput eius, confitebatur omnes iniquitates & peccata filiorum Israël, eaque capiti astantis hirci imprecabatur; & sic mittebat eum in desertum, quasi auferentem & portantem peccata totius populi. Vnde & hircus, seu caper Emissarius, dictus est. Hęc omnia prolixè habentur, Leuit. 16.

I L O F F I C I V M .

5. Secundum officium Pontificis erat, consecrare Letitas & Sacerdotes, iuxta eum titum, qui describitur, Exod. 29. Leuit. 8. & Num. 8. De quo ritu superius actum est. Hoc officium Pontificis designabatur per unctionem capitis, ut recte notat D. Thom. in 1.2.q.102. art. 5. ad 8. Et ratio est, quia sicut oleum unctionis, seu sacrum Chrisma, quod effundebatur in caput Pontificis, defluebat inde ad alia membra, iuxta illud Psal. 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: sic potestas offerendi sacrificia, & ministrandi in Tabernaculo, à Pontifice per legitimam consecrationem descendebat ad Sacerdotes & Leuitas, tanquam à capite Synagogæ in membra inferiora.*

6. Porro, in hoc oleo unctionis duo spectacula sunt, neque cōpositio & usus Modus cōponēdi habetur Exodi 30.22. his verbis: *Locutus est Dominus ad Mosen, dicens: Sume tibi aromata prima myrra & electa quingētos siclos, & cinnamomi mediū, id est, ducētos quinquaginta siclos, calami similiter ducētos quinquaginta, casiae autē quingentos siclos in pōdere sanctuarij, olei de oliuetis mēsurā hin: faciesq; unctionis oleū sanctū, unguentū cōpositū opere unguentarij.*

7. Mox subiungitur usus illius olei, his verbis: *Et unges ex eo tabernaculū testimonij, & arcā testamenti, mensamq; cum vasis suis, candelabru & viensilia eius, altaria thymiamatis & holocausti, & uniuersam supellecūlem, quae ad cultum eorum pertinet. Sanctificabisq; omnia, & erunt sancta sanctorū: qui retigerit ea, sanctificabitur Aaron & filios eius unges, sanctificabisq; eos, ut sacerdotio fungātur mihi. Filii quoq; Israēl dices: Hoc oleum unctionis sanctū erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non ungetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit robis. Igitur, non licebat uti hoc*

oleo vunctionis, nisi ad vngendū Pontificem, Sacerdotes, tabernaculū, & ea, quę erant in tabernaculo. Solus tamen Pontifex vngebatur in capite; non item Sacerdotes. Aliæ res aut personæ nō poterāt vngi hoc oleo, ne quidem Reges, vt latius probandū est cap8.q.4.

III. OFFICIVM.

8. **T**ertium officium Pontificis erat in controuer-
siis legalibus agere supremū iudicem, & pro-
nunciare vltimā sententiā, cui omnes sub pœna mor-
tis tenebantur obedire seu acquiescere. Ita Iosephus
lib.2.cōtra Apionem, vbi sic habet: *Pontifex ante alios
Sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, diiudicat cōtrouer-
sias, conuictos delitti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit,
tanquam in Deum impius.* Et manifestè colligitur ex eo
*Deut. 17.12. Qui autē superbierit, nolens obedire Sacerdo-
tis imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.*

9. Hic aliqua notanda sunt. Primum est, quod du-
plices fuerint cōtrouersiæ legales in populo Hebreo-
rum: aliæ propriè pertinebant ad Sacerdotes, vt con-
trouersia de lepra: aliæ ad magistratum politicū, vt
controuersia de sanguine. (Deut. 17.8.) Vtræque di-
ctæ sunt legales, duplice de causa. Primò, quia orieban-
tur ex ipsa lege, non satis bene intellecta: priores qui-
dem ex lege ceremoniali, posteriores verò ex judiciali.
(2.Paral.19.10.) Secundò, quia per veram legis inter-
pretationem erant dirimendæ. (Deuter.17.10.)

10. Alterum est, quod in singulis ciuitatibus consti-
tutifuerint inferiores iudices, qui ex officio debebant
huiusmodi controuersias dirimere, vt habetur Deuter.

16. 18. *Indices & magistros constitues in omnibus portis
tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tri-
bus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram
partem declinent.* Et 2.Paral.19.5. *Constituit Indices terra
in*

in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca. Erant autem duo illorum generali Sacerdotes, qui iudicabant de controversiis ceremonialibus; ut de lepra: aliij laici, qui de iudicialibus, ut de sanguine.

11. Tertium est, quod quando inferiores indices nō poterant inter se conuenire, nec controuersias ad se delatas, propter peculiarem aliquā difficultatem, dirimere; necesse fuerit confugere Hierosolymā ad superiores iudices, quibus, tanquā supremus iudex, praeſidebat Pontifex, & illius sententiæ, sub pœna mortis, oportebat, acquiescere, iuxta illud Deut. 17. 8. *Si difficile est ambiguum apud te iudicium esse perspiceris inter sanguinem & sanguinem causam & causam, lepram & lepram; & indicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et mox additur: Qui autē superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Quod intelligitur de summo Sacerdote seu Pontifice, qui aliis Sacerdotibus in iudicio præſidebat, ut clarius exprimitur 2. Paralip. 19. 11. his verbis: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.*

12. Hinc colligimus, apud Hebræos duplex fuisse tribunal & Conciliū: vnum maius; alterū minus. Inter ea fuit multiplex discrimen. Primo, quia maius tantū erat in Ierusalem: minus, in singulis ciuitatibus. Secundo, in maiori diiudicabantur difficiliores controvërsiæ: in minori faciliores. Tertio, in maiori præſidebat Pontifex: non item in minori. Quartò, à minori licebat appellare ad maius: nō cōtra à maiori ad minus. Quinto, in maiori erat septuaginta personæ, præter Pontificem: in minori viginti tres. Sexto, maius vocabatur Sanedrin, vel Synedrion, vel Conciliū Seniorū: minus non item.

13. Vtrumque Concilium habuit suā originem sub Mōse. Et minus quidem institutum est, ex consilio Iethro; maius verò ex mandato Dei. Occasio minoris instituendi describitur Exod. 18.13. his verbis: Altera autem die sedit Mōyses, ut iudicaret populum, qui assistebat Mōysi a mane usque ad vespérā. Quod cum vidisset cognatus eius, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe; cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane usque ad vespérā? Qui respondit Mōses: Venit ad me populus, querens sententiam Dei. Cumq[ue] acciderit eis aliqua disceptatio, veniūt ad me ut iudicē inter eos, & ostendam præcepta Dei & leges. At ille: Non bona, inquit, rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecū est. Ultra vires tuas est negotium; solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque cōsilia, & erit Deus tecū. Pronide de omni plebe viros potentes & timentes Deū, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiā: & cōstitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populū omni tēpore: quidquid autē maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusq[ue] sit tibi partito in alios onere. Quibus auditis, Mōses fecit omnia, quæ ille suggesserat: Et electis viris strenuis de cuncto Israēl, constituit eos principes populi tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui iudicabāt plebem omni tēpore: quidquid autē gravius erat, referebat ad eū, facilitiora tantummodo iudicates.

14. De maioris Cōciliij institutione sic legimus, Num. 11.16. Et dixit Dominus ad Mōsen: Cōgrega mihi septuaginta viros de senibus Israēl, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostiū tabernaculū fæderis, faciesq[ue] ibi stare tecū, ut descendā & loquar tibi. Et auferā de spiritu tuo, tradamq[ue] eis, ut sustentēt tecū onus populi, & nō tu solus graueris. Et infra v. 24. Venit ergo Mōses, & narrauit populo verba Domini, congregas septuaginta viros de senibus Israēl, quos stare fecit circa tabernaculū. Descēditq[ue]

Dominus

Dominus per nubem, & locutus est ad eum auferens de spiritu, quierat in Mose, & dans septuaginta viris. Cumque requiesceret in eis spiritus prophetauerunt, nec ultra cessauerunt.

15. Porro, cum utrumque Concilium, progressu temporis, penè collapsum esset, iterum restitutum ac renouatum fuit à Iosaphat Rege Iuda, ut habetur 2. Paral.

19. 4. his verbis: *Habitauit ergo Iosaphat in Ierusalem rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominū Deum Patrum suorum.*

Constituitque Iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens Iudicibus.

Vnde dete, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.

Hæc omnia intelliguntur de minori Concilio. Iam sequitur de maiori: In Ierusalē quoque constituit Iosaphat Lenitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israël, ut

iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius.

Præcepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omne causam, que venerit ad vos fratrum

vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognitionem, & cognitionē ubiunque questio est de lege, de mandato, de ce-

remoniis, de iustificationibus: ostendit eis, ut non peccent in

Dominum, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros.

Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, que ad Deum pertinent, præsidebit. Vbi vides, Pontificem fuisse

præsidem seu caput totius Concilij seniorum.

16. Igitur, ut verbo reperā, quæ dicta sunt, sub Mose in deserto, res ita gesta est. Primo, solus Moses (qui erat Pótifex extraordinarius) iudicabat omnes omnino cōtrouersias, quæ in populo oriebantur: Deinde, ut hoc onere nō nihil subleuaretur, additi sunt illi tribuni, cētūriones, quinquagenarij, & decani, qui minores causas iudicarent, & grauiores ad illum remitterent. Denique, ad maius solatium, septuaginta seniores electi sunt,

qui

quietiam in causis grauioribus illi assisteret. Post mortem Mosis, cum iam filii Israël venissent in terrā promissionis, duplex tribunal ac indicium constitutū est: Vnum Hierosolymis, pro causis difficilioribus: alterum in singulis ciuitatibus, pro facilitoribus. Hoc posterius respondebat Concilio tribunorum ac Decanorum: illud prius Concilio septuaginta seniorum.

17. Hoc addi potest, aliter in deserto sub Mose, alter in terra promissionis sub aliis Pontificibus, actum esse. Et quidē duplii discrimine; altero ex parte Pontificis; altero ex parte Concilij seniorū. Nam Pontifex post ingressum in terram promissionis, non dirimebat cōtrouersias, nisi ex lege scripta. Omnes enim, quae ad ceremonias & iudicia pertinebant, ex ea dirimi poterant. At Moses, præsertim antequā lex integrè scripta esset, multas dirimebat ex viua Dei voce & oraculo. Cuiusmodi sunt illæ tres. Prima, quid faciendum esset cum iis, qui propter immunditiā legalem non poterat cum aliis celebrare Pascha? (Num. 9.6.) Secunda, qua pœna deberet affici, qui inuentus erat colligere ligna in die Sabbati? (Nu. 15.32.) Tertia, an filiæ Salphaad possent habere hæreditatem inter cognatos Patris sui? (Num. 27.1.) De his cōtrouersiis nihil tūc erat scriptū in lege. Igitur Moses viua voce consuluit Deum & accepto responso, voluntatem Dei executus est. Ac tunc primum hæc omnia in legem scriptam relata sunt.

18. Ex parte Concilij seniorum, erat hoc discrimin. Septuaginta seniores, qui à Mose electi sunt, accepérunt spiritū prophetiæ in ipsa electione. (Num. 11.25.) De aliis, qui postea in illorum locum, per interualla temporis, subrogati sunt, non constat, accepisse. Hoc tamen credibile est, singulari Dei assistentia usos esse, quoties de rebus difficilioribus consultandum esset. Et maximè hanc assistentiam Pontifici, qui omnibus

præsidebat, speciatim concessam fuisse, quando supremi Iudicis officio, in ferenda sententia, fungebatur. De qua re dicam aliquid cap. 8. q. 6. conclus. 4.

IV. OFFICIVM.

19. **Q**varum officiū Pontificis erat, in rebus gerendis, quæ maioris momenti essent, consulere Deum, & ab eo responsū accipere. Hoc officium distinguitur à præcedenti. Nam aliud est, interpretari legem, & ex eius interpretatione controversias legales dirimere: aliud, verò, scilicet sacerdoti à Deo, an hoc vel illud negotium suscipiendum sit? de quo hic agimus. Igitur in Veteri Testamento, si quando cīrca res gerendas aliqua dubitatio maioris momenti oriebatur, recurrendum erat ad Pontificem, qui consulebat Deum, & accepto ab eo responso, docebat alios, quid faciendum esset. Erat autem duplex obligatio in hoc officio. Vnaeorum, qui volebant rem aliquam maioris momenti aggredi. Nam antequam hoc ficerent, tenebantur accedere Pontificem, & ab eo consilium petere. Altera Pontificis, qui debebat rem illam Deo proponere, & ab eo sciscitari, recte, an secus suscipi possit.

20. Vtraque obligatio tollitur ex illo. num. 27. 18. Dixit Dominus ad Mosem: Tolle Iosue filium Nun, virū in quo est spiritus, & pone manū tuam super eum. Qui stabit cor am Eleazar sacerdote & omni multititudine: & dabis ei præcepta cūdīs videntibus, & partē gloria tua, ut audiat cū omnis synagoga filiorū Israēl. Pro hoc, si quid agendū erit, Fleazar Sacerdos consulēt Dominū. Ad verbū eius egredietur & ingredietur ipsi, & omnes filij Israēl cum eo, & tatera multitudo. Hæc posteriora verba huc spectant. Quorum sensus est: Iosue, qui erit Dux populi, non progrēditur cum exercitu, nec suscipiet bellum cum viciniis hostibus, nec ullam rem aliam magni momenti

aggre

aggredietur, nisi ad mādatum & directionem Eleazati Pontificis, qui in huiusmodi casibus, quid faciendum sit, à Deo sciencitabitur, & Iosuā deinde certiorē faciet.

21. Porrò nō solus Iosue, sed alij quoque Principes ac Reges, qui deinceps scūti sunt, hoc præcepto obligabantur. Sēper in negotiis arduis debebant recurrere ad Pontificem, & ex arbitrio illius vel agere quipiam, vel omittere. Et bene cum iis actū est, qui hoc fecerūt; male cum iis, qui neglexerūt. Exempla prioris generis sunt hēc. Primō, David Rex, cū intellexisset insidias sibi parati à Saüle, accessit Abiathar pōtificem & per eū quæsiuit à Deo, an tuto possit esse in vrbe Ceila? & an ciues Ceilitæ essent cū tradituri Saüli? (1. Re. 23. 9.) Secundō, iam David, alio tempore, per eundem Pōtificem consuluit Deū, an deberet persequi Amalecitas, qui spoliauerant, & succéderant vrbum Siceleg. (1. Reg. 30. 6.) Quod autem Davidi familiare fuerit, hoc modo, Deum interrogare, patet 1. Reg. 22. 15, ubi Achimelech Pontifex accusatus apud Saüle, quod Davidi adhæreret, & pro eo Damnum consuluisse, respōdit Regi: *Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?* q.d. səpiùs ante hæc tempora id feci.

22. Exempla posterioris generis sunt hæc. Primō, Iosue & alij Principes filiorum Israël, decepti sunt à Gabaonitis, eo quod fœdus cum illis pacti essent, nō consulto prius per Pontificem Deo. (Iosue 9. 14.) Secundō, Saül elatus victoria, & præfusus suis viribus, cum vellet, inconsulto Deo, Philisthæos persequi, monitus à Pontifice est, ne id faceret. Et cum postea consuluisse Deū, nullum responsū ab eo impetravit. Itaque non potuit ut in victoria, sicut animo destinauerat (1. Reg. 14. 36.) Tertiō, filii Israël pugnaturi cum Beniamitis, consuluerunt quidem Deum per Pontificem, sed tamen, quia magis confidebant suis copiis, quàm Dei oraculo, multe ex iis cæsi ac fugati sunt. (Iud. 20. 22.)

23. Quares, quo modo vel ritu solitus sit Pontifex consulere Deum in huiusmodi casibus? Respondeo. Aliter Moses, aliter alij Pontifices, soliti sunt id facere. Moses, ingressus Tabernaculum fœderis, facie ad faciem cum Deo loquebatur, sicut solet homo cum amico loqui. (Exod. 33. 11.) Alij Pontifices qui postea secuti sunt, induiti Ephod, loquebantur cum Deo, non quidem facie ad faciem, sed aliquo alio peculiari modo, qui tamen apud authores & interpres non satis compertus est, ut latius dicam in sequenti capite quæst. 3.

C A P V T V.

De vestibus & ornatu Pontificis.

1. Euitæ non habebant sacrum ornatum, sed soli Sacerdotes & Pōtifex. Nec tamen vtebantur, nisi ex tempore, quo in Tabernaculo vel Templo ministrabāt. Erant autem 8. ornamenta Pontificis. 1. feminalia linea. 2. vestis linea. 3. balteus seu cingulum. 4. tunica hyacinthina. 5. Ephod seu superhumerale. 6. Rationale iudicij. 7. Cidaris seu tiara. 8. Lamina aurea. De his agitut Exo. 28. per toram. Et quidem quatuor ex iis erant propria Pontifici, ut tunica hyacinthina, Ephod, Rationale, & Lamina aurea: reliqua communia cum aliis Sacerdotibus. De singulis aliquid dicendum est.

2. Igitur Pontifex, cum ad ministrandum accedebat, primo loco induebat feminalia, seu femoralia linea; ad tegendā carnem turpitudinis sua, à renibus usq; ad femora, ut loquitur Scriptura (Exod. 28. 42.) Erant autem hæc feminalia veluti caligę quædam, quas pedibus insertas (vt ait Iosephus) quasi dimidiatas bracqas ad illa constringebat. Aliqui putant ex byssō retorta fuisse confecta. Nobis sufficit, quod à Mose linea appellantur.

3. Post feminalia, proximè induebat tunicam lineam,

quæ

quæ dupliei nomine fuit appellata. Primo, linea stricta Exod. 28.4. Secundo, subucula linea. (Leuit. 8.7.) Inuenio duas causas, cur stricta fuerit appellata. Una est, quia ad cutem stringebatur. Non enim erat laxa & ampla, sed quantitati corporis commensurata. Altera, quia balteo seu singulo stringebatur. (Leuit. 8.7.) Probabile est, fuisse similem tunicae Ioab, de qua, 2. Reg. 20.8. Porro Ioab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui. Nisi quod haec fuerit exterior; illa interior.

4. Hæc vestis linea stringebatur balteo seu cingulo inter umbilicum & pectus. De quo D. Hier. ita scribit ad Fabiolam; *Hoc cingulum, in similitudinem pellis columbri, qui exuit senectutem, sic in rotundum textum est, ut manus longius putes. Textum est autem sub tegmine cocci, purpura hyacintho, & stamine bissyno, ob decorum & fortitudinem; atque ita polymita arte distinctum, ut diuersos flores ac gemmas, artificis manu non temtas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam, inter umbilicum & pectus, hoc stringunt balteo.* Similia habet Ioseph. lib. 3. antiq. c. 8.

5. Post balteum sequebatur tunica Hyacinthina, quæ erat laxa per modum vestis talatis. In eius similitudine in superiori per circuitum pendebant alternatim mala punica & tintinnabula aurea, ut ex eorum sonitu perciperetur ingressus & egressus Pontificis, quando intrabat vel exhibat Sanctuarium. (Exod. 28.35.) Dicebantur autem mala punica, non quod reuera essent, sed quia ex Hyacintho, purpura & cocco bis tintecto, confecta erant instar malorum punicorum. (Exod. 28.33.)

6. Super tunicam Hyacinthinam, erat Ephod, seu superhumeralc, quod tegebat humeros & anteriorē partem usque ad cingulum. Erat autem contextum ex auro, Hyacintho, purpura, cocco bis tintecto, & bysso retorta. (Exod. 28.6.) In utroque latere versus humeros habebat duos lapides onychinos, auro inclusos: unum à dextris,

alte

alterum à sinistris : in quibus sculpta erant nomina duodecim filiorum Israël : sex nomina in uno lapide, & sex in altero, iuxta ordinem nativitatis eorum. (Exo. 28. 9.) 7. In anterieri parte superhumeralis, ad pectus Pontificis, ligabatur Rationale iudicij. Hebrei vocant Hosen, id est, pectorale: *Gεντικόν νέλ λογέον* id est, rationale. Conficiebatur autem ex eadem materia, qua Ephod, nempe ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta. Figura, quadrangulum. densitate, duplex ad Ephod relatum: longitudine & latitudine, mensura palmi. (Exo. 28. 16.) In hoc rationali erant 12. lapides pretiosi, inclusi auro & distincti per quatuor ordines. in quibus etiam sculpta erant duodecim nomina filiorum Israël. (ibid. v. 17.) Atque ita confectum & exornatum, catenis aureis & fasciis tam firmiter affigebatur superhumerali, ut à se inuicem non potuerint separari. (ibidem. vers. 28.) Porro in rationali posita erat *Doctrina & Veritas*, super pectus Pontificis (vers. 30.) *Hebraicè, Vrim & Thumim*.

8. In capite erat Cidaris seu Tiara, id est, mitra quædam ex bysso confecta, cui affigebatur lamina aurea, supra frontem Pontificis, cum hac inscriptio-ne, *Sanctum Domino*. (Exod. 28. 36.) Sic enim loquitur textus: *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculps operे cœlatoris, Sanctum Domino. Ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super Tiaram, imminens fronti Pontificis*,

8. Hæc breuiter dicta sint de ornatu Pontificis. Tria super sunt explicanda. Primum, quid significauerint ornamenta Pontificis, quæ hactenus enumeraui. Alterum, an solus Pontifex usus fuerit Ephod seu superhumerali. Tertium, in quem suuem usus fuerit. Est ergo,

Q V Æ S T I O I.

Quid significauerint ornamenta Pontificis.

10. Iuuas Thomas in 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 8.
Dadfert duas significationes: vnam literalem; alteram mysticam. Secundum literam, inquit, ornamenta Pontificis designabant dispositionem huius mundi, hoc modo. 1. Feminalia linea, & vestis linea, significabant terram, ex qua linum nascitur. 2. Balteus, Oceanum, qui cingit terram. 3. Tunica hyacinthina, aëre, qui hyacinthini coloris est. 4. Tintinnabula illius tunicae, tonitrua aëris. 5. Mala punica, coruscationes, quæ fiunt in aëre. 6. Ephod seu superhumeral, cœlum syderium. 7. Duo onychini, duo hemisphærías vel certè, Solem & Lunam. 8. Duodecim gemmæ in pectore, duodecim signa Zodiaci. 9. Tiara, cœlum empyreum.
10. Lamina aurea, Deum omnibus præsidentem.
11. At mysticè designabant virtutes, quæ debent esse in Pontifice. Ac primò, feminalia linea significabat castitatem: vestis linea, puritatem vitæ: cingulū, discretionem: tunica hyacinthina, cœlestem cōversationem: tintinnabula aurea, sanam doctrinam: mala punica bonos mores: superhumeral, sufferentiam infirmitatum populi: rationale in pectore cum nominibus filiorum Israël, charitatē & sollicitudinē pro fidelibus: Tiara in capite, rectā intentionē: Lamina aurea in frōte, ingenij memoriam ac recordationē Dei. Hæc ex D. Thoma.
12. Alij non male de Christo interpretantur. Nam ille fuit verus ac primarius Pontifex, cuius typum gesserant Aaron & successores eius. In illo perfectissimè fuerunt omnes virtutes, per ornamenta Pontificalia designatae. Ille suis humeris portauit duas gemmas, id est, pretium redemptionis duorum populorum, Iudæorum

rum scilicet & Gentilium. Ille in suo pectore insculpta habuit nomina electorum. Ille, quacunque incessit, ex strepitu prædicationis Euangelij, & suauissimo virtutum odore percipi potuit ac obseruari.

Q V Æ S T I O . II.

An solus Pontifex usus Fuerit Ephod seu superhumerales?

2. **R**atio dubitandi est, quia legimus, alios quoque præter Pontificem, usos esse, nempe Leuitas, Sacerdotes, Reges. Nā de Samuele, qui erat Leuita, sic habemus. 1. Reg. 2. 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer, accinctus Ephod lineo. De Sacerdotibus, 1. Reg. 22. 18. Doeg Idumeus irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinq̄ viros vestitos Ephod lineo. De Davide Rege, 2. Reg. 6. 14. David saltabat totis viribus ante Dominum, accinctus Ephod lineo.

14. Respondeo. Duplex fuit Ephod seu supethumerales in veteri Testamento, Vnum contextum ex auro, purpura, hyacintho, coco bis tincto, & bysso retorta. Alterum simplex, lineum, candidum. Priori solus Pontifex vtebatur; posteriori, alij. Ita D. Hieron. in epistol. 127. ad fabiolam, & epist. 130. ad Marcellam, Abulensis lib. 1. Reg. can. 22. quæst. 27. Ribera lib. 3. de templo, cap. 10. & alij passim.

Q V Æ S T I O . III.

In quem finem Solitus fit Pontifex gestare Ephod?

15. **E**x Scriptura constat in tribus casibus solitum esse gestare. Primò, in consecratione. Quando

enim mortuo Pontifice , alius subrogabatur , necesse erat solenni ritu eum consecrari ; quod fiebat , assumptione habens Pontificalis , & unctione capitis . (Exodus 29.29.) Secundò , in ingressu Sanctuarij , quando sacrificabat & deprecabatur pro populo . (Exo. 28.29.) Tertiò , quando consulebat Deum in rebus dubiis . De hoc casu potissimum h̄ic agimus .

16. Igitur norandum est , in veteri testamento fuisse tres modos consulendi Deum in rebus dubiis , & accipiendi ab eo responsa . 1. Per visiones & somnia . 2. Per Sacerdotes . 3. Per Prophetas . Hoc colligitur ex illo , 1. Reg. 28.6. *Consuluit Saüel Dominum , & respondit illi , neque per somnia , neque per Sacerdotes , neque per Prophetas .*

17. Modus consulendi per Sacerdotes (de quo solo h̄ic agimus) sic habebat : Rex aut princeps , aut populus Israëlitarum , si quando dubitabant , quid in rebus magni momenti agendum sibi esset , inbebantur adire Pontificem seu summum Sacerdotem , qui induitus Ephod , consulebat pro ipsis Deum . (Num. 27.21.) Eius rei varia exempla allata sunt capite præcedenti . Nihilominus supersunt quædam dubia , quæ hoc loco difficulti possunt . Ac primò quæritur , an is , qui per Pontificem consulebat Deum , debuerit in propria persona præsens esset Pontifici ? *Respondeo :* Tametsi sæpius id fieret , non tamen necesse erat fieri . Nam sicut absens poterat agere cum Propheta , sic etiam cum Pontifice . Secundò , an immediate sūam quæstionem proposuerit Pontifici , an Deo coram Pontifice ? *Respondeo :* Immediate Pontifici , & Pontifex Deo . Ita plures sentiunt . Tertiò , an hæc propositio debuerit fieri coram Arca ? *Respondeo :* Fiebat coram arca , si adesset ; secus , si abesset . Quartò , quomodo Deus solitus sit dare responsa Pontifici interroganti ? *Respondeo :* Authores dissentunt . Aliqui putant , per Angelum voce humana loquen-

loquentem. Alij , per occultā Spiritus sancti reuelatio-
nē. Alij per schedulā. Alij , inter quos Iosephus , per
splendorē gemmarum seu lapidū, qui erant in Ratio-
nali supra pectus Pontificis. Hoc sic explicant. Si lapi-
des seu gemmæ plus solito splendescerent, signum erat,
foeciter successorum , de quo quærebatur : si minus
solito, male successurū: si nec plus, nec minus, sed more
naturali splendescerent , signum erat, Deum non ve-
le respondere. Et sic putant accidisse , quando Saül
consuluit Deum per Sacerdotem.

18. Ultimò quæri potest, quando cessauerit hic mo-
dus consulendi Deum per Pontificem , & accipiendi
ab eo responsa ? Abulensis putat cessasse eo tempore,
quod inter Alexandrum Magnum & Machabæos in-
tercessit. Genebrardus, eo tempore, quo Iosas Rex oc-
cidit optimum Pontificem Zacharium. Alij denique,
ab initio captiuitatis Babylonicæ , quando sacrificium
cessauit. Nam verisimile est , Iudeos propter sua pec-
cata , uno eodemque tempore, & oraculo, & sacrificio
spoliatos fuisse , quod contigit ad initium captiuitatis
Babylonicæ . Quo videtur spectare illud Osee 3.4. Dies
multos se debunt filij Israël sine Rege , & sine Principe, &
sine sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod.

CAPVT VI.

De Reditibus Pontificis

I. **S**icut Deus ex XII. Tribubus Israël elegit vnam
pro diuino seruicio , ut supra dictum est, nem-
pe tribum Leui , in qua erant Leuitæ , Sacerdotes &
Pontifex ; sic eandem tribum, tanquam sibi peculiati-
ter mancipatam , voluit in suam curam suscipere, &
de certis redditibus paternè illi prouidere, iuxta illud,
Num. 18.20. *Dixit Dominus ad Aaron In terra eorum ni-*

nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israël. Hinc etiam postea factum est, ut in diuisione terrae promissionis, singulæ tribus acceperint suam portionem, excepta tribu Leui, quæ per reliquas tribus dispergebatur.

2. Porro Deus, in stipendum pro ministerio, libera-
liter illis concessit, quæ sequuntur. Primò, ut haberent,
48. urbes cum agris suis ad pastum iumentorum. Secun-
dò, ut aliarum tribuum decimis aleretur. Tertiò, ut ac-
ciperent primitias. Quartò, ut haberet, quæ offereban-
tur Deo. De his singulis breuiter agendum est. Ac

I. DE V R B I B V S.

3. **D**E Vrbibus sic legimus, Numer. 35.1. *Hæc quo-
que locutus est Dominus ad Mosen in campis tribus
Moab supra Iordanem contra Iericho: Præcipe filiis Israël,
ut dent Leuitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, &
suburbana earum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneat, &
suburbana sint pecoribus ac iumentis.* Et Iosue 21.1. *Acces-
serunt Principes familiarum Leui ad Eleazarum Sacer-
dotem, & Iosue filium Nun, & dixerunt: Dominus præcepit
per manum Mosis, ut darentur nobis urbes ad habitandum,
& suburbana earum ad alenda iumenta.* Et infra v.39. Ita-
que ciuitates uniuersæ Leuitarum in medio possessionis fi-
liorum Israël fuerunt quadraginta octo cum suburbanis
suis, singulæ per familias distributæ. Hæc autem erant
earum nomina.

1. Hebron	8. Ieta
2. Lobna	9. Bethsames
3. Iether	10. Gabaon
4. Estemo	11. Gabae
5. Holon	12. Anatboih
6. Dabir	13. Almon
7. Ain	14. Sichem

15. Gazer	33. Rohob
16. Cibsam	34. Cedes
17. Bethoron	35. Hammoth-Dor
18. Eltheco	36. Carthan
19. Gabathon	37. Iecnan
20. Aialon	38. Cartha
21. Gethremmon	39. Damma
22. Thanach	40. Naalol
23. Gethremmon	41. Bosor
24. Gaulon	42. Iaser
25. Bosra	43. Iethson
26. Cesion	44. Mephaad
27. Dabereth	45. Ramod in Galaad
28. Iaramoth	46. Manaim
29. Engannim	47. Hesebon
30. Masat	48. Iazer
31. Abdon	
32. Helcath	

4. Ex his 48. ciuitatibus, tredecim primæ datæ sunt Sacerdotibus; reliquæ Leuitis (Iosuæ 21.) Porro ex omnibus, sex erant ciuitates refugij, quarū nomina recentur, Iosue 20.7. Sunt autē hæ. 1. Cedes in Nephthali. 2. Sichem in Ephraim. 3. Hebron in Iuda. 4. Bosor in Ruben. 5. Ramoth in Galaad. 6. Gaulon in Manasse. Tres primæ citra, reliquæ trās Iordanem. (Iosue 21.7.) Omnes æquali spacio inter se distabant. (Deut. 19.7.) Omnes sitæ erant in montibus, ut eminus videri possent, excepta Bosor, quæ sola erat in plano, sed tamen patente loco & conspicuo. (Iosue 21.8.)

I I. De Decimis.

5. **D**VO certa sunt; duo cōtrouersa. Primo certum est, Leuitas accepisse decimas fructuū, pecorū & iumentorum à filiis Israël, id est, ab aliis tribubus, ut

patet ex illo Nûm. 18. 21. *Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in Tabernaculo fœderis.* Secundò certū est. Levitas ex his decimis, quas accipiebant ab aliis tribubus iterum dedisse decimas summo Sacerdoti seu Pontifici, id est, dedisse decimas decimarum, ut patet ex eodem cap. v. 26. *Præcipe Leuitis, atque denuncia; Cum acceperitis à filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerite Domino, id est, decimam partem decima, ut reputetur vobis in oblationem primitiuorum: iam de arcis, qui in detorcularibus, & uniuersis, quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron Sacerdoti.*

6. Prior controuersia est, an Levitæ cōmuniter dicti (id est, tota tribus Leui, ut cōpleteatur Levitas propriè dictos, Sacerdotes & Pontificē) an potius Levitæ propriè dicti, quatenus distinguuntur à Sacerdotibus & Pontifice, acceperint decimas ab aliis tribubus filiorū Israël? Abulensis & quidam alij intelligunt de Leuitis propriè dictis. Alij rectius cum Iosepho de Leuitis cōmuniter dictis, id est, de tota tribu Leui. Quod colligitur ex illo, 2. Eisdæ 10. 37. *Ipsi Leuitæ decimas accipiēt ex omnibus ciuitatibus operū nostrorum. Erit autē Sacerdos filius Aaron cū Leuitis in decimis Leuitarū, & Leuitæ offeret decimā partē decima sue in domo Dei nostri.* Igitur Levitæ & sacerdotes simul accipiebant decimas a filiis Israël; & postea Levitæ ex suis decimis dabant alias decimas facetdoti seu Pontifici. Hinc iam oritur.

7. Posterior cōtrouersia, an decimæ decimarum, quæ dabātur à Leuitis propriè dictis, datae fuerint soli Pontifici seu summo Sacerdoti, an generatim omnibus Sacerdotibus. Liranus & Abulensis putant soli Pontifici fuisse datas, ex illo Num. 18. 29. *Date Aaron Sacerdoti. Iosephus, non soli Pontifici, sed generatim omnibus Sacerdotibus. Alij denique, soli quidem Pontifici das*

tas fuisse, sed ad custodiendū & distribuendum Sacerdotibus iuxta illud, Num. 18. 8. *Locutus est Dominus ad Aaron, Ecce dedi tibi custodiā primitiarum mearum, id est, ut custodias, & distribuas filiis tuis Sacerdotibus: sicut mox sequitur; Omnia, quae sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima semperrena.* Quo etiā spectat illud, 2. Esdræ 10. 38. *Leuitæ offeret decimā partē decime suæ in domo Dei nostri ad gazo-phylaciū in domū thesauri, id est, ut custodiatur in gazo-phylacio, & inde Sacerdotib. suo tépore distribuatur.*

8. Igitur, summa omnium hæc est. Tribus Leui, quæ tota erat diuino seruitio cōsecrata, accipiebat decimas ab aliis tribubus, quæ erant laicæ. Porro cum in tribu Leui essent tria hominum genera, nempe, Leuitæ propriæ dicti, Sacerdotes, & Pontifex; Leuitæ ex suis decimis, dabant iterū decimas Pontifici & Sacerdotibus, quia hi in altiori gradu & ordine seruiebāt Deo, quam Leuitæ; ac proinde sicut plus honoris, sic etiā plus bonorum temporaliū pro sustentatione illis debebatur.

9. Pro maiori explicatione eorum, quæ dicta sunt, notandum est, apud Hebræos fuisse tria decimatum genera. Primū earū, quas cæteræ tribus singulis annis tenebant dare tribui Leuitæ, pro sustentatione. De his iam dictum est. Alterum earum, quas singuli patresfamilias debebant quotannis apud se seruare, & postea cum Leuitis comedere in loco, vbi erat Tabernaculū vel templū, idque tribus anni temporibus, nempe in Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum. De his intelligendum est illud Deut. 14. 22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quæ elegerit, ut in eo nomine illius inuocetur, &c.* Tertium earum, quas tertio anno singuli separare debebāt in propriis domibus, & cum Leuitis, peregrinis, pupil-

lis & viduis communicare , iuxta illud Deut. 14. 28.
Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ na-
scuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas. Venientq;
Leuitæ, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum!
& peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas
sunt, & comedent & saturabuntur; ut benedicat tibi Domi-
nus Deus tuus. Et Deut. 26.12. Quando compleueris deci-
mam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio
dabis Leuitæ, & aduena, & pupillo, & vidua, ut comedant
intra portas tuas, & saturentur. Igitur Leuitæ; tametsi
omnium harum decimarum essent aliquo modo par-
ticipes; tamen ex primo genere potissimum sustenba-
bantur, ut dictum est.

III. De primitiis & Primogenitis.

10. **S**oli Sacerdotes & Pontifex, non autem Leuitæ propriè dicti, accipiebant primitias & primogenita à filiis Istraël. Porro primitiae soluebantur ter in anno, ut notat Lyranus & alij. Primo, in Paschate de nouis spicis. Secundo, in Pentecoste de nouis panibus. Tertio, in Septembri in festo Tabernaculorum, de nouis fructibus. Nam illis tribus anni temporibus, tenebantur omnes mares venire ad locum, quem elegerat Dominus. (Deut. 16.16.)

11. De primitiis spicarum, quæ in Paschate offerebantur, intelligitur illud Leuit. 23.10. Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis; & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestre, ad Sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis altero die Sabbati, & sanctificabit illum. Ritus autem offerendi describitur Leuit. 2.14. his verbis; Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra oleum,

oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.

12. De primitiis panum, quæ offerebantur in Pentecoste, intelligitur illud Leuit. 23. 15. Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulisti manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletioris, hebdomada septima, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similibus fermentatae, quos coquitis in primitias Domini, &c.

13. De primitiis nouorum fructuum, quæ offerebantur in Septembri, intelligitur illud, Num. 18. 13. Vniuersa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescentur eis. Et Deut. 18. 4. Dabunt Sacerdoti primitias frumenti, vini, & olei. Et Deut. 26. 2. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, accedesque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, &c.

14. Est autem magna differentia inter hæc tria genera primitiarum. Primo, quia primitiae in paschate erant ex solis spicis: in Pentecoste, ex solis panibus: in Septembri, ex variis terræ fructibus. Secundo, primitiae spicarū dabantur in ipsa collectione fructuum tertæ, nec ulli licebat quidquam comedere de nonis fructibus, antequam primitiae spicarum Deo oblatæ essent. (Leuit. 23. 14.) At primitiae in Pentecoste & Septembri offerebantur ex fructibus iam collectis, & domi asservatis. D. Aug. quæst. 32. super Numeros. Tertio, primitiae panū & fructuum cedebant integrè in usum Sacerdotum; primitiae vero spicarum non integrè: Nam unus manipulus spicarum consumebatur per modum sacrificij, reliqui comedebantur à Sacerdotibus.

15. Porro, sicut primitiae, sic etiam primogenita dabantur Pontifici & Sacerdotibus. (Exo. 13. 2. & Num. 3. 13.)

Erant

Erant autem tria genera primogenitorum: alia hominum; alia pecorum mundorum; alia immundorum. Igitur, singula primogenita primi & tertij generis redimebantur pretio quinque sacerdotum, quod dabatur Sacerdotibus; primogenita secundi generis per se illis offerebantur. (Num. 18. 15.)

IV. De Oblatis.

16. Per Oblata, generatim loquendo, intelliguntur peccata, quae a filiis Israël offerebantur Deo in usum Sacerdotum. Erant autem triplicia. Nam quædam ex præcepto offerebantur, ut decimæ, primitiæ, & primogenita, de quibus iam dictum est. Alia sponte, & ex mera deuotione: alia denique ex voto. De hoc duplici genere multa habentur, Leuit. 22. 18. Leuit. 23. 38. Num. 15. 3. & alibi. Hæc iterum erant varia. Nā quilibet, vel sponte, vel ex toto poterat offerre hostias, libamēta, panes, pecuniam, & quæ similia sunt. Id autem potissimum fiebat in tribus anni temporibus, ut supra dictum est, nempe in Paschate, Pentecoste, & festo Tabernaculorum. Tunc enim tenebantur omnes venire ad locum, ubi erat Templum vel Arca propitiatorij, (Deut. 16. 16.)

17. Ex dictis colligi potest, quām diuites fuerint Sacerdotes in veteri Testamēto, præ aliis omnibus. Nam primum accipiebat decimas à duodecim tribubus Israël. Vbi notandum est, præter tribum Leui fuisse duodecim tribus filiorum Israël, nempe tribum Ruben, Simeon, Iuda, Zabulon, Issachar, Dan, Gad, Aser, Nephthali, Ephraim, Manasse, Beniamin. Igitur singulæ haec tribus, dividabant sua bona in 10. partes, & unam dabant tribui Leui, reliquis nouem sibi reseruatis. Quo fit, ut tribus Leui multo fuerit ditionis, quām cæteræ. Nam singulæ cæterarum, habebant tantum nouem partes; Tribus autem Leui, duodecim. Præter has decimas, quæ com-

communes erant omnibus in tribu Leui, Sacerdotes iterum accipiebant decimas deciminarum à Leuitis; & sic non solum erant ditiores, quam homines aliarum tribuum, sed etiam, quam Leuitæ. Deinde, accedebant primitiae, primogenita, oblata; quæ si omnia computentur, in magnum thesaurum excrescere necesse erat redditus & possessiones sacerdotiales.

C A P V T V I I .

De auctoritate Pontificis.

1. **D**lus multis modis in veteri Testamento voluit Pontifici astruere & conciliare auctoritatem apud populum. Primo, publica & solenni consecratione, quæ præsente populo durabat per 7. dies. Secundo, vocatione sacri olei, quod in nullum usum profanum adhiberi poterat. Tertio, ornatu Pontificali, qui & gemmis pretiosis, & aurea lamina, & tintinnabulis aureis, & malis punicis, omnem alium ornatum etiam regium, longè superabat. Quartò, magna copia reddituum annuorum, quæ quidem apud illum populum magni erat momenti. Quinto, frequeti colloquio cū Deo, præsertim in rebus dubiis proponendis. Sexto, variis illustribus miraculis. Ex his aliqua recensebo.

2. Primum contigit in primo sacrificio, quod Aaron obtulit in suo Pontificatu. Tunc enim ignis de cœlo descendit, qui coram populo holocaustum deuorauit. Quo miraculo ostendit Deus se approbare sacerdotium seu Pontificatum Aaronis, Leuit. 9. 24. *Apparuitque gloria Domini omnimultitudini: Et ecce egressus ignis à Domino, deuorauit holocaustum, & adipes, qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.* vide simile exemplum 3. Reg. 18.
3. Secundum contigit in seditione Core, Dathan & Abiron,

Abiron, qui cum suis sociis viui à terra absorpti sunt, eo quod rebellionem excitassent contra Primatum Mosis & Aaronis. Num. 16. 1. *Ecce autem Core, & Dathan atque Abiron surrexerunt contra Mosen, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore Concilij per nomina vocabantur.* Cumque stetissent aduersum Mosen & Aaron, dixerunt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, Cur eleuamini super populum Domini?* Et infra v. 31. *Confestim dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum.*

4. Tertium contigit in seditione populi, qui partim incendio periit, partim per intercessionem Aaronis saluatus est. Num. 16. 41. *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israël contra Mosen & Aaron, sequenti die dicens: Vos interfecistis populum Domini.* Cumque oriretur seditio, & tumultus increaseret: *Moses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis.* Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini. *Dixitque Dominus ad Mosen.* Recedito de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque iacerent in terra, dixit Moses ad Aaron: *Tolle thuribulum & hausto igne de altari, mitte incensum de super, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga deseuit.* Quod cum fecisset Aaron, & cucurisset ad medium multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymia-
ma, & stans inter mortuos ac viuentes, pro populo depre-
catus est, & plaga cessauit. Fuerunt autem, qui percussi sunt, 14000 hominum, absque his, qui perierunt in seditione Core.

5. Quartum contigit circa virgam Aaronis, hoc modo. Cum populus sape murmuraret contra Aaronem Pontificem, & aliæ tribus filiorum Israël ægrè ferrent, quod

quod ex sola tribu Leui assumeretur Pontifex, qui aliis omnibus imperaret; voluit Deus in posterum praecavere huiusmodi murmura, & manifesto signo declarare, Aaronem legitimè à se electum esse, cui omnes, tanquam summo Sacerdoti, deberent obsequi. Itaque mandauit Mosi, ut acciperet duodecim virgas à duodecim tribubus Israël, in quibus singulis notata essent singula nomina Tribuum Israël. Has cum virga Aaronis poneret in Tabernaculo testimonij, & sequenti die iterum produceret. Tunc enim fore, ut una ex omnibus miraculosè floraret, & is deinceps, cuius virga flouisset, tanquam legitimus Pontifex haberetur. Factum est. Sequenti die, sola Virga Aaronis inuenta est germinasse, & turgentibus gemmis emisisse flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati visebantur. Ex quo omnes manifestè collegerunt, deinceps foli Aaroni, tanquam Pontifici à Deo electo & designato, non autem aliarum tribuū Principibus, in rebus ad Deum spectantibus, obtemperandum esse. Et ne posteros id lateret, mādauit Deus, ut virga Aaronis, ad perpetuam rei memoriam, in Arca conseruaretur. Hæc omnia habentur Num. 17. per totum.

CAPVT VIII.

De Comparatione Pontificis cum Rege.

Constat, magnam fuisse dignitatem & eminentiam utriusque tam Regis, quam Pontificis, in populo Hebræorum. Si tamen comparatio instituenda est, maior fuit Pontificis, quam Regis. Nam Pontifex multis titulis præcelluit Regi. His potissimum: Primo, originis & antiquitatis. Secundo, familiæ. Tertio, inaugurationis. Quartò,unctionis. Quintò, ornatus. Sextò, officij. Septimò, exemptionis. Octauò, auctoritatis

ritatis apud populum. De singulis per singulas quæstiones agendum est. Sit ergo.

Q V A E S T I O I .

An Pontifex Præcelluerit Regi titulo originis & antiquitatis.

1. **V**TROQUE præcelluit. Primum quidem , titulo originis. Nam Pontificatus habuit originem suam à solo Deo ; regnum ex importunitate populi. Deus enim ex se,& quasi proprio motu instituit Aarōnem Pontificem in Ecclesia Hebræorum , cum perpetuo iure successionis. (Heb. 5. 4.) At Regem non tam ipse instituit , quam petenti & murmuranti populo , in pœnam ipsorum , concessit (1. Reg. 8.4.) Et ægrè concessit. Quod ex triplici capite colligi potest, Primò, quia conatus est illis persuadere, ne peteret. (ibi. v. 11.) Secundò, quia prædixit fore, ut aliquando pœnitentia ipsos suæ petitionis. (ibi.v.18.) Tertiò, quia miraculo ostendit , petitionem sibi dispiacere. (1.Reg.12. 16.) Sic enim legimus: *Dixit Samuel ad uniuersum Israél: State & videte rem istam grandem, quam facturum est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces & pluias: & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis, in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluias in illa die. Et timuit omnis populus nimis dominum & Samuelem, & dixit uniuersus populus ad Samuelem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur, Addidimus enim uniuersis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis Regem.*

2. Præcelluit etiam in titulo antiquitatis. Nam Primus

Pontifex fuit Aaron, qui tempore Mosis à Deo specia-
tim electus, & à Moše cōsecratus est, statim post egressum
populi ex Ægypto. (Leuit. 8. 1.) At primus Rex
fuit Saül, quem constat amplius, quàm 400. annis post
Mosen, secessum esse. Vixit enim tempore Samuelis, à
quo etiam vñctus est. Porrò inter Mosen & Samuelem
intercesserunt hi iudices, Iosue, Othoniel, Aod, Barac,
Gedcon, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Ahia-
lon, Abdon, Sampson, Heli.

QVÆSTIO III.

An Pontifex præcelluerit Regi titulo familiæ.

3. **C**ertum est præcelluisse. Primò, quia Pōtifex as-
sumebatur ex sola tribu Leui, quæ quod spe-
ciatiū consecrata esset diuino cultui, habebatur inter
omnes tribus honoratissima. At Rex, ex qualibet tribu
assumi poterat. Saül fuit ex tribu Bējamin; Dauid cum
posterioris, ex tribu Iuda; Ieroboā ex tribu Ephraim; Baa-
sa ex tribu Issachar; & sic deinceps. Porrò, tanta erat
præcellentia tribus Leuiticæ præ aliis, vt Pontifex non
posset accipere vxorē ex aliis tribubus, eo quod essent
infra statum & dignitatem connubij Pontificalis, vt pa-
tet Leuit. 21. 14. vbi de Pōtifice sic dicitur: *Accipiet-puel-
lam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui vulgo
gentis sua, id est, Accipiet vxores ex tribu Leui, non ex
aliis tribubus. Nam aliae tribus sunt quasi vulgus, si co-
ferantur cum Tribu Leui. Non decet autem, vt Prin-
cipes vel Magnates accipient vxores ex communi ho-
minum plebe. Erat tamen aliqua dispensatio in hac re.
Nam Pōtifex poterat accipere vxorem ex familia Re-
gia, si vellet. Hoc fecit Ioiada Pontifex, qui habuit Io-
sabeth filiam Regis Ioram, & sororē Regis Ochozīæ.*

(2. Paral. 22. 11.) Erat autē illa dispensatio concessa propter has causas. Primò, quia dignitas Regia proximè accedebat ad Pontificalem. Secundò, quia facilius poterat seruari pax in cōmuni populo, & si Reges & Pontifices per connubia inter se conspirarent. Tertiò, minus erat periculum idolatriæ. Nam Reges, qui Pontifici coniuncti erant, non facile recedebant à cultu & religione veri Dei. Vide Lyranum in cap. vltimum Numerorum.

4. Secundò, Pontifex non assumebatur ex qualibet familia tribus Leuiticæ, sed ex sola familia Aaronis: nec quilibet promiscuè ex familia Aaronis, sed primogenitus, carens omni macula & deformitate. (Leuit. 21. 17.) At in Regibus non habebatur ratio primogeniturae, ut rectè notauit Pineda lib. 2. de rebus Salomonis cap. 1. Certè Dauid, Salomon, & plures alij non fuerunt primogeniti. Multò minus habebatur ratio maculæ aut deformitatis. Nusquā legimus, aliquē propter maculā aut deformitatem à regno exclusum esse. Aliud est de lepra. Ozias, propter lepram, quia morbus contagiosus est, ab aliorum contubernio fuit merito segregatus. (2. Paral. 26. 21.)

5. Tertiò, Hoc etiā facit ad prærogatiuā & honestatē familiæ Pontificialis, quod nō licuerit Pōtifici in uxore accipere viduā, aut repudiatam, aut sordidā, aut meretricē, sed tantū virginē de populo suo, iuxta illud Leuit. 21. 13. *Virginem ducet uxorem. Viduam autem & repudiataā, & sordidam, atq; meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo.* Hoc in Regibus nō seruabatur. Dauid accepit viduam & adulterā. Vidua erat Abigail; adultera, Befabée. Et ex hoc capite, nō solū Regibus, sed etiam Sacerdotibus præcellebat Pontifex. Nam & Sacerdotes poterant accipere viduas, quod Pontifici, propter dignitatem status, non licebat.

Q V Æ S T I O III.

*An Pontifex præcelluerit Regi, titulo
inaugurationis?*

6. **N**emo dubitat. Nam Pontificis inaugurationis, ex speciali Dei cura & prouidentia, fiebat cum solenni pompa ac ceremonia, præsente vniuerso populo; & durabat totis septem diebus, ut supra c. 3. explicatū est. De Regis inauguratione nihil certū aut stabile erat statutū à Deo. Legimus quidem aliquos fuisse ynctos; alios fausta populi acclamatione assumptos; alios per Pontificem introductos: sed nusquam legimus, mandatum fuisse à Deo, vt omnes certo ritu ac ceremonia inaugurateantur. Imò constat, plerosque sine vlla solennitate, vel solo titulo successionis accepisse regnum; vel per vim & fraudem inuasisse. Vncti sunt Saül, Dauid, Salomon, Ioas, Iehu: acclamatum, à populo, Salomoni & quibusdam aliis; per Pontificem introductus Ioas: per vim & fraudem ingressi Baaza, Zambri, Sellum, Manahem, Phacee, Osee, & plures alij.

7. Nullius inaugurationis fuit tam solennis, quam Salomonis, quæ describitur 3. Reg. 1. 38. his verbis; *Descendit ergo Sadoc Sacerdos & Nathan Propheta, & Bananias filius Ioiade, & Cerethi & Phelethi: & impôsuerunt Salomonē supermula Regis Dauid, & adduxerunt eū in Gihon. Sumpsitq; Sadoc sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & vnxit Salomonē. Et cecinerunt buccinæ, & dixit omnis populus, Vnuat Rex Salomon. Et ascendit vniuersa multitudo post eū, & populus canētium tibiis, & lerantiū gaudio magno, & insonuit terra aclamore eorum.* Sed tamen neque hæc solennitas erat à Deo præscripta, nec ab omnibus Regibus seruata, nec comparanda cum solennitate inaugurationis

Pontificum. Primo, quia inauguratione Pontificum durabat septem diebus. Secundo, fiebat coram Tabernaculo & Sanctuario. Tertio, constabat pluribus ritibus ac ceremoniis. Quarto, quotidie triplici sacrificio, per septem dies, honorabatur. Nihil tale apud Reges.

Q V A E S T I O I V .

An Pontifex præcelluerit Regi titulo Unctionis.

8. **O**mnia præcelluit. Et quidem tripliciter. Primo, quia omnes Pontifices ex præcepto Dei vngabantur, & nisi uncti essent, non admittebantur ad officium Pontificale (Exod. 29. & Leuit. 8.) At nullum extabat præceptum Dei, quo omnes Reges adunctionem astringerentur. Nec legimus unctos esse, nisi paucos. Ex Regibus Iuda, uncti sunt Saül, Dauid, Salomo, Iosas: ex Regibus Israël, Iehu. De cæteris, an uncti sunt, non constat. Et verisimile est, plerosque non esse.

9. Secundo, Pontifices vngabantur publicè coram populo apud Tabernaculum Domini. At Reges, si qui vngabantur, non omnes publicè vngabantur. Certè Saül, Dauid, Iehu, priuatim uncti sunt. Saül à Samuele, in extrema parte ciuitatis, nullo alio præsente. (1. Reg. 9. 27.) Dauid ab eodem Samuele, in domo patris sui, in Bethlehem. (1. Reg. 16. 13.) Iehu à filio Prophetæ, in cubiculo seorsim. (4. Reg. 9. 6.)

10. Tertio, quod præcipuum est, Pontifices vngabantur oleo sancto, id est, vnguento composito ex oleo, myrra, cinnamomo, calamo, casia. (Exo. 30. 23.) At Reges oleo simplici & cōmuni. Quod, tametsi aliqui negent, verissimum tamen est. Et tribus argumentis probari potest. Primum sumitur ex lege Dei. Nam Deus

Deus præcepérat, vt nullus hominum vngeleretur oleo sancto, nisi Pontifex & Sacerdotes. Sic enim legimus, Exod. 30.30. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisq; eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoq; Israël dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis nō vngetur ex eo, & iuxta cōpositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatū est, & sanctū erit vobis. Homo, quicunque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo. Ex quo præcepto, duo colligimus. 1. quod nemo præter Aarōnem & filios eius, id est, præter Pontificem & Sacerdotes, potuerit vngi oleo sancto, quod ex variis aromatibus confectum erat. 2. quod nulli licuerit confidere simile oleum, aut alicui extraneo cōcommunicare.

11. Alterum argumentū sumitur ex phrasi Scripturæ. Nam oleum sanctū, quo Pontifex & Sacerdotes vngabantur, nunquā in Scriptura appellatur oleum absolute & simpliciter, sed oleum unctionis, vel oleum unctionis sanctum, vel oleum sanctæ unctionis. Exo. 29.7. Oleum unctionis fundes super caput eius. Et cap. 30.25. Faciesque unctionis oleum sanctū, vnguentū cōpositum opere vnguentarij, &c. Et infra v. 31. Hoc oleum unctionis sanctum erit vobis. Et Leuit. 8.10. Taliit unctionis oleū, quo liniuit Tabernaculum cum omni suppellectili sua. Et cap. 21.12. Oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Et alibi sacerdos. Et ratio est, quia nō erat oleum simplex ac purū, sed vnguentū confectū ex oleo & variis aromatibus, vt iam ante dixi, ac proinde non oleum simpliciter, sed oleum unctionis, vel vnguentum appellati debuit. At oleū, quo Reges vngabantur, nunquā appellatur oleum unctionis, sed oleum simpliciter & absolute, quia non erat compositū ex oleo & aromatib⁹, sed purū ac simplex oleū.

1. Reg. 10.1. Tulit Samuel leniculam olei, & effudit super caput eius, id est, Saülis. Et c. 16.1. Dixit Dominus ad

Samuelcm. Usque quō tu luges Saül, cūm ego proiecerim eum, ne regnet super Israēl: imple cornū tuū oleo, & veni, vt mittam te ad Isaï Bethlehemitem: prouidi enim in filio eius mihi Regem. Et infra v. 13. Tulit ergo Samuel cornū olei, & vnxit Dauidem in medio fratribus eius. Et 4 Reg. 9. 1. Heliæus vocauit vnum de filiis Prophetarum, & ait illi: Tolle lenticulam olei, & vade in Ramoth Galaad. Cumq; veneris illuc, videbis Iehu, filium Iosaphat. Et paulo post: Tenensq; lenticulam olei, fundes super caput eius, & dices: Hec dicit Dominus: Vnxi te Regem super Israēl. Hinc optimè concludo, Reges non fuissent vñctos oleo sancto, quo Pontifex vngebatur, sed puro, simplici ac vulgari.

12. Ad maiorem explicationem huius argumenti, notandum est, in Scriptura veteris Testamenti, præsertim quæ ad ceremonias Iudæorū spectat, quadruplex oleū reperiri. Primum, quo vtebantur in lucernis candelabri aurei, iuxta altare thymiamatis. Alterum, quod adhibebatur in sacrificiis. Tertium, quo vngebantur Reges. Quartum, quo Pôfices & Sacerdotes. Hoc ultimum, quotiescunq; de eo fit mentio, vocatur *Oleum unctionis*, vel *Oleum sanctæ unctionis*, vt dixi. Reliqua, nudo ac simplici nomine olei contenta sunt. Hoc satis ostēsum est de oleo Regum. De oleo lucernarum, patet ex illo, Leuit. 24. 2. *Præcipe filiis Israēl, vt adferant tibi oleum de olio purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter.* De oleo sacrificiorum, ex illo Leuit. 2. 1. *Anima, cūm obiulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio, fundetq; super eam oleum, & ponet thus.*

13. Tertium argumentum sumitur ex illis verbis Leuit.

21. 10. *Pontifex, i. Sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fusum est unctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio consecrata sunt, vestitusq; est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre quoque suo & matre*

matre non contaminabitur: Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuariū Domini; quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus. In quibus verbis continetur hæc lex, ut Pontifex externo ritu nō lugeat mortuos, nec egressus ē Sanctuatio, prosequatur funera mortuorum, ne quidem parentum suorum. Et ratio legis additur, quia oleum sanctæ unctionis fusum est super caput eius; ac proinde nullo modo debet contaminari. Contaminaretur autē, si lugeret mortuos, aut funera eorum prosequeretur. Vnde sic argumentor: Ideò Pontifex non poterat lugere mortuos, & eorum funera prosequi, quia oleum sanctæ unctionis fusum erat super caput eius: At Reges poterant lugere mortuos, & prosequi funera mortuorum. (Hoc enim Dauid fecit in morte Saülis & Ionathæ.) Ergo oleū sanctæ unctionis non erat fusum super caput eorum.

14. Vbi notandum est discrimin inter Pontificē, Sacerdotes, & Reges. Solus Pontifex vngebatur oleo unctionis in capite, & ideo non lugebat yllos mortuos, ne quidem parentes. Sacerdotes non vngebātur quidē in capite, sed tamē in vestibus aspergebantur, partim sanguine arietis immolati, partim oleo sanctæ unctionis. (Exod. 29.21.) Et ideo poterant quidem lugere propinquos & consanguineos, nō tamen alios. (Leuit. 21.2.) Reges, nec in capite, nec in vestibus habebant oleum sanctæ unctionis, sed oleum simplex & vulgare; & ideo poterāt lugere omnes mortuos, quos volebāt.

15. Præter hæc tria argumenta, quæ videntur esse solida, accedunt alia tria, non quidem æquè efficacia, sed tamen valde probabilia. Primum, quia oleum sanctum non poterat attricari, nisi à Pontifice & Sacerdotibus: at Saül, Dauid & Iehu, non sunt vnceti à Pontifice vel Sacerdotibus, sed à Prophetis: non ergo vnceti sunt oleo sancto. Alterum, quia Elias Propheta

à Deo iussus est vngere Iehu in Regem Israël, & Hazaëlem in Regem Syriæ, & Helisæum in Prophetam. (3.Reg.19.15.) Et verisimile est, quod ex eadem lenticula vel cornu olei potuisset eos vngere. At Hazaëlem non poterat vngere oleo sancto, quia erat homo gentilis: Ergo verisimile est, nec Iehu, nec Helisæum oleo sancto, sed simplici unctos esse. Tertium, quia Dauid terunctus est. Primo, à Samuele, in Bethlehem, in domo patris sui. (1.Reg.16.13.) Secundo, in Hebron, in Regem Iuda. (2.Reg.2.4.) Tertiò, in Hebron, in Regem Israël. (2.Reg.5.3.) Nec credibile est, toties unctum esse oleo sancto; quia ne quidem Pontifex, pro quo factum erat oleum sanctum, toties vngebatur.

16. *Dices; Quomodo ergo Salomon unctus est oleo sancto, si nemo aliis, nisi Pontifex & Sacerdotes, poterat eo vngi? Sic enim de eo scriptum est, 3.Reg.1.39. Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem.* At oleum, quod in Tabernaculo assertabatur, erat sanctum. *Respondeo.* Authores hic dissentunt. Aliqui putant, Salomonem ex peculiari dispensatione unctum esse oleo sancto. Alij rectius id negat, afferentes, in Tabernaculo duplex oleum fuisse assertatum: alterum confectionum ex aromatibus, quo Pontifices & Sacerdotes; alterum simplex, quo Reges vngabantur.

Q V A E S T I O V .

*An Pontifex præcelluerit Regi, titulo
ornamentorum?*

17. **H**oc diserte affirmat Ecclesiasticus, cap.45. Vbi cum sigillatim descripsisset ornamenta Aaronis Pontificis, tandem subiungit, nunquam ab initio

initio mundi fuisse illis similia, nec deinceps fore aliquem, extra numerum Pontificum, qui similibus usus sit. Verba eius sunt haec: *Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli, & nepotes eius, per omne tempus.* Et hoc facile demotstrari potest. Nam Pontifex in sua veste Pontificali habebat aurum, purpura, hyacinthum, coccum bis tintatum, & byssum retortam: in fimbria, mala punica & tintinnabula aurea: in capite, diadema seu tiaram, cum lamina aurea: in pectore, duodecim gemmas pretiosas: in humeris, duos lapides onychinos, auro inclusos. De his cap. 5. actum est.

18. Nihil simile habebant Reges. Nec aliud ferè de illis legimus, quam quod soliti sint gestare diadema in capite. Nec tamen de omnibus, sed de tribus duntaxat hoc legimus, nempe de Saüle, Dauide & Ioas. Et quidem Saül habuit diadema in capite, quando occisus est in bello contra Philistinos. Quod diadema postea à quodam adolescenti allatum est ad Dauidem, ut habetur 2. Reg. 1. 10. *Et ait adolescens; Tuli diadema, quod erat in capite eius, & attuli ad te Dominum meum hic.* Dauid autem, cum expugnasset Rabba, ciuitatem Ammonitarum, & accepisset coronam idoli Melchom, fecit sibi inde diadema, ut patet ex illo, 1. Paral. 20. 2. *Tulit autem Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum & preciosissimas gemmas,* fecitque sibi inde diadema. Denique, de Ioas sic legimus, 2. Paralipom. 23. 11. *Eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema.* At quæ est proportio diadematis Regij cum tam multipli ornatu Pontificali?

QVÆSTIO VI.

An Pontifex præcelluerit regi titulo officij?

19. **C**onstat, multis modis præcelluisse. Primò, quia officium Pontificis erat excellentius, quam Regis. Secundò, quia Pontifex in suo officio non dependebat à Rege; & tamen Rex saepe dependedebat à Pontifice. Tertiò, quia Pontifex, præter suum officium Pontificale, poterat etiam præstare ea, quæ ad officium Regis pertinebant; non tamen Rex poterat præstare, quæ ad officium Pontificis spectabant. Quartò, quia in omnibus controversiis legalibus, tam Ecclesiasticis, quam politicis, supremus iudex erat Pontifex, non Rex. Quintò, quia iurisdictio Pontificis latius patebat, quam Regis. Hæc omnia paulò accuratius explicanda sunt. Nam in his punctis potissimum consistit prærogativa Pontificis præ Rege. Sit ergo.

20. *Prima conclusio.* Officium Pontificis in lege Moysaica fuit multo excellentius, quam Regis. Ratio est, quia officium Pontificis erat spirituale, concernens salutem animæ: officium Regis temporale, cōcernens pacem externæ politiæ. Ad Pontificem pertinebat, offerre Deo sacrificia, intrare in Sanctuarium, expiare populum à peccatis, consecrare Leuitas & Sacerdotes, legem Dei interpretari, in rebus dubiis responsa à Deo accipere. Ad Regem, præesse populo in temporalibus, conseruare iustitiam ciuilem, suscipere bellum contra hostes. Nam ad hæc præstanta petierunt filii Israël, sibi dari Regem, ut habetur 1. Reg. 8.19. his verbis: *Noluit populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque, sicut omnes gentes: Et iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*

21. *Ter*

21. *Secunda conclusio.* Pontifex in suo officio non dependebat à Rege: Et tamen Rex sæpe dependebat à Pontifice. Prior pars probatur, quia Pontifex poterat omnia præstare, quæ ad suum officiū pertinebant, sine ullo subsidio Regis. Poterat enim offerre sacrificium, intrare Sanctuarium, expiare populū, consecrare Leuitas & Sacerdotes, legem interpretari, Deum consulere: Et in his omnibus non indigebat subsidio Regis. Posterior pars probatur ex contrario principio. Nam Rex non poterat omnia præstare, quæ ad officiū suum pertinebant, sine subsidio Pontificis. Non enim poterat suscipere bellum, aut aliam rem magni momenti aggredi, nisi prius consulto per Pontificem oraculo. Hoc supra, cap. 4. § 20. ostensum est ex illo, Num. 27.

21. *Pro hoc (Principe saeculari) si quid agendum erit,* Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius (Eleazari) egredietur & ingredietur ipse. (Iosue, vel quicunq; aliis Princeps saecularis) & omnes filii Israël eum eo, & cetera multitudo. Quod ibidē variis exemplis confirmatum est. Neque necesse est hīc repetere.

22. *Tertia conclusio.* Pontifex, præter officium suum pontificale, poterat etiam præstare ea, quæ ad officium Regis pertinebant, & multo plura: At Rex non poterat præstare, quæ ad officium Pontificis spectabant. Prior pars probatur exemplo Ioiadæ Pontificis sanctissimi. Is omnia fecit, & fortasse plura, quam Rex facere potuisset. Nam generatim loquendo, Iosas filii Ioram constituit Regem, & Athaliam Reginam deposuit ac interfecit. Speciatim vero hæc gessit. 1. conuocauit omnes Principes familiarū Israël, Centuriones, Sacerdotes, Leuitas, & reliquam populi multitudinē: & dedit illis lanceas, clypeos, & reliqua arma ad bellum necessaria. 2. mandauit illis, ut Iosas filium Regis, qui tunc erat puer septem annorum, susciperent in Regem.

Regem.; vt hoc commodiūs, & sine tumultu fieret, distribuit illos in certas classes. Nam aliquos posuit ad custodiam portarum Sur; alios ad custodiam portæ Fundamenti; alios ad custodiam domus Regiae: reliquum populum voluit esse in atriis Tépli Salomonis. 4. Speciatim præcepit Leuitis, vt armati circumstarent filium Regis, & quocumque ille iret, ipsi comitarētur. 5. Mandauit populo, qui erat in atriis Templi Salomonis, vt instructi pugionibus, alij starent ad dextram partem Templi, alij ad sinistrā; vt filius Regis per medium posset transire. 6. His ita cōstitutis ac dispositis, adduxit filium Regis, & imposuit diadema super caput eius, & vnxit eum, & dedit in manu eius Legē Deuteronomij, & declarauit illum Regē, acclamante vniuerso populo, *Vivat Rex.* 7. Declarato iā Rege, accessit ad Cēturiones & Principes exercitus, vt Athaliam Reginam educerēt extra septa Templi, & gladio interficerent. 8. Inrefecta Athalia, pepigit fœdus inter se, & nouum Regem, & vniuersum populu; vt omnes vnanimiter seruirent vero Dō, & idola detestarentur. Ac mox, vi huius fæderis, ingressi templum Baal, confregerūt altaria & simulachra, & Mathan sacerdotem Baal ante aras interfecrunt. 9. Cōstituit nouum ordinem in Templo Salomonis, & singulis Leuitis ac Sacerdotibus sua officia partiti: est. Postremò, cūm omnia ex animi sententia successissent, connocatis Centurionibus, Principibus, & vniuerso populo, nouū Regem ex domo Dei deduxit in domum Regiam, & collocauit eum in folio Regali. Hæc omnia habentur, 2. Parali. 23. & 4. Reg. 11. Et in his omnibus usus est Iorada Pontifex imperio & autoritate Pontificali. Quid amplius faceret Rex?

23. Posterior pars, quod nimirum Rex non potuerit ea præstare, quæ ad officiū Pontificis pertinebāt, facile probari potest inductione. Non enim poterat offerre facri

sacrificia, nec intrare Sanctuariū, nec expiare populum, nec consecrare Leuitas & Sacerdotes, nec legem Dei interpretari, nec in rebus dubiis, accepto Rationali, responsa à Deo petere. Et, si aliquid horum tentasset, reprehendebatur à Pontifice, & à Deo puniebatur. Habeamus exēplum in Ozia Rege, qui cùm vellet adolere incensum super altare thymiamatis; primū à Pontifice reprehensus, deinde lepra percussus est. *Non est tui officij Ozia* (dicebat Pontifex) *ut adoleas incensum Domino sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron*, qui consecrati sunt ad huiuscmodi ministerium: *Egredere de Sanctuario ne contempseris.* (2. Paral. 26. 18.) Et paulò post; *Statimq[ue] orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus.* Porro, Deus tam ægrè tulit hoc factum Oziae Regis, ut non solum leprā, sed etiam terræ motu puniendum esse censuerit (Zach. 14. 5.) §. 24. Nec dissimile exemplum est in Saüle Rege. Cum enim irruētibus Philistæis, videret populum à se dilabi, putabat se rectè facturum, si ipse per se (cum Sacerdos non adesset) offerret holocaustum & pacifica, ad placandum Deum. Sed mox à Samuele reprehensus est, his verbis; *Stulte egisti.* (1. Reg. 13. 13.) Non solum reprehensus, sed etiam punitus amissione regni. *Quod si non fecisses, inquit Samuel, iam nunc preparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget.* Quesuit Dominus sibi virum iuxta cor suum; & precepit ei Dominus, ut esset Dux super populum suum.

25. *Quarta Conclusio.* Si aliqua controversia legalis fuisset orta, siue in rebus Ecclesiasticis, siue in temporaliibus, & inferiores Iudices, qui erant in singulis ciuitatibus, non potuissent in ea definienda, inter se conuenire; recurrendum erat ad Pontificem, tanquam ad supremum Iudicem, non autem ad Regem: Et omnes sub pena mortis tenebantur Pontificis sententiæ acquiescere.

cere. Hoc supra probatum est ex Scriptura & Iosepho. Nunc ratione explicandū est, hoc modo. Controversiæ legales, quæ oriebantur ex lege Mosaïca non satis bene intellecta, non poterat dirimi & dijudicari, nisi per veram legis interpretationem: Ergo illius erat dītimere & dijudicare eiusmodi controversias, cuius erat interpretari ipsam legem. At Sacerdotum, & maximè Pontificis, non autem Regum aut Principum sacerularium erat interpretari legem: Ergo Sacerdotum, & maximè Pontificis, non autem Regum & Principum sacerularium erat dīrimere & dijudicare controversias legales. Minor probatur ex illo Aggæi 2.12. *Hec dicit Dominus: Interroga Sacerdotes legem. Et Malach. 2.7. Labia Sacerdotis custodient scientiam: & legem requirent ex ore eius.* Non ex ore Regis, sed Sacerdotis. Et causa mox additur; *Quia Angelus Domini exercituum est, quasi dicat sacerdos est nuncius seu interpres diuinæ voluntatis.* Igitur à Sacerdote perenda est legis diuinæ interpretatio: Et omnes controversiae, quæ ex lege diuina oriri possunt, à Sacerdote dirimendæ sunt.

26. Sed quæres, quare interpretatio legis, & consequenter decisio controversiarum legalium, pertinuerit potius ad Pontificē, quam ad Regem, aut quoscunque alios? Ratio dubitandi est, quia poterat fieri, ut non minus alij essent periti in lege, quam Pontifex: imò etiā magis. *Respondeo.* Si spectemus industriam humanam, certum est, non minus alios, quam Pontificem, potuisse legem intelligere & interpretari. Si autem spectemus assistentiam Spiritus sancti, quæ potissimum in hoc negotio spectanda est, ea Pontifici potius, quam aliis, fuit promissa & communicata. Exemplum habemus in Moysi Nam Deus cōcessit illi maiorem assistentiam, quam sepruaginta senioribus, qui illi in officio subseruiebāt. Hoc colligitur ex illo Num. 11. 17. *Dixit Dominus ad Mosen:*

Mosén: Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi. Vbi per spiritum intelligi debet aliquod donum gratiæ, quod requiritur in iis, qui rectè volunt alios gubernare, & eorum controuerfias dirimere. Est ergo hic sensus: Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, id est, Dabo illis donum gratiæ, sed infra illud donum quod tu habes: Tibi, qui supremus Iudex es, plus dari oportuit, quam illis, qui inferiores sunt.

27. *Quinta Conclusio.* Pontificis iurisdictio in veteri Testamento latius patebat, quam Regis. Et quidem dupli sensu. 1. *Quia ad plures causas se extendebat.* Nam non solum controuerfiae legales in causis Ecclesiasticis, sed etiam in temporalibus, subiectæ illi erat, ut iam dictum est. 2. *Quia ad plures homines & loca se extendebat.* Nam post mortem Salomonis, facta regni diuisione, Rex Iuda nihil habebat iuris ac potestatis in regno Israël; nec vicissim Rex Israël in regno Iuda. At Pontifex in utroque regno habebat suam iurisdictionem. 3. *Quia in utroque poterat exigere decimas, primitias, & pretia primogenitorum.* 4. *Quia in utroque habebat Leuitas sibi subiectos.* 5. *Quia ad illum, tamquam supremum Iudicem, pertinebant controuerfiae utriusque regni.* 6. *Quia Reges utriusque regni, non poterant bellum suscipere, aut aliam rem magni momenti aggredi, nisi consulto per Pontificem oraculo.* Hinc sequitur, Regem Israël, non fuisse supremum & absolutum Dominum in suo regno, sed debuisse etiam pédere à Pontifice, qui habitabat in regno Iuda. Et quidem multis modis ab eo pendebat, ut iam explicatum est.

Q V A E S T I O V I I .

An Pontifex Prececelluerit Regi, titulo Exemptionis.

28. *E*xemplo duplex est: Vna in rebus Ecclesiasticis; altera in temporalibus. Pontifex utroque modo

modo exemptus erat à potestate Regis; non item Rex à potestate Pótificis. Quòd tametsi facile constare pos- sit ex dictis, seorsim tamen explicandum est. Ac primò dicam de exemptione Pontificis in rebus Ecclesiasti- cīs. Secundò, de exemptione eiusdem in temporalibus. Tertiò, ostendam, nec in Ecclesiasticis, nec in tempo- ralibus, Regem fuisse penitus exemptum à potestate Pontificis. Sit ergo.

29. *Prima Conclusio.* Pontifex in rebus Ecclesiasticis, seu ad diuinum cultum pertinētibus, erat exemptus à potestate Regis: Et quidē triplici titulo. 1. quia Rex nō poterat illi quicquam imperare in eo genere. 2. non po- terat illum ad suum tribunal trahere in cōtrouersiis Ec- clesiasticis. 3. non poterat illū punire, si deliquisset. Hæc conclusio ex dupli fundamento probari potest. Prius est, quod Pontifex fuerit supremus Iudex in causis & controvērsiis Ecclesiasticis, ut iam ante probatum est. Ex quo sequitur. 1. non potuisse illum trahi ad tribunal Regis. 2. non potuisse puniri à Rege. 3. non fuisse subie- ctum imperio Regis. Ratio est, quia supremus Iudex, in eo genere, in quo supremus Iudex est, non potest ab alio iudicari, puniri, aut imperiū accipere. Nihil certius.

30. Posterius est, quòd omnes Leuitæ in rebus ad cultum diuinum pertinentibus, fuerint exempti à po- testate Regis. Vnde sequitur, multò magis Pontificem fuisse exemptum. Quòd autem Leuitæ fuerint exem- pti, certum est. Nam Deus separauerat illos à reliquo populo filiorum Israël, & eos loco primogenitorum, quæ illi debebātur, suos esse volebat, iuxta illud Num.

3. 12. *Ego tuli Leuitas à filiis Israël pro omni primogenito, eruntque Leuitæ mei. Meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti.* Et Num. 8.

13. *Statuesque Leuitas in conspectu Aaron & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorū*

Israël

& consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorū Israēl, ut sint mei: quoniā dono donati sūt mībi à filiis Israēl. Pro primogenitis accepi eos. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israēl, tam ex hominibus, quām ex iumentis. Vnde sic argumētor: Si Deus voluisset accipere primogenita filiorum Israēl, tam ex hominibus, quām ex iumentis, quæ illi speciali iure debebātur; certè filij Israēl nullam amplius habuissent potestatem aut iurisdictionem in eadem primogenita, postquam semel Deo fuissent tradita: At Deus eodem iure speciali, quo poterat accipere primogenita, accepit Leuitas, loco primogenitorum: Ergo postquam Leuitæ semel Deo traditi & consecrati essent, non amplius erant sub potestate aut iurisdictione aliorum, sed solius Dei. Poterat tamen Deus, si vellet, eos iterum subiicere aliorum potestati. Noluit autem subiicere potestati Regis, sed Pontificis, ut disertè habetur Num. 8.18. his verbis: *Tuli Leuita pro cunctis primogenitis filiorum Israēl, tradidiq; eos dono Aaron & filiis eius de medio populi.* Igitur Leuitæ, sicut Pontifici, non Regi, donati à Deo erant; sic Pontifici, non Regi debebant obtemperare. Quod etiam expressè constat ex illo, Num. 18.1. *Dixitq; Dominus ad Aarō: Excubabunt Leuita ad præcepta tua.* Hinc infero: Si Leuitæ in cultu diuino exempti erant ab imperio Regis, ut reuera erant; multò magis Pontifex erat exemptus. Nā si hic exemptus non fuisset, nec Leuitæ poterant esse exempti, quia subiecti erant Pontifici.

31. Hoc argumentum sic confirmo. Non solum primogenita priuatorum hominum, sed etiam Principum ac Regum debebantur Deo: Sicut ergo priuati homines nullam amplius habuissent iurisdictionem aut potestatem in sua primogenita, si semel fuissent Deo tradita; ita nec Reges & Principes. At eadē erat ratio Leuitarum, quæ fuisset primogenitorum: Ergo nec Reges

& Principes habebant amplius potestatem aut iurisdictionem in Leuitas, postquam semel Deo erant traditi & consecrati.

32. *Secunda conclusio.* Pontifex in bonis temporalibus & causis politicis exemptus erat à potestate Regis: Et quidem quadruplici titulo. 1. quia Rex non poterat illi quicquam imperare in eo genere. 2. non poterat illum trahere ad suum tribunal, ant sententiam contra ipsum pronuntiare. 3. non poterat illum punire, si delinquisset. 4. non poterat ab illo exigere tributum, vectigal, & similia onera, quæ Magistratus solet exigere à suis subditis. Tria priora membra facile probantur ex præcedenti conclusione. Nam Pontifex erat supremus iudex, non solum in causis Ecclesiasticis, sed etiam in temporalibus: At supremus iudex, in eo genere, in quo supremus iudex est, non potest ab alio iudicari, puniri, aut imperium accipere. *Dices;* quomodo ergo Abiathar Pontifex punitus est à Salomone? Nam Salomon, eo quod conspirasset cum Adonia, depositus illum ab officio Pontificali, & alium in eius locum subrogavit. *Respondeo:* Si Salomon auctoritate regia id fecit, non legitimè fecit. Nec enim, quidquid à Regibus factum est, legitimè factum esse putandum est. Nonne Abimelech Pontifex à Saüle Rege interfactus est in Nobe? (1. Reg. 22. 17.) Nonne Zacharias imperio Ioæ lapidatus? (2. Paralip. 24. 21.) An ideo hæc, quia à Regibus facta sunt, legitimè facta sunt? Nemo dixerit.

33. Supereft quartum membrum de exemptione Pontificis ab onere tributorum & similiū grauaminū; quod sic probari potest. Onera, ad quæ præstanda tenebantur filij Istrael, erant hæc. 1. Debebat parati esse ad bellum, & subsidia in bellum conferre. 2. Singulis annis dare dimidium sicli pro vſu Tabernaculi. 3. Singulis annis dare decimas omnium bonorum in sustentationem

tationem Sacerdotum ac Leuitarum. 4. Primogenita hominum & iumentorum, vel Domino offerre, vel pretio redimere. 5. Conferre necessaria pro familia & sustentatione Regis. 6. Permittere alienationem domorum suarum in perpetuum. Ab his omnibus exemptus erat Pontifex; quod inductione probandum est.

34. Ac primum exemptus erat ab onere belli: nec solus ipse, sed omnes Leuitæ. Cùm enim Deus mandasset Moysi in deserto Sinai, ut numeraret omnes filios Israël, qui per ætatem apti essent bello, speciatim excepit Leuitas, quos voluit ab hoc onere immunes esse, ut seruirerent in Tabernaculo. Num. 1. 48. *Tribum Léui noli numerare, neq; pones summam eorum cum filiis Israël, sed cõstitue eos super Tabernaculum testimonij & cuncta vas a eius. & quidquid ad ceremonias pertinet. Hoc tamen notandum est, tametsi immunes essent à bello, potuisse nihilominus interesse, quadruplici ex causa.* Primo, ut in re dubia consulenter Deum pro Rege & exercitu. Hoc fecit Achias Pôtifex in bello Saülis cõtra Philisteos. (1. Reg. 14.) Secundo, ut excitarent animos militum ad strenue pugnandum, iuxta illud Deuter. 20. 1. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quam tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem iam prelio, stabit Sacerdos ante acie, & sic loquetur ad populum: Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formideritis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Tertiò: ut custodirent Arcam Domini, quæ aliquando in exercitum filiorum Israël, ad maiorem ipsorum consolationem, adducebatur. Hoc modo Ophni & Phinees, filij Heli Pontificis, fuerunt in exercitu contra

Philistæos, & occisi sunt. (1.Reg.4.11.) Quartò, vt in summa necessitate, si nihil aliud subsidij adesset, ipsi arma corriperent, & pro patriis legibus ac ceremoniis pugnarent. Hoc fecerunt Mathatias, & filii eius Machabæi, Iudas, Ionathas, Simon, & Ioannes, Hyrcanus, qui erant ex genere sacerdotali. (1.Machab. 2. & seqq.)

35. Secundum onus filiorum Israël erat, quod deberent conferre dimidiū sicli in usum Tabernaculi, Exodi 30.11. Locutusq; est Dominus ad Mosen, dicens: Quando tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui trans fit ad nomen, dimidium sicli, iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero, à viginti annis & supra, dabit pretium. Diues non addet ad medium sicli, & pauper nibil minuet. Susceptamq; pecuniam, que collata est à filiis Israël, trades in usus Tabernaculi testimonij. Ab hoc onere non solus Pontifex erat exemptus, sed etiam Leuitæ. Quod sic ostendo: Illi soli debebant dare dimidium sicli, qui postea à Mose erant recēsendi in numero filiorum Israël, vt apertè constat ex verbis citatis. At Leuitæ non erant recēsendi in illo numero, vt paulò ante ostensum est ex illo, Num. 1.48. *Tribum Leui noli numerare.* Ergo Leuitæ non tenebantur ad soluendum illud pretium pro usu Tabernaculi: Ergo nec Pontifex.

36. Tertium onus Israëlitarū erat, quod singulis annis deberent dare decimas bonorum suorum pro suste tatione Leuitarum. (Leu. 27.30. & Nu. 18.21. & Deut. 12.6.) Ab hoc onere exemptus erat Pontifex. Et quod amplius est, ipse cum aliis Leuitis erat particeps decimaru, & postea ab ipsis Leuitis accipiebat decimas decimaru, vt supra, c. 6. §. 5. ostēsum est ex illo, Nu. 18.26. *Precipe Leuitis, atq; denūcia: Cū acceperitis à filiis Israël de cimas,*

cimas, quas dedi vobis, primitias earū offerte Domino, id est, decimam partem decime, ut reputetur vobis in oblationē primitiōrum, tā de arcis, quā de torcularibus, & uniuersis, quorū accipit is primitias, offerte Domino, & date Aarō Sacerdoti.

37. Quartum erat, quod primogenita hominum & iumentorum, vel pretio deberent redimere, vel Pontifici offerre. Num. 18.15. *Dixit Dominus ad Aaron: Quidquid primum erumpit ē valua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal, quod immundum est, redimi facias, cuius redemptio erit post unum mensēm siccis argenti quinque pondere Sanctuarij. Primogenitum autem bouis & ovis & caprae non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino. Ab hoc onere eximebatur Pontifex. Nam cæteri, qui hoc onere tenebantur, debebant Pontifici offerre sua primogenita, vel certè pretium illorum, ut iam dictum est. At cui obtulisset Pontifex? Si sibi ipsi, nullum erat onus. Si alicui alteri, cui tādem? Nemo à Deo designatus est.*

38. Quintum erat, conferre necessaria ad luxum & familiā Regis. De hoc onere locutus est Samuel, cum vellet filios Israël absterrere à petendo Rege. Sic enim legimus, 1. Reg. 8.10. *Dixit itaq; Samuel omnia verba Domini ad populum qui petierat à se Regem, & ait; Hoc erit ins Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoq; vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias & panificas. Agros quoq; vestros, & vineas & olineta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis Seruos etiam vestros, & ancillas. & iuuenes optimos, & astmos auferet, & ponet in opere suo. Gre-*

ges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei serui. Et clamabitis in illa die à facie Regis vestri, quē elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus. Ab hoc onere & Pontifex, & omnes Leuitæ erant exempti. Quod apertè constat ex verbis citatis. 1. quia Leuitæ non petebant Regem, sed populus aliarum tribuum. 2. Leuitæ non erant futuri centuriones & tribuni in bello. Erant enim exempti ab onere belli, ut dictum est. 3. Leuitæ non habebant alias possessiones, nisi 48. ciuitates cum suburbanis eorum. (Num. 35. 2.) At suburbana Leuitarum non poterant vendi, & dari seruis Regum, iuxta illud, Leuit. 25. 34. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.

39. Sextum erat, permittere alienationem domorum suarum in perpetuum. Leuit. 25. 29. Qui vendiderit dominum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in iubileo. Ab hoc onere eximebatur Leuitæ, ac proinde etiam Pontifex. Nam ibidem sic additur; Aedes Leitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi: si redemptæ non fuerint, in iubileo reuertentur ad dominos, &c.

40. Igitur, ut summatim colligā, quæ dicta sunt, Pontifex erat exemptus non solum ab omni onere, quod Regi præstandū erat, sed etiam ab aliis oneribus, quæ Leuitis, Sacerdotibus, & Tabernaculo præstabantur. Ad hanc exemptionem renocari potest, quod omnes ciuitates refugij, in quibus erat summa immunitas, fuerint Leitarum; nulla filiorum Israël. Quæ immunitas non parum facit ad prærogatiuam Pontificis. Primò, quia ciuitates Leitarum subiectæ erant Pontifici. Secundò, quia quotquot homicidæ inuoluntarij, siue incolæ, siue exteri, ad eas configiebant, poterat ibi tuto commo

commorari, usque ad mortem Pontificis. Mortuo autem Pontifice, impunè ad propria reuertebatur. (Ios. 20.6.)

41. *Tertia coclusio.* Rex, neque in causis Ecclesiasticis, neque in temporalibus, erat planè exemptus à potestate Pontificis. Non quidē in Ecclesiasticis. Nam Pontifex in eo genere poterat illi imperare, & etiā punire, si deliquisset. Habemus luculentū exemplū in Ozia Rege, 2. Paral. 26.16. his verbis; *Cum roboratus esset Ozias, ele-
natum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominū
Deum suum: ingressusq; templū Domini, adolere voluit in-
censum super altare thymiamatis: Statimq; ingressus post
eū Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octo-
ginta, uiri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Non
est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacer-
dotum: Egressere de Sanctuario, ne contempseris. Iratusque
Ozias, tenens in manu thuribulū ut adoleret incensum, mi-
nabatur Sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte eius,
corā Sacerdotibus, qui expulerunt eum, &c. Vides, quantum
fuerit imperium summi Sacerdotis in Regem, præsertim
in rebus ad diuinū cultum pertinentibus Rex, elatus
multis victoriis, voluit se imminiscere in officium Sacer-
dotū. Quid Pontifex? Opposuit se Regi, & audacter il-
li dixit; Audi Rex: res diuinæ non spectant ad tuū offi-
ciū, sed ad nostrū. Egressere de Sanctuario: Nisi parue-
ris, nō abibis sine pœna. Quid Rex? Irascitur, minatur,
punitur, expellitur, imperio abdicitur. Debebat memi-
nisce illius præcepti, Deut. 17.20. *Non eleuetur cor eius
in superbia super fratres suos, cum sederit in solio regni sui.**

42. Sed neque in temporalibus omnino exemptus fuit Rex. Primo, quia saepè non poterat bellū suscipere, nisi
consulto prius Pontifice. Secundo, quia in controuer-
siis legalibus, non solum Ecclesiasticis, sed etiā politi-
cis, debebat acquiescere Pontifici, tanquam supremo iu-
dici. Hæc saepè dicta sūt. Tertio, quia debebat illi dare

decimas, primitias, oblationes & pretia primogenitorum. Nusquam enim legimus, Regem ab onere fuisse exemptum. Et hæc sufficient de hoc puncto.

QVÆSTIO VIII.

*An Pontifex precelluerit Regi,
titulo authoritatis.*

43. **M**aior semper fuit authoritas Pontificis apud populum, quam Regis. Quod dupliciter ostendi potest. Primo ex dictis. Nam authoritas, Pontificis, ut supra ostensum est, crescebat ex variis capitibus. 1. Ex solenni consecratione. 2. Exunctione olei sancti. 3. Ex ornatu. 4. Ex copia annorum reddituum. 5. Ex frequenti colloquio cum Deo. 6. Ex variis & illustribus miraculis. In his omnibus (exceptis forte diuinitiis) Rex erat inferior Pontifice. Nec enim consecratio ipsius erat tam solennis; nec ungebatur oleo sanctæ unctionis; nec in ornatu erat pat Pontifici; nec immediate consulebat Deum in rebus dubiis; nec authoritas ipsius tot miraculis erat à Deo confirmata.

44. Ex effectu idem ostendi potest. Nam populus plus honoris ac reverentiae tribuebat Pontifici, quam Regi. Imò, si inter Pontificem & Regem lis aliqua vel disceptatio intercederet, Pontifici potius adhærebāt, quam Regi. Hoc accidit Saüli. Cum enim mādaret suis subditis, ut interficerent Achimelech Pontificem, noluerunt Regi obedire. Nimirum, pluris aestimabant vitam Pontificis, quam mandatum Regis. Plus dicam. Ipsi Reges vltro deferebant Pontifici: Nec soli Hebræorū Reges, sed etiam gentiliū. Exemplo sint Iosas Rex Iuda, & Seleucus Rex Asie. Iosas venerabatur Ioiadam Pontificē, ut parentem; & eo viuente, nihil faciebat, nisi ex eius directione & prescripto. (4. Reg. 12.2.) Seleucus

leucus adeò suspiciebat Oniam Pontificē, vt in eius gratiam, magno honore ac muneribus prosequeretur templum Hierosolymitanum. (2.Machab.3.1.)

Conclusio huius capit. .

45. **I**N hoc capite institui cōparationem inter Pontificem & Regem veteris Testamenti: Et ostendi Pontificem multis titulis Regi præcelluisse. 1. titulo originis & antiquitatis. 2. familiæ. 3. inaugurationis. 4. vñctionis. 5. ornatus. 6. officij. 7. exēptionis. 8. au-thoritatis. Et hæc omnia ex sacris literis confirmaui. Nunc, coronidis loco, attexam testimonia Philonis & Iosephi, qui ambo, vrpote Hebræi nati, fuerunt rerum Hebraicarum peritissimi.

46. Igitur Philo in lib. de legatione ad Caium, recitās epist. Agrippæ ad eundem Caium, Imper. Romanum, inter cætera sic habet: *Equidem, ut noſti, Iudeus natus sum: natale ſolum mihi ſunt Hierosolyma, ubi altissimi Dei templum ſitum eſt. Auos proauosque Reges habui, & ex hiſ, aliquot etiam ſummos Pontifices; quā illi dignitatē pluris faciebant, quam Regiam, rati quanto Deus anteaſtat homini, tanto Pontificatum regno excellentiorem. Ad illius enim curam, diuinās res; humanas, ad huius pertinere.*

47. Iosephus, non quidē tam apertè confert inter se Pontificē & Regē, vt Philo; sed tamē reipsa idē ſentit. Sic enim ſcribit lib. 2. contra Apionē; in cōmendationē legis Mosaicæ: *Sed quænā pulchrior aut iuſtior eſſe queat lex, quam quæ & Deū fecit omniū moderatorem, & Sacerdotibus res maximas cōmuniter administrādas com-miſit? rurſumq; ceterorum Sacerdotū gubernationē ſummo omniū Pontifici credidit?* Et paulo post: *Erat autē eorum muneris, legem ceteraq; instituta diligenter curare. Nam & omniū inspectores, & controuersiarū Iudices, & condemna-torum punitores cōſtituti ſunt Sacerdotes.* *Quisnam igitur*

principatus fieri possit hoc sanctior? aut quis bonos Deo cōuenientior? ubi & plebs vniuersa ad pietatē est bene cōparata, & Sacerdotibus cōcredita est cura præcipua, & vniuersa Respublica instar ceremonia cuiusdam administratur?

C A P V T I X.

Quæ utilitas percipi ex dictis posſit.

1. **T**riplex percipi potest. Vna ex parte Catholicorum: ex altera parte aduersariorum: tertia ex parte Regum & Principum sacerularium. Ut hoc clariū ostendam, præmittendum est, Pontificem veteris ac noui Testamenti, v.g. Aaronem & Petrum, non minus inter se distare, quam vetus ac nouum Testamentū inter se distant. Porro inter vetus & nouum Testamentū tanta distantia est, quanta inter vmbra & corpus, inter imaginem inchoatam & perfectā, inter literam occidentem & spiritum viuificantem, inter sanguinem taurorum & Christi, inter seruitutem & libertatem. Ergo tanta etiā inter Pontificem utriusque testamenti, v.g. inter Aaronem & Petrum distantia est. Ille vmbra expressit; hic corpus: ille inchoatæ imaginis minister fuit; hic perfectæ: ille secutus est literā occidentem; hic spiritum viuificantem: ille tauros & arietes immolauit; hic pretiosi corporis & sanguinis Christi dispēsator est: ille vixit sub iugo seruitutis; hic in libertate filiorum Dei. Igitur, maior & excellentior hic, quam ille. Hocposito, facilius explicabo triplicem utilitatē, de qua dictū est.

1. Utilitas ex parte Catholicorum.

2. **C**Atholici, ex iis, quæ dicta sunt, sic possunt ratiocinari: Noster Pontifex multò excellentior & dignior est, quam Pontifex veteris Testamenti fuit. Si ergo Hebræi, qui murmurabāt cōtra suū Pontificē,

à Deo

à Deo seuerè puniti sunt ; quid nobis fiet , si similiter murmuraremus ? Et sanè Apost. de hac ipsa re nos præmonuit, 1. Corinth. 10. 1. His verbis ; *Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt , & omnes mare transferunt, & omnes in Mōse baptizati sunt in nube & in mari : & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt* , &c. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo nam prostrati sunt in deserto. Hac autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt: neque idololatre efficiamur , sicut quidam ex ipsis: neque fornicemur , sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia : neque tentemus Christum , sicut quidam eorum tentauerunt , & à serpentibus perierunt : neque murmuraueritis , sicut quidam eorum murmurauerūt , & perierunt ab exterminatore. Hac autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram , in quos fines saeculorum deuenerunt,

3. Ex quibus verbis tria colligimus , quæ maximè hoc spectant. Primum est, quod omnes Hebræi magnis beneficiis à Deo affecti fuerint. Nam omnes miraculose transierunt mare rubrum ; omnes sub nube protecti sunt ; omnes manna de cœlo comedenterunt ; omnes biberunt ex petra consequente. Alterum, quod multi illorum abusi sunt beneficiis sibi concessis , & ingrati in Deum existiterint: Et nominatim , quod aliqui murmurauerint contra Mosen & Aaronem Pontificem. Tertium, quod propterea grauiter à Deo puniri sint. Hinc infert Apostolus : Si nos Christiani , qui maiora beneficia à Deo consecuti sumus, peccemus in Deum , & nominatim , si murmuraremus contra Pontificem, fore, ut multò grauius à Deo puniamur. Et sic est. Maneamus ergo coniuncti cum Pontifice & Episcopis , & sequamur consilium eiusdem Apostoli , qui nos alibi

Sic hortatur: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim per uigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis (Hebt. 13.17.)

I I. Utilitas ex parte Aduersariorum.

4. **A**dversarij sic possunt ratiocinari: Certè, si prudenter æstimemus ea, quæ in veteri Testamento scripta sunt de Pontifice Hebræorum, iniquè agimus cum Pontifice Romano: & in multis eum accusamus, ubi innocens est. *Primo*, obiicimus illi arrogantiā, quod Pontificem Maximum se appellat. Et tamen constat, hunc titulum concessum fuisse Pontifici in V. Testamento: & quidem ab ipso Deo. Sic enim legimus Leuit. 21.10. *Dixit Dominus ad Mosen: Pontifex, id est Sacerdos maximus inter fratres suos caput suum non discooperiet.* Quia titulus frequenter repetitur in libris Machabæorū, & in Euangeliō, sub hac voce, *Summus Sacerdos*. Si ergo Pontifici in V. Testamento licuit usurpare hunc titulum, cur in nouo non liceat, præsertim cum Pontifex in nouo maior & excellentior sit, quam in veteri?
5. *Secundo*, obiicimus illi cœlibatum, & virginem matrimonium. Sed profectò non alia de causa, quamvis nostram lasciuiam & turpitudinem excusemus. Alioqui, si ex veteri Testamento pensanda res est, sic argumentari oportebit: Pontifex veteris Testamenti, propter sanctitatem officij, quod gerebat, non poterat inire matrimonium cum vidua, vel repudiata, vel corrupta, sed tantum cum virgine ex sua tribu. At in nouo Testamento maior est sanctitas officij, quod gerunt ministri Ecclesiæ: Ergo magis deberet colere castimoniam vitæ, quam in populo Hebræorū factum est. Hoc facit Pontifex Romanus, qui exemplo Christi, Ioannis Baptistæ, & multotum aliorum, ab omni abstinet matrimonio. At nos non facimus, qui nullo discrimine, & viduas, & repu-

repudiatas , & corruptas , amplexamur . In qua te nec Pontificem veteris Testamēti , nec Christum , nec Ioannem Baptistam , nec Apostolos , sed nescio quos petulcos homines videmur imitari . Præstaret se qui cōsilium Apostoli , 1 . Cor . 7 . 7 . *Volo , inquit , omnes esse , sicut meipsum .* Et infra : *Dico autem non nuptis , Bonum est illis , si sic permaneant sicut & ego .* Et rationem adiūgit : *Qui sine uxore est , sollicitus est , quæ Domini sunt , quomodo placeat Deo . Qui autem cum uxore est , sollicitus est , quæ sunt mundi , quomodo placeat uxori , & diuisus est .* Hoc saluberrimum documentum nos contemnimus .

6. *Tertio , obiicimus illi , quod glorietur de continuata serie & successione suorum antecessorum in Ecclesia Romana . At nihil culpæ hic est . Nam etiam in veteri Testamento successio Pontificum accuratissimè seruata est , & speciali miraculo à Deo confirmata . Voluit enim Deus , successionem Pontificum manere in tribu Leui , & nullo modo transire in alias tribus . Et in eius rei perpetuam memoriam effecit , ut virga solius Aarons , non autem virgæ aliorum tribuum , repente frondesceret , & frondescens in Arca Testamenti conseruatetur . Nos hic impingimus . Nam relicta legitima successione , quæ est in Ecclesia Romana , instituimus novos ministros , qui alias ante se nullos agnoscunt . In quo similes sumus Ieroboamo , qui asciuit Sacerdotes , qui non erant de tribu & successione Leui . (3 . Reg . 12 .)*

7. *Quarto , obiicimus illi , quod tam ipse , quam alij Episcopi & Sacerdotes , solenni ritu vngantur & consecrentur : & per contēptum solemus appellare Vñctos . Sed parum prudenter . Nam constat , Deum in veteri Testamento præcepisse , ut Pontifex in capite vngantur oleo sanctæ vñctionis : Et similiter , ut tam Pontifex , quam Sacerdotes , & eorum vestimenta , sanguine , & oleo aspergerentur . Et quanquam huiusmodi ceremonia ,*

niæ, quæ in veteri Testamento seruatæ sunt, præsertim circa vñctionem, non necessariò, seruari debeant in nouo testamento; tamen cum à Deo introductæ & approbatæ fuerint, malæ esse non possunt. Cur ergo, ut otiosas & ridiculas execratur? Cur, vel easdem, vel similes usurpare nō liceat, cum nusquam prohibitæ sint? Alioqui, quid dicemus de vñctione Régum & Imperatorum in nouo Testamento? An & illa repudianda est? Nemo hoc dixerit. At si illam retinere fas est, cur in alteram tam iniqui sumus? Nostri Ministri, qui sine vñctione & consecratione, sine successione & vocatione, vel ex tonstrinis, vel ex popinis, in officia Ecclesiastica subitò sese ingerunt, nullum possunt proferre exemplum ex tota antiquitate, quo tueri se queant.

8. *Quinto*, obiicimus illi pompam & splendorem in ornatu Pontificali. Et tamen scimus, Pontificem in veteri Testamento, ex peculiari Dei institutione, gestasse purpuram, hyacinthum, byssum, tintinnabula aurea, & mala punica in sancta ueste, Tiaram cum aurea lamina in capite: duodecim gémas in pectore: duos lapides onychinos in humeris, auro inclusos. An etiā Deum accusabimus, qui hunc, tam ratū & insignem ornatum, præscripsit Pontifici in Synagoga Hebræorum? Dicamus potius cum Dauide, *Dilexi decorum domus tua!* Nec usurpemus illā Iudæ proditoris vocem, *Vt quid perditio hæc?*

9. *Sexto*, obiicimus illi diuitias & potentiam temporalem. Sed immerito. Nam constat Pontificē in veteri Testamento fuisse longè ditissimum: & quidem Deo sic disponente. Accipiebat decimas à duodecim tribubus Israël: decimas decimarum à Leuitis: primitias, primogenita, oblationes à toto populo. Sanè, si Pontifex Romanus singulis annis acciperet decimas omniū bonorum à toto orbe Christiano: si decimas decimarum ab Ecclesiasticis & Religiosis: si denique primitias, pri-

moge

mogenita, & oblationes omniū fidelium; fortasse dicitur esset, quā modo est. Si ergo Deus in veteri Testamēto voluit Pontificem hoc modo locupletare, cur nos similem fortunā inuidemus Pontifici in nouo Testamēto?

10. *Septimō*, obiicimus illi nimiam authoritatem, qua vtitur in Ecclesia Christi. In quo similes sumus Hebreis, qui etiā suum Pontificē Aarōnē hac calumnia onerabant. Sed Deus, & miraculo, & vltione testatus est, se velle, vt omnes Aarōni obedirent. Quid ergo nos volumus aut molimur? Singuli superiores esse nō possumus. Vnum aliquem esse necesse est, qui aliis prælit. Si is Pontifex est, quid molesti illi sumus? Nimirum, hæc nostra cæcitas & infirmitas est, vt semper aliquid carparamus. Et certum est, si abrogato Pontifice, Rex aliquis vel Imperator præcesset omnibus in Ecclesia, simili calumniæ fore obnoxium. Igitur, posthac moderatiū agendum nobis est, &c, si verè Christiani esse volumus, ab omni iniqua criminatione abstinentēdum.

III. Utilitas ex parte Regum.

11. **Q**uilibet Rex potest hoc modo ratiocinari; Deus dedit mihi coronā, sceptrum, potētiam, & in solio regali me collocavit. Et quamuis natura parsim aliis, officio tamē & dignitate, multis superior sum. Agnosco hoc Dei beneficiū. Ergo ne ingratus sim, faciā, quod benē & laudabiliter fecerūt pīj Reges in veteri Testamento: Et omittā, quod in aliis reprehensum est. Dauid Rex, quoties rem magnam ac difficilem solebat aggredi, prius Deum consulebat per Pontificem: & semper prosperatus est. Insistam eius vestigiis: &c, si similis occurrat casus, nō dedignabor à Prælatis Ecclesiæ consiliū petere. Illi, Pastores nostri sunt: Deum pro nobis deprecantur: assistentiam Spiritus sancti habent.

12. Iosas Rex, quamdiu secutus est monita, & directio-

nem

nem Ioiadæ Pontificis, fecit rectum coram Domino. (4.R. 12.2.) At ubi deflexit, & sæcularium Principum obsequiis delinitus, priorem viuendi rationem deseruit, mox impius & homicida factus est, & in pœnam peccati, à propriis seruis miserè imperfectus interiit. (2. Paralip. 24. 17.)

13. Ozias Rex, contempto Pontificis imperio, voluit sese in eius officium immiscere: & subito lepra percussus, & regno exutus est. (2. Paral. 26. 18.) Nec minor fuit vltio circa Saülem. Nam & ipse suo gladio confosus, & regno cum suis posteris in perpetuum spoliatus est. (1. Reg. 31. 4.)

14. Ieroboam, ut regnum suum confirmaret, ausus est defectionem facere à legitimo Pontifice, & sacrificio, & altari. Et in eorum locum constituit nouos Sacerdotes, qui non erant de tribu Leui; & erexit nouum altare in Bethel; & novo ritu immolauit. Sed pessimo eventu. Nam & manus eius repente exaruit, & altare scissum est, & tota eius familia penitus deleta & extincta est. (3. Reg. 12. & 13.) Hæc me vestigia tenent.

F I N I S.





